CURSUS

SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

COMMENTARIORUM IN V. T. PARS III

IN

LIBROS PROPHETICOS

V. 2

PROPHETAE MINORES

COMMENTARIUS

IN

PROPHETAS MINORES

AUCTORE

IOSEPHO KNABENBAUER S. I.

Cum approbatione Superiorum

PARS ALTERA SEX POSTERIORES PROPHETAS COMPLECTENS



PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

4, VIA « CASSETTE », ET VIA « DE RENNES », 75

1886

Quum opus, cui titulus est : *Commentarius in Prophetas minores*, auctore P. Iosepho KNABENBAUER, S. I., aliqui eiusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et edi posse iudicaverint, facultatem concedimus, ut vulgetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Fesulis, die 15 Septembris 1885.

L. S. A. M. ANDERLEDY, S. I.
Vic. Generalis S. I.

IMPRIMATUR
Parisiis, die 20 Octobris 1885.
† FRANCISCUS Arch. Larissensis
Coadjutor Parisiensis.

TYPIS MANDETUR
Suessionis, die 17 Januarii 1886.
† ODO, Episc. Suessionen. et Laudunen.

LEGENTIBUS

S.

Vix opus erit monere ad hanc alteram commentariorum partem ex-aequo ea quoque applicari, quae in prioris partis praefatione de metho do et subsidiis adhibitis dicta sunt. Ut igitur alia taceam, res assyriologicae praecipue inserviebant ad Nahum prophetae tempus accuratiu determinandum et ad ea illustranda quae in eiusdem prophetia 2, 8; 3, 4. 8. 10 proponuntur; similiter inter alia pro Zach. 9, 1 et 12, 11 non erant negligendae. Ex thesauro verborum assyriacorum quem *Strassmaier* S. I. collegit etiam pro hac parte nonnulla haurire licuit quae aliquibus locis verbisque lucem affunderent; vide v. g. ad Nah. 3, 17. 19. Soph. 2, 13. Agg. 1, 1. De textu masorethico vel retinendo vel emendando et de habitudine quae inter ipsum et versiones veteres, praesertim versionem latinam *vulgatam* intercedat, confer si tua interest, quae adnotata vel disputata sunt v. g. ad Nah. 2, 3. 7. Hab. 1, 3; 2, 10. 15. 17; 3, 12. 15. Soph. 2, 14; 3, 17. 18. Agg. 1, 2; 2, 8. 20. Zach. 1, 8; 3, 5. 7. 8; 4, 2. 7; 9, 9. 17; 10, 9. 11; 11, 7. 13. 17; 12, 2. 5. 7. 10; 13, 5. 6; 14, 6. 10. Mal. 1, 11. 13; 2. 3. 16 etc.

Praeprimis commendari velim lectori sedulo canticum Habacuc et visiones Zachariae et quae de tempore messianico apud Sophoniam, Aggaeum, Zachariam, Malachiam exponuntur, quippe qui inter alia indolem *spiritualem* instaurationis theocratiae praecipue efferant atque describant.

Denique facere non possum quin gratum animum significem Reverendo Domino *Magnier,* Canonico Suessionensi, qui pro sua in me benevolentia, ut commentarii mei emendate typis describerentur, operam impendit haud exiguam.

Scribebam in collegio S. I. Ditton Hall, Widnes
in Anglia, die festo *S. Ioseph*, 19 Mart. 1886. I. Kn.

NAHUM

I. — De vate eiusque tempore.

Praeter ea quae in libello Nahum de propheta vel dicuntur explicite vel innuuntur, nihil de ipso certi innotuit. Erat Nahum (נַחוּם *consolator*, uti rite explicat *S. Hier.* in prologo ad comm.) *Elcesaeus* i. e. ex vico *Elcesi* vel Elcosch in Galilaea. Ita enim iure exponit *S. Hier.* hebr. 1, 1 הָאֶלְקֹשִׁי « quod additur *Naum Elcesaei*, quidam putant Elcesaeum patrem esse Naum ... cum *Elcesi* usque hodie in Galilaea viculus sit, parvus quidem et vix ruinis veterum aedificiorum indicans vestigia, sed tamen notus Iudaeis et mihi quoque a circumducente monstratus » (in prologo ad comm.). Idem ex traditione se hausisse *S. Cyr.* affirmat, nomen scil. loci, non patris intelligi (in comm. ad 1, 1). Et hisce merito plerique interpretum acquiescunt. Nam qui eum in Assyria, in vico *Alkusch* qui duorum dierum itinere a Mosul ad ripam orientalem Tigridis fere septemtrionem versus a Korsabad situs est, natum esse vel vixisse statuunt, infirmis nituntur argumentis.

Vicus enim Alkusch prope Mosul non videtur ascendere ad magnam antiquitatem. Quantum scio, prima eius mentio literis consignata habetur ex saeculo decimo sexto post Ch. in literis Andreae Masii de ordinatione Ioannis Sulacae, Chaldaeorum patriarchae, in quibus haec leguntur : « Alcus patria Nahum prophetae etiam nunc huius monumento tam Iudaeis quam Christianis celebratissima » (cf. *Assemani*, Biblioth. orient. I p. 525). Alterum de eodem vico testimonium est ex anno 1713, quo presbyter Humus dicit se in Alcus patria Nahum transscriptionem libri *Margaritae* perfecisse (l. c. III, 1. p. 352). Neque quod ibi sepulcrum prophetae a Mahometanis aeque ac Christianis veneratione magna colitur, multum nos movere potest. Nam cum de Ninive Nahum esset vaticinatus et prope eam iam alterius de Ninive prophetae monumentum haberetur in Nebi-Yunus, vel nominis *Alcus* similitudine ista opinio est enata, vel illa cum Iona anologia ipsum nomen Alcus peperit aut in eam formam facile deflexit.

Quae practerea pro commoratione assyriaca afferuntur, etiam leviora sunt : fieri vaticinium adeo explicitum, vivis coloribus exhibitum et accuratis descriptionibus illuminatum de Ninive, Iudaeam vero vix spectari, immo ex 2, 1 (vulg. 1, 15) aperte colligi, auctorem longe a Iudaea abesse, usurpari aramaismos in dicendi genere, adhiberi vocabula certe assyriaca, saltem tria הֻצַּב 2, 8 ; מִנְזָר et טִפְסָר 3, 17 (ita fere *Ewald* ; cf. *Keil*). At ut quis propheta de Ninive vaticinetur, non opus est ut sit in Assyria ; quae vivis coloribus depingit, talia sunt, quae facile in Palaestina nosse poterat, utpote quae ab alienis exercitibus iam satis superque esset invasa. Niniven ad magnum quendam fluvium sitam esse (cf. 2, 7) certo multi in Palaestina non ignorabant. Ea, quae 1, 2-14 describuntur, nullo modo aliis in dicendi genere et orationis luminibus inferiora sunt, neque tamen ea oculis aspici debuisse aliquis dixerit. Cum totius vaticinii tenor valeat ad Dei dominium stabiliendum destructa potestate inimica, Iudaea, quae est centrum ac nucleus theocratiae, non negligitur, immo saepius explicite res Iudaeorum respiciuntur atque Iudaeis spei atque consolationis argumenta subministrantur (cf. 1, 4. 7. 11. 12. 13. 15 ; 2, 2. 6 ; 3, 19). Sed verba assyriaca ? primum quod allatum est, certe non est assyriacum ; duo reliqua sunt ; at ultimum etiam a Ieremia adhibetur ; num propterea Ieremiam in Assyriam amandabimus ? Perpendas velim, quoties usque ad Nahum tempora i. e. circa 660 a. Ch. (de temporum ratione statim erit dicendum) Assyrii in Palaestinam penetraverint (cf. quae in prolegg. ad Ionam dicta sunt) ; unde quid mirum, si demum duo vocabula ad magistratus assyriacos designandos Nahum retinuerit? Aramaismos vero (2, 8 נָהַג ? et suffixa in 2, 4. 14 ?) si adesse censueris, aeque facile ex commoratione et patria Galilaeae explicaveris.

Praeter Alcusch in Assyria alii « vicum Naum » i. e. Capernaum quod in N. T. libris adeo celebre est, prophetae patriam ipso nomine prodi opinati sunt (*Hitz.*). At cum nulla sit eius vici in V. T. mentio, neque nomen *Naum* (syr. et talm. כפר נחום ; apud *Iosephum* (vit. 72) Κεφαρνώμη ; et *S. Hier.* ad Matth. 11, 24 nomen explicat, quasi נעים vel נעִים scriberetur) certo ad prophetam referri possit, hanc coniecturam valere iubemus. Neque est, cur inquiramus, utrum *Elkesaitae*, secta Iudaizantium ab eo nomine appellentur necne ; res enim est summopere dubia vel potius plane incerta. Immerito autem ab aliis (cf. *Ges.* Thes. p. 1211) testimonium *S. Hier.* in dubium vocatur. Nam ex verbis *S. Hier.* nihil apparet, cur « circumducens » eum mendacii vel temeritatis arguatur, neque temere *respondit* de vico, ne forte ignorantiae accusaretur (uti vult *Ges.*), cum *S. Hier.* non de Elkesi interrogasset, verum sua sponte « circumducens » de eo vico edocuit. Ex nomine Ἐλκεσαῖος ad vicum Ἐλκεσή vel Ἐλκεσεί concludendum est (cf. *Schegg*, Die kleinen Proph. II p. 5) ; neque obstat forma *mas.* אֶלְקֹשׁ, cum Christiani nomina propria saepe ex LXX pronuntiatione proferrent. — Esse vicum hodiernum *El-Kauzeh* prope Rama in Nephthali, in eoque nominis vestigium esse servatum, aliquorum est sententia (cf. *Herzog*, Realencyklop. 2 ed. s. v. Nahum).

Quo tempore Nahum vixerit, quaestio est olim in varias partes agitata [1],

1. *S. Hier.* sub Ezechia, postquam decem tribus in captivitatem deductae fuerant,

sed quae hodie satis certo determinari potest. Nam ex loco 3, 8-10 aperte colligitur, prophetiam esse editam, cum eius eventus memoria — urbem scil. potentissimam Aegypti, Thebas in superiore Aegypto sitas, captas esse ab Assyriis cf. ad 3, 8 — recens adhuc hominum animis inhaereret. Iam ex cuneiformibus inscriptionibus urbem eam ab Assyriis captam esse scimus in altera expeditione militari versus Aegyptum, quam suscepit Asurbanipal, filius Asarhaddon, contra Urdamani [1], qui post Tharacam thronum Aegypti tenuit (cf. *Oppert*, Mémoire sur les rapports de l'Égypte et de l'Assyrie. . . p. 78 et seq. *G. Smith*, History of Asurbanipal p. 52 et seq.). Vide infra in commentario ad 3, 8 seq. singula quaedam, quae ad hoc bellum narrandum inscriptiones Asurbanipal [2] afferunt. Gestum autem est bellum non longe post mortem Tharacae, quae anno 664 evenit (cf. *Schrader*, Keilinschriften und das A. T. 2 ed. p. 452). Unde cum Thebae mox post cladem regi Aegypti illatam itinere 40 dierum ab Assyriis facto captae sint [3], prophetia edita esse videtur circa annum 660. Quare Nahum temporibus Manassis vixit, uti etiam aliqua Iudaeorum traditio in *Seder Olam* servata habet ; ibi enim cap. 20 legitur : « Nahum et Habacuc vaticinabantur tempestate Manassis ; at quoniam improbus erat Manasses, subticuerunt eius nomen, neque se appellarunt de eius vocabulo » (cf. Chronologia Hebraeorum maior, quae Seder Olam Rabba inscribitur . . . interprete *Gilb. Genebrardo,* Lugduni 1608. p. 21).

Quae in vitis prophetarum apud Ps. Epiphanium aliosque leguntur sine ullo dispendio omitti possunt, utpote plane incerta et sine ulla auctoritate prolata.

II. — De libri argumento

Quale sit vaticinii argumentum, titulus ipse *onus Ninive* satis decla-

---

visionem hanc cerni ait (in prologo) ; S. Cyrillus eam ad exsilii babylonici tempus refert. S. Hieronymo fere consentiunt *Rib. Lap.* ; rem esse valde incertam, idque solum certum ante subactam a Babylonio Niniven hanc contigisse prophetiam, *Sanct.* caute asserit. *Iosephus* captivitatem Ninives centum et quindecim annis ante eventum eum praedixisse affirmat sub rege Ioatham (?) cf. *Calm.* in proleg. *Hitz.* et *Ewald* eo fere tempore vaticinatum eum esse volunt, quo exercitus hostiles iam in oppugnationem sese praepararent, ne scil. veri vaticinii indoles agnosci debeat etc.

1. Ita phonetice scribitur apud Assyrios. Apud *Eusebium* (Chron. II, *M.* 19. 333) post Taracum legitur 'Αμμέρις Αἰθίοψ. Hoc nomen igitur vix erit, ut *Lepsius* vult (Koenigsbuch p. 88), expungendum.

2. Mirum est contra tam explicita testimonia historica *Reuss* (Geschichte d. h. Schriften A. T. 1881) asserere de interitu urbis aegyptiacae nil esse notum et afferre coniecturam urbem a Sargon tempore Ezechiae forte esse destructam (p. 370).

3. Antequam inscriptiones cuneiformes legerentur, de tali expeditione et occupatione

rat. Ninive enim, superba illa et potentissima Assyriorum metropolis, acerbe reprehenditur de rebellione contra Deum commissa, de oppressione populi Dei, de crudelitate, iniustitia, idololatria; eique interitus certus et ruina plena opprobriis praedicitur. Quae ut toto suo robore percipiantur, temporis conditio perpendatur oportet. Ea enim Nahum promulgavit inter suos, cum Ninive et imperium assyriacum praepotens esset et ipsis etiam Iudaeis molestum. Nam Asarhaddon, qui Sennacherib interfecto regnum assyriacum tenuit ab anno 681-669, versus finem sui regni et Syriam et Aegyptum sibi subiecit, atque inter viginti duos reges qui ex regione Chatti i. e. Phoenices Palaestinaeque et ex insula Cypro ei tributa solvunt, etiam *Manasses* enumeratur, rex Iuda. Etiam sub eius successore Asurbanipal Manasses tributa solvit et eadem ratione ab Asurbanipal in serie regum sibi subiectorum (cf. *Schrader* l. c. 354. 367) recensetur. Quare animi fortitudo prophetae non minus admiratione digna est quam prophetiae donum agnoscendum, cum ea temporis conditione superbiae Assyriorum interitum denuntiet eisque crimina exprobret. Praevidet ruinam imperii adhuc florentis, quae demum post 50 annos accidit (vide, quae ad 3, 19 adnotata sunt).

Vaticinium apte distribuitur tribus sermonibus, qui totidem capitibus continentur. Cum Assyrii iam diutissime tyrannidem exerceant et multis etiam Dei populum afflixerint, vates sermonem orditur a descriptione Dei vindicis et ultoris malorum, qui quamvis longanimitate utatur — et sane quam patiens sit, ipsa illa diuturna Assyriorum dominatio insigni exemplo ostendit — tamen suo tempore unumquemque impium iusta poena persequatur. Dei maiestatem et terrorem ex eo illustrat, quod Deus pro arbitrio maria exsiccare, regiones florentissimas perdere, montes concutere totamque terram et omnes habitantes in ea timore percellere possit. Quis tali resistet Deo, qui quantum est in pios benignus tantum in hostes severus, Niniven ad ruinam adducere constituit? Ninive peribit, quia contra Deum multa molita est facinora, neque robur eius neque militum copia ei remedium afferet. Ita cessabit afflictio populi Dei. Illa enim urbs hostilis ruina ignobili et irreparabili concidet, Sion vero laetitia exsultabit. Haec summa est primae orationis (cap. 1), quae a principiis ac doctrinis orta generalibus Deique normam

Thebarum nihil notum erat praeter id quod *Nahum* testatur. Quare aliqui viri critici, uti *Hitz.*, locum hunc a nullo alio scriptore vel approbatum vel simili testimonio corroboratum e textu eiicere tamquam ex interpolatione ortum ausi sunt. At iam et Nahum prophetae veracitas et loci genuina indoles splendide demonstrata est ipsorum aequalium testimonio. Inde vides, quam temere quandoque viri critici id reprehendant et emendent, quod non intelligunt. Simile quid istis accidit, dum 2 Par. 33, 11 reprehenderet (cf. *Vigouroux*, La Bible et les découvertes modernes, Paris 1882; t. IV p. 239 et seq.).

in rebus administrandis illustrans utriusque urbis Ninives et Sion sortem adeo diversam explicat in universum.

Altera oratione vates iam magis ad particularia descendit. Niniven enim praedicit obsidione hostili iri expugnatum; hostes expugnatores, apparatum bellicum et impetum vivis exhibet coloribus; vanos Ninivitarum conatus, urbisque expugnationem, captivitatem incolarum, fugam, urbis expugnatae direptionem, praedam immensam a victoribus captam, denique excisionem et ruinam dilucide et graviter describit. Dein talem fortunae conversionem demiratus et pristinum splendorem cum ruina praesenti (quam scil. in visione prophetica quasi praesentem spectat) comparans Deum huius vindictae et ruinae auctorem esse ostendit (cap. 2).

In tertia oratione a causa ruinae, sceleribus scil. Ninives, propheta orditur brevique crudelitatem, caedes, fraudes, rapinas, turpem idololatriam, ad quam alias quoque nationes seduxerit, perstringit. Hisce congruam denuntiat punitionem summa cum ignominia coniunctam. Ne falsa sibi opum suarum fiducia blandiatur Ninive, monet exemplo Thebarum prolato quae quamvis copiis undique collectis instructae fuerint, tamen oppugnationi succubuerint. Eandem fore sortem Ninives, eius arces ac munitiones facile iri captum, milites eius fortitudine destitutum, urbem iri igne absumptum. Licet Assyrii conatus varios et copias ingentes opponant, tamen fore ut intereant, ut opes hostibus cedant in praedam, ut omnium ordinum homines exitio ac caede prosternantur et imperium assyriacum concidat ruina irreparabili, cuius nuntium omnes populi cum risu et plausu sint excepturi (cap. 3).

Integrum vaticinium tribus partibus dispositum apte cohaerere et sui se singulis membris explicare atque in se uno consilio firmiter concludi, hac argumenti serie sua sponte elucet.

Dicendi genere utitur Nahum illustri, conciso, vehementi, brevibus sed turgidis sententiis conspicuo. De eo ita iudicat *Lowth* : « ex omnibus minoribus prophetis nemo videtur aequare sublimitatem, ardorem et audaces spiritus Nahumi. Adde quod eius vaticinium integrum ac iustum est poëma ; exordium magnificum est et plane augustum ; apparatus ad excidium Ninivae eiusque excidii descriptio et amplificatio ardentissimis coloribus exprimitur et admirabilem habet evidentiam et pondus » (de sacra poësi Hebraeorum ; prael. 21 p. 246 ; ed. C. Rosenmüller. Idem indicium fert *Zschokke* : « dicendi genus est magnificum et augustum, sermo vividus et paronomasiis excellens » (Hist. s. ant. Test. 2 ed. p. 274); similiter *O. Strauss* (Nahumi de Nino vaticinium p. LXXI) : « non universum solum vaticinium suo ordine probe dispositum est, verum singulae etiam orationis partes secundum sententiarum indolem

et varietatem subtiliter paene atque artificiose numeris descriptae exhibentur » etc. et *Vigouroux* (Manuel bibl. II p. 648) : « Nahum avait une imagination vive et riche ; son style, malgré quelques emprunts aux écrivains antérieurs, se distingue par son originalité ; il est remarquable par sa pureté et sa clarté ; le parallélisme en est très régulier ». Vide quoque *Kaulen* (Einl. p. 359), qui prophetiam Nahum appellat « ein dichterisches Meisterwerk ».

LIBER NAHUM

SERMO PRIMUS CAP. 1

Arg. — Dei animum in hostes inflammatum ultoremque iniquitatum describit sacer vates Deique vindicis et potentiam et terrorem illustrat rerum naturalium perturbatione et mundi machinae dissolutione. Quis vero tali Domino resistere poterit, qui in pios benignus quidem est, hostes autem et praeprimis Niniven ruina obruet (1, 1-8)? Ita erit; ne quis dubitet! Ninive funditus peribit, quia rebellis erat in Dominum, nec robore nec multitudine sua salva consistet, neque ultra Dei populum affliget, sed radicitus evelletur, dum Sion exsultabit tali nuntio accepto (1, 9-15).

Libri inscriptio haec fertur: « *Onus Ninive, liber visionis Nahum Elcesaei* ». — Tristem et plenam minarum prophetiam designari voce *oneris*, plerique post *S. Hier.* explicant etiam ex hebr.; dicit enim *S. Hier.*: « apud Hebraeos *massa* ponitur i. e. *grave onus*, eo quod eam adversus quam videtur, premat nec sinat elevare cervicem » (prolog. in Naum) et « massa autem nunquam praefertur in titulo, nisi cum grave et ponderis laborisque plenum est quod videtur » (prolog. in Abacuc; similia cf. apud *S. Hier.* in Is. lib. 5 cap. 13 et 15; in Ier. cap. 23; *M.* 24, 155. 167. 828 et vide *Rib. Calm.*). Proinde annuntiatur vaticinium in Niniven minis et ruina plenum, durum ac molestum; quare *Chald.* haud inepte sensum reddit: « onus calicis maledictionis ad propinandum Ninive ». Modus autem, quo vaticinium illud cum vate est communicatum subditur *liber visionis* (cf. *Alb.*) i. e. in visione prophetica, qua res et eventus symbolis depingi et ex cognatarum rerum similitudine illustrari solent, Ninive urbs eiusque scelera, iudicium, ruina menti prophetae exhibita sunt. Inde iam explicatur, cur 1, 3. 4. 5. 6. 8 potentia Dei et ira in rerum naturalium perturbatione et dissolutione sit adumbrata. Ex visione autem consequens est (quod aliis explicare placet cf. *Rib.*), certum esse id quod propheta praedicit atque a Deo acceptum, quippe qui eius menti res rerumque imagines infundat

quare *Theod. M.* merito asserit, revelationem hac appellatione in Scriptura designari, secundum quam propheta spectare aliquid credens id quod sibi opus erat, discebat. Ceterum vide ad Is. 1, 1.

Librum vero dici hanc exiguae molis prophetiam, non miraberis advertens ita scriptum vocari apud Hebraeos licet volumen exiguum sit; quare *epistola* quoque eo nomine recensetur cf. 4 Reg. 5, 5; 20, 12. Is. 39, 1 (*Sanct.*).

Eadem *oneris* significatione מַשָּׂא intelligi certum est. Ita interpretatus est *S. Hier.* teste (l. c.) *Aq.* ἆρμα, *pondus;* ita *Syrus*: plaga; sim. *Chald.* Atque haec notio omnibus locis, in quibus de oraculo usurpatur vox, apta est; cf. Is. 13, 1; 15, 1; 17, 1; 19, 1, 21, 1. 11. 13; 22, 1; 23, 1; 30, 6. Ier. 23, 33 etc. neque obstat Zach. 9, 1; 12, 1; quibus in locis etiam res molestae et angustiis plenae annuntiantur; neque ab ea omnino recedunt Prov. 30, 1; 31, 1; cum varia effata subsequantur, quibus superbia humana variaque vitia reprehendantur. Estque ea notio ad alium vocis usum, quo certe exhibet sensum oneris ponderisque, plane accommodata cf. Num. 4, 19. 24, ubi adhibetur de portando tabernaculo; 4 Reg. 5, 17 *onus duorum burdonum de terra*; 4 Reg. 8, 9 *onera quadraginta camelorum*; Is. 46, 1. 2 onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem; 2 Par. 17, 11 *vectigal argenti*; 2 Par. 35, 3 *nequaquam enim eam (arcam) ultra portabitis*: ita *onus* quoque est sensu translato Num 11, 11 *cur imposuisti pondus universi populi huius super me?* Eodem usu vox cernitur tempore Nehemiae; cf. Neh. 5, 7; 13, 15. 19.

Quae cum ita se habeant, recentioribus quibusdam, qui *oraculum, effatum* simpliciter vocem explicant, non censeo esse adstipulandum. Neque enim ad talem significationem statuendam sufficit, dici נָשָׂא קוֹל *vocem tollere,* שֵׁם *nomen efferre,* vel מָשָׁל *proferre carmen* et sim. (cf. *Ges.* Thes. p. 918. *Fürst C. Schegg*); quare cum *Hengstenberg* (Christologie, ad Zach. 9, 1), *Keil,* aliisque notio prior est ubique retinenda, quam etiam lusus verborum apud Ier. 23, 33 seq. suadet. Rem accurate pertractat *Reinke* (Prophet. Mal. 155-163 et Hab. p. 63 seq.). LXX *oneris* rationem non expresserunt; vertunt enim vel ὅρασις, ὅραμα, ῥῆμα, vel λῆμμα, uti h. l. Hanc *assumptionem*, uti *S. Hier.* graecum vertit, graeci interpretes explicant vel mentis raptum et a rebus humanis traductionem, quae a Deo in animo prophetae efficiatur, ut rebus divinis pateat aditus (cf. *Theod. Theod. M. Theoph.*) vel τὴν λειφθεῖσάν τε καὶ προκειμένην ἐν χερσὶν προφητείαν (*Cyr.*; sim. etiam apud *Rib.*). *Sanct.* λῆμμα *assumptum* idem ac *onus* intelligi vult, quia onus assumi debeat et dorso vel capiti aut humeris imponi; « sed fortasse lemma dicitur, quia titulus est et quaedam brevis totius in Ninivitas prophetiae comprehensio. Quod vero lemma titulum significet aut brevem quandam summam eorum, quae longiore tractu continentur, docet illud Martialis lib. 14, ubi singulis distichis titulum praeponit et argumenti summam:

Lemmata si quaeris cur sint adscripta, docebo:
Ut si malueris, lemmata sola legas ».

De *Elcesaei* appellatione vide Prolegom. 1.

a) Ultoris Dei potentia et terror 1, 2-8.

Cum Ninive ex longo iam tempore opibus, divitiis, imperio floreat

multosque populos impune suppresserit, immo regno israelitico destructo partem populi Dei longe maximam abduxerit in captivitatem, initium minarum vates inde repetit, quod Deus etsi diu ac patienter ferat inimicos, tamen aliquando necessario animadvertit in contumaces. Quare magna cum emphasi effert ultionem illam et iram et vindictam in inimicos Dei, quae a Dei sanctitate summa separari nequit, verum eiusdem sanctitatis ostensio est necessaria. Unde mirantibus continuum Ninive splendorem, prosperos successus, fortunas longe maximas esse advertendum animum docet ad Deum natura sanctum, indeque ultorem necessario v. 2 « *Deus aemulator et ulciscens Dominus, ulciscens Dominus et habens furorem, ulciscens Dominus in hostes suos et irascens ipse inimicis suis* » ; — adverte *ulciscens* tertio repeti (*Lap.*), ut certissime constet, Deum esse ultorem semper et ubique, quamdiu et ubicumque hostes Dei exsistant ; atque ad hanc ultionem efferendam inserviunt cetera : est scil. *aemulator*, LXX ζηλωτής, qui rem suam, gloriam, honorem magno studio tuetur ac prosequitur, qui laudem sui nominis idolis tribui nullo pacto patietur, qui demum populi sui ab Assyriis oppressi partes sedulo aget propter se et sui nominis gloriam et pignus. Quare *aemulator Deus*, uti est impiis ex Iudaeis terrori et omini pessimo, ita piis atque oppressis maximo nominatur solatio[1] et spe certissima ; zelus enim vel aemulatio « ab amore nascitur, qui in eos hostiliter et impotenter invehitur, qui rem amatam acceperunt male aut graviter offenderunt » (*Sanct. Rib.*). Hac appellatione vates illis in memoriam revocat, esse eundem Deum, qui eadem sub sanctione zeli sui iisdem utens nominibus ad suam declarandam naturam leges suas promulgaverit, unde earum quoque violationem acriter sit vindicaturus (cf. Ex. 20, 5 ; 34, 14. Deut. 4, 24 ; 5, 9. Ier. 24, 19). Zelum Deus manifestat, cum profitetur : « *gloriam meam alteri non dabo* » (Is. 42, 8 ; 48, 11), « propter me, propter me faciam, ut non blasphemer » (Is. 48, 11. Ez. 36, 22), « zelus Domini exercituum faciet hoc » (Is. 9, 7 ; 37, 32. cf. 42, 13 ; 59, 17. Ez. 39, 25), « zelatus est Dominus terram suam » (Ioel 2, 18 ; cf. Zach. 1, 14 ; 8, 2).

Pars eius zeli est *ultio*, unde *ulciscens Dominus*, dein iterum id inculcatur cum addito, quo ultionis magnitudo indicatur, *habens furorem*, vel ex hebr. *dominus furoris* i. e. qui maximam furoris copiam possidet de eaque pro lubitu disponit neque unquam ea destitui potest ; demum tertio adiungitur, contra quos ultio et furor dirigatur ; est autem furor

---

1. Cf. *Pintus* : « vocat se Deus aemulatorem, ut ostendat se diligere populum israeliticum et de Assyriis eius hostibus supplicium suo tempore sumpturum. Ipse est qui suorum audit gemitus et suspiria et in eorum inimicos graviter animadvertit ».

ille non transiens, non abscedens, verum manens diu et in longinquum asservatus; ita clarius in hebr. *et servans* (i. e. iram in animo reservans *Rup. Rib. Lap. Mar.*) *inimicis suis*[1] i. e. etsi ira non statim devolvatur, ne quis putet eam esse exstinctam; ita quoque si ultio vaticinio expresso differatur, ne quis eam minus certam habeat vel Dominum ultionis oblitum esse credat (*Rib.*).

Utique oculis in Assyriorum fortunam coniectis — qui diu crudelitate et insolentia in alios grassati sunt et post Ionae praedicationem brevemque poenitentiam mox denuo in praeceps ruebant (*Theod. M.*) — Dei ultoris longanimitas cernitur; at cum Dei potentiam nemo possit effugere, Deus ita longanimiter agere potest, demum unicuique sceleri suo rependetur poena, cum Deus iudicis conditionem et habitum sit induturus. Haec vates proponit v. 3 « *Dominus patiens et magnus fortitudine et mundans non faciet innocentem; Dominus in tempestate et turbine viae eius, et nebulae pulvis pedum eius* »; — bene *Theoph.*: « Dominus longanimis et patiens super iniquitates peccantium, ob imbecillitatem hoc non facit, ingens enim robur eius », sim. *Theod.*, qui pergit: « novit etiam non poenitentibus supplicia irrogare; hoc enim est quod ait ἀθῷον οὐκ ἀθωώσει i. e. eum qui suppliciis digna commiserit, non impunitum Dominus relinquet ». Is est sensus *mundans* etc.[2]

Huic sententiae vates statim eam iudicis manifestationem adiungit, quam in psalmis quoque descriptam habemus, quam Deus in Sinai descendens ad maiestatis suae terrorem incutiendum exhibuit, quam in mundi consummatione exstaturam esse a Christo edocemur (cf. Ps. 17, 8 seq. 96, 2 seq. Luc. 21, 26 — vide quae notata sunt ad Mich. 1, 2; et ad Hab. 3, 6 seq.). In tempestate scil. et turbine Deus de coelo descendit (cf. Ex. 19, 16-18), tempestate et turbine Aegyptios disiecit, vel quod alii monent, iudicium per diluvium factum induxit (cf. *Cyr.*); « congruenter nubium agmen pulverem pedum eius nominat; ut enim facile est homini pulverem pedibus excitare, eodem modo, ut existimo, omnium rerum habenti potestatem Deo procella et nubibus coelum condensare facile est » (*Cyr.*); vel simplicius: dum Deus nubibus involutus descendere fingitur, eo ipso nubes sunt pulvis pedum eius, super quem incedit, quem gradiendo excitat. Symboli vim *Rib.* ita explanat: « si Dominus ad hostes suos puniendos venire voluerit, veniet cum tempestate et turbine i. e. cum magno impetu et fragore, qualis solet esse exercitus magni, et

---

1. Eandem phrasim hebr. Lev. 19, 18 magis verti ad sensum a *S. Hier.*, notat *Rib*; ibi enim legitur: *nec memor eris iniuriae civium tuorum.*

2. Bene *Pintus*: « nullus impius existimet se esse liberam sibi impunitatem assecutum ex Dei dissimulatione; nam differens non dimittit ».

pulvere pedum suorum, quem gradiens commovebit, nebulas excitabit et coelum obscurabit, ut facere solet magnus exercitus » (sim. *Pint.*).

Ad locutionem hebr. נַקֵּה לֹא יְנַקֶּה notat *S. Hier.* : « significantius in graeco dicitur ἀθωῶν οὐκ ἀθωώσει et est sensus : diu quidem sceleris Assyriorum patiens fuit et magnanimitatis suae fortitudine iniquitates eorum sustinuit, provocans eos ad poenitentiam, sed quia contempta bonitate Dei secundum cor impoenitens thesaurizaverunt sibi iram in die irae, qui ante patiens fuit, nequaquam eos tamquam mundos et innocentes inultos abire patietur ». Ceterum eam locutionem hebr. *S. Hier.* varie reddit : Ex. 34, 7 *nullus apud te per se innocens est*; Num. 14, 18 *nullum innoxium derelinquens*; Ier. 30, 11 *ut non videaris tibi innoxius*; Ier 46, 28 *nec quasi innocenti parcam tibi.* Propria significatio est : aliquem impunitum non derelinquere (cf. *Pint. Calm.*). Vide Iob 9, 28; 10, 14.

Uti descensus iudicis est ad terrorem factus, ita potentiae exhibitio non minorem prae se fert horrorem ; v. 4 « *increpans mare et exsiccans illud et omnia flumina ad desertum deducens. Infirmatus est Basan et Carmelus et flos Libani elanguit* » ; — hebr. *et omnia flumina exsiccat, languescit Basan etc.* ; in mare, in flumina et in regiones fertilissimas potentiam suam exserit ita, ut quasi halitu Dei spirante tamquam ab igne vehementissimo omnia arefiant ; ad quod una Dei vox minans et increpans, unus voluntatis nutus sufficit. Exempla haec ad potentiam Dei delineandam depromi iure censent ex clade aegyptiaca, ex transitu Iordanis ; cf. Ps. 105, 9 : « et increpuit mare rubrum et exsiccatum est, et deduxit eos in abyssis sicut in deserto » ; cf. *Cyr. Theoph. Alb. Pint. Rib. Sanct.* Neque desunt, qui languorem quoque Basan, Carmeli.. historice accipiant, ex tempore scil. quo Israelitae deletis vel eiectis priscis incolis regiones illas occuparunt ; « cum enim poenas repetere statuissem ab iis, qui Basanitidem et Carmelum et Libanum incolunt, vobis eos tradidi. Vos autem eorum agros depopulantes et urbes expugnantes civesque in captivitatem ducentes ad summam vastitatem eos redegistis » (*Theod.* sim. *Cyr. Theod. M. Alb.*) ; verum praestat, ea proverbiali specie usurpari pro rebus uberrimis et speciosissimis, quas Deus uno ictu prosternere et fere in nihilum redigere valeat (cf. *Rib. Sanct. Sa, Mar. Men. Tir.*).

Eodem modo coram terrifica Dei maiestate montes, firma fundamenta et columnae orbis, contremiscere dicuntur et terra simul cum omnibus, quae in ea sint, sustolli v. 5 « *montes commoti sunt ab eo et colles desolati sunt et contremuit terra a facie eius et orbis et omnes habitantes in eo* » ; — diligens haec partium enumeratio Dei maiestatem longe lateque in omnia patentem quasi ob oculos expandit ; hebr. *montes contremiscunt*

ex eo et colles colliquescunt, sustollitur terra [1] etc. i. e. veluti refugiens attollitur (cf. Is. 24, 19. 20) aspectum divinum non ferens, sese proripit ex eius conspectu (cf. *Lap.*).

Post descriptionem talem necessario ac sua sponte (cf. Ps. 75, 8. Mal. 3, 2) infertur v. 6 « *ante faciem indignationis eius quis stabit? et quis resistet in ira furoris eius? Indignatio eius effusa est ut ignis et petrae dissolutae sunt ab eo* »; — « sicut ignis si in aridam materiam inciderit, facile illam apprehendit et solvit in cineres, sic ira ubi diu compressa est, si se tandem effundat, omnia late populatur et perdit » (*Sanct.*); « ubi Dei furor instar ignis exarserit, rupes durissimae coram illius flammis veluti cera liquescent » (*Calm.*). Quid iam Assyriorum potestas valebit? quanta cum facilitate eam Deus evertet et destruet funditus (cf. *Pint.*)?

Uti Deus in hostes est terribilis, ita in suos cultores benignus ac clemens. Zelum enim suum hostibus ostendit ultione, bonitate amicis. Quare amici Dei non habent, cur tremenda illa iudicia expavescant; in hostium punitione apparet Dei in suos benignitas, eiusque iudicia solum malis sunt horrenda, benefica bonis. Unde hanc eorum indolem vates describit v. 7 « *bonus Dominus et confortans in die tribulationis et sciens sperantes in se* »; — hebr. in *refugium* (est Deus) *in die tribulationis*; *sciens* vel cognoscens i. e. diligit et in suum ius ac curam accipit eos, qui in ipsum confidunt (cf. *Theoph.*). Hanc vero curam ostendit, dum eos ab oppressione vindicans in hostes animadvertat. Quare iudicium in hostes explanans vates ruinam Ninives addit v. 8 « *et in diluvio praetereunte consummationem faciet loci eius et inimicos eius persequentur tenebrae* »; — verte hebr. *et per inundationem supereffluentem consummationem faciet loci eius et inimicos suos persequetur tenebris*; *loci eius* [2] scil. Ninives, quae urbs in titulo posita hic necessario (cf. hebr. הָ) subintelligitur. Exhibet eius ruinam per imaginem maximae inundationis [3], qua omnia vel arripiuntur vel sepeliuntur et dum urbs interitui obiicitur, Assyrios rerum angustia variisque miseriis continuo affliget; frustra iram Dei effugere tentabunt; *tenebris* i. e. calamitatibus eos

1. Vertit *Aq.* ἔφριξεν; Sym. ἐκινήθη cf. *Theod. Pint. Rib. Lap.*; LXX vero ἀνεστάλη ἡ γῆ, *contracta est terra*, uti interpretes latini vertunt. *Vat.* reddit hebr. *flagrat*; et ita quoque Hebraei *comburetur*; cf. *Ros.* Alii vertunt *plangit* terra i. e. vocem attollit (cf. *Trochon*).

2. LXX eo loco habent τοὺς ἐπεγειρομένους. *Chald.* quoque simile quid effert; ita enim sensum proponit: exterminationem faciet cum gentibus, *quae insurrexerunt*. Eandem lectionem קָמֵיו vel קוֹמְיו etiam *Houbig.* h. l. substituendam esse censet. *Syrus* certo legit, uti textus *mas.* habet, quem *S. Hier.* expressit.

3. Sed simul posse intelligi non nudam metaphoram, verum imaginem eventu saltem ex parte implendam, vide ad 2, 6 et ad 3, 19.

involvet omni luce melioris fortunae subtracta. Sunt enim *tenebrae*, *nox* etc. metaphorae usitatae rerum adversarum et horroris (cf. Is. 5, 30. Lament. 3, 2. *Pint.*).

b) Interibit Ninive, Sion exsultabit 1, 9-15.

Excidium fore Deus per vatem annuntiavit v. 8. Cum Ninive longe lateque dominaretur et Assyrii belli gloria et innumeris victoriis in dissitis quoque regionibus reportatis essent insignes, eiusmodi vaticinium nimia proferri audacia videri poterat. Quare ne Assyrii suis viribus freti illud spernerent, neve Iudaei propter maximam illorum potentiam dubios gererent animos, propheta in universum monuit, homines nil valere contra Dei consilium, idque ut firmum esse ratumque omnibus persuadeat, denuo repetit : v. 9 « *Quid cogitatis contra Dominum? Consummationem ipse faciet; non consurget duplex tribulatio* » ; — hebr. magis generaliter *quid cogitatis de Deo*, quasi versus Deum, et quae est mentis vestrae habitudo *ad Deum* (אֶל). Ita enim sententia apta est ad utrosque et Assyrios et Iudaeos. Illi qui tot idolorum regna per gloriam et potentiam « Assur domini mei » (uti in inscriptionibus reges Assyriorum loquuntur) deiecerunt et olim superbe minati erant : « quis est ex omnibus diis terrarum istarum, qui eruerit terram suam de manu mea, ut eruat Dominus Ierusalem de manu mea » (Is. 36, 20. cf. 10, 9 10), illi, inquam, vaticinium tale cum plausu et risu accipere censendi erant; hi vero propter rei magnitudinem et eximiam quae humanitus aderat difficultatem animis haerere poterant dubii, num res vere habitura esset talem exitum ab omnium exspectatione alienum et portento simillimum. Quare et illorum superbiam et horum timiditatem propheta impugnat interrogatione sua, provocans utrosque, ut rectam de Domino sententiam capiant, quam scil. ex rerum gestarum recordatione et ex eius potentia modo descripta (1, 3 - 8) hauriant. *Talis* enim Domini firmum consilium effectu carere non poterit; esse autem firmam animi eius sententiam, repetitione docet *consummationem ipse facit,* idque altero membro adiecto confirmat, ut sententia *positive* et *negative* prolata omne dubium omnemque ambiguitatem excludat : *non consurget bis tribulatio* (hebr.) i. e. iam non altera vice Assyrii alias nationes oppressione et angustia coarctabunt; sufficit id *semel* accidisse, *bis* non fiet; id quod idem est ac : finis erit imperii et tyrannidis illatae, ac si diceres : *semel* vicisti, *bis* non vinces, q. d. adest victoriae et gloriae finis.

Magna est in hoc versu interpretationum varietas. Volunt alii sermonem fie-

ri ad Iudaeos : quid cogitatis contra Dominum? vid. existimantes capiendos vos esse ab Assyriis (*Rib.*), sim. *Sanct.* : « id sibi timebant a Sennacherib, quod paulo ante decem aliis tribubus acciderat mali, deque Deo ita cogitabant, atque si repulisset omnino populum suum »; verum temporis ratione prohibemur de Sennacherib h. l. mentionem inferre. Alii verba eo sensu ad Iudaeos referunt, ne censeant, similem ipsis inferri cladem et internecionem (cf. *Cyr. Theoph.*) vel ne dubitent, quin Dominus tali excidio prostraturus sit Niniven (cf. *Keil*). Alii autem, iique longe plures, Assyriis ea dici censent (*Theod. Theod. M. Pint. Sa, Lap. Mar. Men. Tir. Hitz. Schegg*); « quaenam consilia in eum molimini? num bellum adversus Deum geri posse putatis » (*Theod. M.*)? Sunt etiam qui hoc sensu retento *consummationem* ad Iudaeos referant; ita « Hebraeus » apud *S. Hier.* : « Hebraeus hunc locum ita exposuit : quid putatis, o Assyrii, iniquitatem contra Dominum cogitantes, quod populum Israel i. e. duodecim tribus usque ad internecionem ipse consumat? Non consurget duplex tribulatio i. e. non vobis tradet Iudam et Israel [1], sicut tradidit decem tribus et Samariam »; sim. *Mar.* : « quid cogitatis captis decem tribubus de opprimenda Ierusalem contra Dei voluntatem? ipse est auctor captivitatis decem tribuum; non permittet, ut simili clade Ierusalem involvatur ». *Duplicem tribulationem* praeterea complures de Israel et Iuda exponunt : decem tribus afflictae sunt per Assyrios, duae reliquae ab iis non captivae abducentur (cf. *Rib. Sanct. Lap.* qui provocat ad v. 12; *Mar. Men. Tir. Trochon*), alii magis generaliter : gens israelitica non penitus exstinguetur (*Rup.*), alii *duplicem* i. e. grandem tribulationem exponunt : « solet Scriptura quod magnum seu excellens *duplex* dicere, sic : *duplici contritione, duplex spiritus, vestiti duplicibus* i. e. egregie » (*Sa*); alii : « cumulatum vobis inferet supplicium, ita ut non opus sit secundam plagam adiicere » (*Theod.*), « iterato ictu ferire » (*Theod. M. Theoph.*); sim. *Hitz.*, qui provocat ad 1 Sam. 26, 8. 2 Sam. 20, 10. At hisce in locis locutio est alia וְלֹא אֶשְׁנֶה לוֹ; unde probari nequit, eundem sensum nostro in loco adesse (cf. *Schegg*). Alii eodem modo exponunt, quo v. 12. 13 dicitur : *non affligam te ultra* (cf. *Keil*) et ad Iudaeos referunt, qui iam non per Assyrios sint affligendi. Verum nexus arctior est et oratio magis incitata, si membrum hoc priori subiungatur tamquam ulterior eius explicatio et confirmatio; idque etiam sequenti כִּי v. 10 suadetur.

LXX habent οὐκ ἐκδικήσει δὶς ἐπὶ τὸ αὐτό *non vindicabit bis in idipsum* (*S. Hier.*), quod dictum [2] opportunitatem dedit inquirendi, quomodo Deus idem peccatum non bis puniat; qua de re fuse disputant *S. Hier. S. Gregorius M.*, *S. Thomas*, *Alb. Sanct. Lap.* Secundum cod. syr. hexapl. *Theod.* textum hebr. ad amussim expressit; *Sym.* liberius : οὐχ ὑφέξουσιν ὁρμὴν δευτέρας θλίψεως cf. p. 215. 548, uti *S. Hier.* quoque de eo refert : non sustinebunt impetum secundae angustiae.

---

1. Ita quidem mss. At sane legendum, quod, ut dicit Martianaeus, antea legebatur *Ierusalem*; ita enim adest et concinnitas cum altero membro « decem tribus et Samariam » et veritas; nam Israel traditus erat Assyriis.

2. « Haec septuaginta interpretum verba citantur in canonibus Apostolorum cap. 25 suntque in sacros canones relata distinct. 81 cap. Presbyter » *Pint.*

Iam ipsa *consummatio* describitur et comparationibus adhibitis illustratur (unde v. 10 *quia*) v. 10 « *quia sicut spinae se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium, consumentur quasi stipula ariditate plena* » ; — spinae igni sunt destinatae, sic etiam Assyrii, quorum luxuries, tripudium, arrogantia convivio potantium comparatur; « in spinis duo consideramus : et stimulos qui compungunt et lacerant, et materiam ad incendium idoneam. In altero Assyriorum exprimitur vis inimica et noxia, qua nationes alias contrivere sibique reddidere vectigales et subditas; in altero exhaustam iam esse spinarum viriditatem et succum et concipiendae flammae iam esse dispositas » (*Sanct.*). Spinae in fasciculum collectae facile comburuntur, ita tota Assyriorum potestas facile funditus evertitur a Domino (cf. *Pint.*). Tota illorum gloria, pompa, maiestas coram Deo censetur adeo fragilis, misera, nullius prorsus momenti, sicut spinae et stipula arida. Quam facile praeda Domini fiant, etiam textus hebr. exprimit : *quia sicuti spinae complexi et sicut vino suo ebrii, devorantur sicut stipula arida plane* ; ebrii enim facile vincuntur et prosternuntur; quo magis arida est stipula, eo celerius ignem concipit. In illa *complexione* merito quoque cernes expressum, nullam partem vitaturam esse discrimen, omnia simul ruitura, una iri consumptum (cf. *Calm.*).

Versio *S. Hier.* hoc quoque loco proxime accedit ad *Sym.*, sicuti eius interpretatio servata est in cod. syr. hexapl. In hebr. proprie legitur : *usque ad spinas implexi* ; verum iam *Sym.* comparationem expressit *in similitudine stipulae.* Interpretes latini a *S. Hier.* et deinceps hunc quoque versum de clade Sennacherib explicant ; ea iam erat Hebraeorum acceptio, uti monet *S. Hier.* : « siquidem dum adhuc in terra Iuda sunt Assyrii et quasi spinae se invicem complectuntur laetantes atque gaudentes, ab angelo consumentur ». LXX versio longius a textu mas. recedit : « quia usque ad fundamenta [1] ipsorum in solitudinem redigentur et quasi smilax implicata comedentur et quasi stipula ariditate plena ». Explicat *Cyr.* : « smilax est frutex affinis hederae semperque in altum serpit et tenues ramos emittit et stirpes propinquas apprehendit, ut frequenter ab ipsa vel procerissimae arbores suffocentur ; id quod Assyrii faciebant semper in regiones et urbes irrumpentes...». *S. Hier.* graecum transtulit : et quasi volvola circumdata comedetur ; volvolam eodem modo describit ac *S. Cyr.*

1. Legerunt ergo עד יסודם, pro עד סירים, et כּבך pro dumeto vel vepribus acceperunt cf. Gen. 22, 13 ; unde *S. Hier.* graecum vertit : redigentur in vepres. *Houbig.* more suo textum mutat in hanc formam : nam qui ad pocula (vel ollas) circumsedent et in conviviis suis convivantur, consumentur. *Bickell* (Carmina vet. Test.) versum ita vertit et explanat : nam sicut spinae inter se implicati sunt. Sed etiamsi vinum suum madore aequent, nihilominus tamquam stipula arida igne penitus consumentur. — At explicatio haec : etsi vinum suum madore aequent, argutius dicta esse videtur et longius quaesita ; quare versio communiter recepta quae verbis prorsus respondet retinenda est. Contra eam obiicit : « versioni consuetae parallelismum destruenti obstat, quod implexus spinis nullam protectionem contra ignem praebet » ; sed id immerito dici neque hoc loco de protectione contra ignem institui sermonem, ex commentario quem dedimus elucebit.

— Non סירים sed שׂרים exprimunt *Syrus* et *Chald.*; ille : nam ipsi principes eorum rebelles sunt et in ebrietate sua ebrii; *Chald.* vero generatim in hoc propheta a simplici paraphrasi solito longius abest; exemplum accipe huius loci : quoniam principes gentium qui depraedati sunt domum Israel, sicut erraverunt in vino, ita seduxerunt ac consumpserunt eos, ut consumit ignis stipulam aridam multum.

Ratio autem, cur pernicies Assyriis immineat, est, quia contra Dominum mala consilia animis pertractaverunt et Dei voluntati se opposuerunt; ita v. 11 « *ex te exibit cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans praevaricationem* »; — clarius in hebr. *ex te exiit... consulens* [1] *impietatem* i. e. qui Dominum sprevit, eum in reliquorum deorum censu habuit, quare eius populum et urbem exscindere et ita eum imperio spoliare desideravit et similem pravitatem etiam aliis inspirare studuit. Pugnam igitur contra Deum et iniquitatum propagationem declarat vates iis demum fore exitialem. Plerique vel de Sennacherib (*Theoph. Rib.* [2] *Sanct. Pint. Lap. Sa, Mar. Men. Tir. Calm.*) vel de Rabsace (*Hier. Cyr. Theod. Alb. Calm.*) haec dici opinantur secundum ea, quae Is. cp. 36. 37. narrantur. Iis utique sermonibus quasi in exemplo superba Assyriorum indoles atque arrogantia impia depingitur; verum illa particularia solum sunt, hic vero propheta in universum reddit rationem, cur Ninive interire debeat, quare sententia etiam in universum intelligi debet de impietate et arrogantia omnibus Assyriorum regibus quasi iure hereditatis communi; quare nostro sensu adoptare possumus verba *Rup.* (qui versum de regibus Iuda explicat) : « exile videtur hoc sentire de uno, cum nota sit malitia vel praevaricatio regum vel principum fere cunctorum ».

Paucis adnotanda erunt, quae de huius carminis parte *Bickell* statuat (Carmina vet. Test. p. 212) : « exquisito artificio alphabetico struitur hoc carmen. Unicuique disticho litera ex ordine alphabeti usque ad Mem inclusive praemittitur, sed ea lege, ut Aleph iteretur et prima ultimaque stropha unicam tantam literam initialem recipiant. Hoc modo in initio secundi distichi literae Nun locus reservatur. Ceterae literae Samekh usque ad Tav (e quibus Pae, ut saepius, literae Ajin praemittitur) literas initiales Bet, Gimel, Dalet, He, Vav ita sequuntur, ut alternatim binae et singulae ponantur : ergo Samekh et Pae post Bet, Ajin post Gimel, Çade et Qoph post Dalet, Resch post He, Schin et Tav post Vav. Apparet hoc artificio vocales longas tempore Nahumi nondum plene scriptas esse, quod etiam inscriptionibus dibonitica et siloamitica probatur ». Carmen a v. 2-10 incl. versibus heptasyllabis contineri et octo

---

1. Cf. יעץ 2 Sam. 17, 7. 15. 1 Reg. 1, 12. Ier. 17, 21. Iob 26, 3; etiam Ex. 18, 19. 2 Chron. 22, 3. Adde quod יעץ sit regis consiliarius cf. Is. 1, 26; 3, 3; 19, 11. Mich. 14, 9. 1 Chron. 27, 32 etc.

2. *Rib.* tamen ita, ut sermonem fieri velit ad Iudam; ex te, Iuda, fugiet Sennacherib, eum sequitur *Sanct.*, et *Pint.* eam explicationem saltem etiam admittit : « potest etiam intelligi de horribili clade Assyriorum in castris... »!

strophis quae quaternis versibus constent describi l. c. proponit. In qua re certe aliqua sunt quae attentionem moveant. Ab Aleph usque ad Mem literarum ordo satis facile detegi potest. Habes enim א v. 2 et denuo in initio v. 3, si cum *Bickell* vocem Iahve versui antecedenti adscripseris; habes ב in altera versus parte, ג in initio versus quarti, ד coniectura debet restitui; sed literae sequentes satis commode sequuntur; ה in v. 5 priore parte, ו in altera; ז facili transpositione in initio v. 6 ponitur; ח in altera versus parte rite suo loco consistit; item v. 7 ט et י; v. 8 potest inchoari a כָּלָה; ut ל suo loco appareat, aliqua opus est transpositione; altera enim v. 9 pars לֹא *non consurget duplex tribulatio* collocari debet ante priorem מַה *quid cogitatis*. Reliqua alphabeti pars ita in istis versibus distributa videtur, ut post ם statim in eadem voce sequantur ס et פ (scil. v. 3 b בסופה sine scriptione plena); ע post ג in v. 4 גער (sine scriptione plena); צ et ק eadem coniectura restituuntur qua ד; legit enim *Bickell* v. 4 pro priore אמלל quae vox in fine versus denuo repetitur, aliam vocem scil. *daquq*. Post ה v. 4 rite occurrit ר הרים; sed ש et ת sola coniectura restituuntur; legit enim *Bickell* in v. 4 b *veschet*, quae vox sine Aleph scribitur, ut Num. 24, 17, et vertit: et fit commotio (vel interitus) terrae. Sed quamquam haec magna sagacitate sunt excogitata, tamen dubitare licebit an cum eadem verisimilitudine proponantur. Nam modus quo altera alphabeti pars distribuitur, est nimis obscurus, obvolutus, singularis; *ludum* potius sapit quam artificium poeta dignum: *aenigma* lectoribus proponit, non, uti fit in psalmis alphabeticis, artem et literarum seriem clare exhibet. Omitto coniecturas quibus opus est. Sed illud interrogo: quare artificialis haec structura subito v. 10 cessat, cum tamen v. 11 et etiam sequentes versus arcte cum antecedentibus cohaereant et cum eis unum aliquod efficiant? — Res tamen digna videtur, quae lectori curioso commendetur.

Rei veritatem, uti in eventibus maximis et humanam vim vel exspectationem longe superantibus fieri assolet, Deus iterato affirmat conditionibus etiam adiectis, ut appareat rem omnino esse ad exitum perducendam neque esse vaticinium ab ulla dependens conditione, ad quod fortasse applicare liceat normam illam apud Ieremiam 18, 7. 8 propositam; ita v. 2 « *haec dicit Dominus: si perfecti fuerint et ita plures, sic quoque attondentur et pertransibit. Afflixi te et non affligam te ultra* »; — « licet, inquit, robusti sint Assyrii et fortitudo eorum numero augeatur cunctarum gentium; sic quoque.. tondentur; quomodo enim numerus capillorum acutae forcipi non repugnat, ita et numerus adversariorum Dei facili succisione tolletur et pertransibit Assur et esse desistet » (*S. Hier.*). *Perfecti*, in hebr. *integri*, *incolumes*; etsi optime sint instructi « arte pugnandi, viribus corporis, armis, numero militum, et ordinatione sive instructione acierum, et ita plures fuerint, quam modo sunt » (*Alb.*), tamen iis omnibus non obstantibus « quam facile crines forcipe succiduntur » (*Rup.*), vel quam facile oves tondentur sive foena secantur, tam facile illi delebuntur (— ad metaphoram tondendi [1] cf. Is.

---

1. Iam *Lap.* notat: « *attondentur* i. e. attondebuntur, sic enim multa verba secundae coniugationis usurpantur et coniugantur in tertia, uti pro ferveo dicitur fervo, pro fulgeo

7, 20. *Pint.*). Sed cum ruina inimicorum et iudicio in eos devoluto arcte coniungitur, uti iam v. 7 indicatur, populi Dei prosperitas et salus; quare additur afflixi te ... i. e. iam non permittam, ut ab Assyriis tribulationes inferantur similes illis sub Achaz, Ezechia, Manasse (cf. 4 Reg. 16. 18; 2 Par. 28. 32. 33, 11); Assur enim pertransibit i. e. evanescet, peribit, exsistere quasi cessabit (cf. Ps. 90, 6 hebr. Iob 34, 20).

Illud *non affligam te ultra* clarius determinatur v. 13 « *et nunc conteram virgam eius de dorso tuo et vincula tua disrumpam* »; — *virga* Assur dure incumbebat (cf. Is. 9, 4; 10, 5. 24); « vel per metaphoram potestatem eius significat, vel certe virgam, qua percutere conabatur et vincula quae captivis parabat » (*S. Hier.*). Hebr. *et nunc conteram iugum* [1] *eius a te*, illud scil. auferens *desuper te* (hebr.), « non quod perpetuam securitatem polliceatur, sed illius tantum temporis et ab illis hostibus » (*S. Hier.*). Usus erat Deus *virga Assur* ad puniendum populum suum rebellem vel contumacem; iam *virgam* istam frangit et proiicit. Id annuntiatur versu sequenti, qui eadem ratione ad antecedentem adiungitur, qua supra v. 8 us ad v. 7 um; v. 14 « *et praecipiet super te Dominus : non seminabitur ex nomine tuo amplius. De domo dei tui interficiam sculptile et conflatile ponam sepulcrum tuum, quia inhonoratus es* »; — i. e. non propagabitur in posterum ex nomine tuo, id quod dicit : imperium Assyriorum et natio interibit, ex serie regnorum et populorum delebitur; vel, ut *Theod.* explicat : « non amplius nomen tuum subditis imponetur; subditi enim a suis regibus nomen accipere soliti sunt; sic a Babylone Babylonii...» (sim. *Theod. M. Theoph.*). Simul cum natione eiusque regno et gloria *exscindam* (hebr.), inquit Dominus, *de domo dei tui*, Assur scil. qui in inscriptionibus tamquam regum Assyriorum dux, dominus, consiliarius celebratur, idola varii generis; quod dicit : simul cum regno Assyriorum idololatria assyriaca concidet, quia populi numinisque gloriae et interitus mutua adesse credebatur habitudo (cf. Is. 46, 1. Ier. 48, 7. Am. 1, 15), quare iam Ex. 12, 12 : « et in cunctis diis Aegypti faciam iudicia ». *Sculptile* simulacrum est ex ligno vel lapide confectum; *conflatile* statua est fusilis, idolum ex aere confectum; saepius utrumque iungitur cf. Deut. 27, 15. Iud. 17, 3. Is. 48, 5. Et postquam populi gloria concidit et una cum ea idola quo-

---

fulgo, pro sedeo sido »; cf. *Kaulen*, Handbuch zur Vulgata p. 193. — Verbum גָּזַז frequentius ad ovium tonsuram quam capillorum refertur; de pratis quoque dici posse, colligitur ex Am. 7, 1. Ps. 72, 6.

1. Scil. מֹטֵהוּ a מוֹטָה cf. Ier. 28, 10. 12. Ez. 34, 27. Lev. 26, 13. LXX et *S. Hier.* legerunt מַטֵּהוּ, dum *Syrus* et *Chald.* cum textu mas. *iugum* explicant.

que, *ponam sepulcrum tuum*, haec omnia sepulcro condentur, ut oblivio perpetua et mors perennis et abolitio illa nunquam revocanda designetur. Talem autem sortem subibit Assur, *quia levior inventus es* (hebr.) vel *inventus es minus habens*, cf. Dan. 5, 27; i. e. appensus in Dei statera inventus est Assur inutilis, vilis; iam non ad Dei consilia promovenda valet vel quae divina providentia ab eo expetiit, non praestitit, quare cum contemptu abiicitur et deletur (cf. Ez. 32, 22).

Veterum multi hunc quoque versum de Sennacherib explicant. Audiatur *S. Hier.* : « *non seminabitur ex nomine tuo amplius*, statim quippe Niniven reversus Sennacherib a filiis suis occisus est (lege Isaiam) et occisus in domo dei sui quam adoraturus intraverat. Hoc est enim quod ait : *de domo dei tui interficiam* : inde punieris, unde sperabas auxilium. Erit sculptile et conflatile sepulcrum tuum, ut inter aras et pulvinaria adorantis idola sanguis nefarius effundatur » ; sim. *Alb.* : « templum sculptilis et conflatilis ponam sepulcrum tuum » ; *Rib.* : « potuit cadaver trahi et a festinantibus aut contemnentibus sub altari aliquo idolorum abscondi » ; *Mar.* : « inter idola sepelieris » sim. *Pint. Men.* At certe iungi oportet : *interficiam sculptile et conflatile*; uti iam iungunt *Rup. Pint. Sanct. Lap.*, qui v. g. ita de hac re disserit : « haec iungenda sunt cum Hebr. Chald. Septuag. [1] et Romanis, licet Biblia Regia, S. Hier. Remigius, Haimo, Lyranus et Clarius aliter disiungant, nimirum sic : *de* (i. e. in) *domo dei tui interficiam* scilicet te, o Sennacherib ; *sculptile, et conflatile ponam sepulcrum tuum* » ; *Tir.* De Sennacherib etiam *Calm.* explicat. Praedici volunt ab eo iam non generatum iri filios *Rib. Lap. Sa, Pint. Mar. Tir.*, eius nomen interiturum *Men.* ; aliter *Alb.* : « semina tyrannidis tuae et oppressionis ulterius non colliges » ; valde singulariter *Sanct.* : « neque ex subditorum labore in regium horreum inferentur frumenta ». *S. Cyr.* verba illa ad Israelitas refert : « non eris dispersus in omnes gentes, captivus et erro ».

Uti v. 7. 12. 13, ita nunc quoque additur, cum quanta pro Ierusalem laetitia et salute iudicium in Niniven sit coniunctum ; sunt enim Dei iudicia, sicut nubes illa in exitu ex Aegypto tenebrosa inimicis Dei, amicis autem illuminans noctem (Ex. 14, 20). Unde v. 15 « *ecce, super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem ! Celebra, Iuda, festivitates tuas et redde vota tua, quia non adiiciet ultra ut pertranseat in te Belial; universus interiit* » ; — cf. Is. 52, 7. 1 ; adveniunt scil. nuntii a septemtrione per regiones montanas ad Iudaeam promulgantes casum et castigationem Ninives et inde consequentem pacem ac securitatem pro Iuda ; cf. Is. 14, 4 : « cessavit exactor, quievit tributum ». « Ad veterem Hebraeorum morem alludere videtur propheta, ponendi

---

1. Num recte LXX affert *Lap.* ? *S. Cyr. Theod. Theod. M. Theoph.* explicant ita, ut idola fiant sepulcra. Bene vero *Chald.* adducitur, qui scribit ibi ponam sepulcrum . . .

scil. in montibus exploratores, cum vel provincia tumultibus aestuaret vel de gravissimis rebus ageretur, ut ignibus aliisve signis, de quibus conventum fuerat, hostium invasiones aut ea quorum causa missi fuerant, quam citissime nuntiarent » (*Calm.*). Nuntius ille de iudicio Dei et pace pro bonis consequente merito dicitur *evangelium*, laetus, prosper, faustus, utpote qui plurima in se continet bona. Quare Iuda admonetur, ut festis in gratiarum actionem celebratis et sacrificiis oblatis et votis, quae tempore angustiarum voverint, redditis ac rite persolutis diem illum agant sollemniter; iste enim *Belial* i. e. homo nequam, praevaricator (ita vocem vertit *S. Hier.* 2 Reg. 23, 6), apostata (cf. Iob 34, 18), vastator, parans exitium, cum *totus* perierit, Iudaeos iam non molestia afficiet.

Textus hebr. et syriacus ita dividi solet, ut hic versus sequentem sermonem incipiat, dum in LXX et apud *Chald.* ad antecedentia adnectitur, uti in *vulg.* Hoc omnino praeferendum esse videtur. Nam uti v. 7 iam docemur, iudicium Dei in hostes terrificum saluti est piis; ergo hic quoque id enuntiari post ruinam Assyriorum, prorsus est ad indolem sermonis efformatum. Accedit quod v. 12. 13 ruinae Assyriorum salutaria promissa pro Iuda adiunguntur; cum igitur v. 14 denuo sermo regrediatur ad ruinam ulterius delineandam, haec descriptio oppositione salutis et exsultationis Iudaeorum eodem modo concinne absolvitur. — Minus apte in initio sermonis secundi de ruina ponitur. —

Apud Isaiam 52, 7 haec verba de salute messianica usurpantur. Ea adhibet Nahum de quadam huius salutis *praeparatione*. Quotiescumque enim Iuda e periculo eripitur, ideo eripitur, quia consilia Dei i. e. opus messianicum impleri debent; et si potentia Deo adversa conteritur, ideo conteritur, quia in populo iudaico adesse debet *Emmanuel*. Hanc normam divinam praeclare docet Isaias : « congregamini, populi, et vincimini, confortamini et vincimini, accingite vos et vincimini; inite consilium et dissipabitur; loquimini verbum et non fiet, quia nobiscum Deus » (*quia Emmanuel* hebr. 8, 9. 10).

SERMO ALTER CAP. 2

ARG. — Cum in eo sit, ut urbs ab hoste impugnetur, monet propheta, ut se parent ad bellum. Ea autem calamitas urbi imminet, quia Dominus gloriam populi sui instauraturus ultionem capit de inimicis. Huius autem ultionis ministros virtute bellica et plurimo apparatu instructos propheta ex una parte accuratius describit, ex altera parte, quid contra eos

Ninivitae moliantur. At Ninive ruit; omnes fuga dilabuntur (2, 1 - 8). Hostes immensam capiunt praedam et ad vastitatem et ruinam omnem Ninives superbiam adducunt, ita, ut magna cum admiratione regni et potestatis splendor et terror, qui olim fuerit, cum praesenti ruina comparetur. Talem vero vastitatem, tale exterminium adducet Dominus (2, 9 - 13).

a) **Impugnatio et casus urbis 2, 1-8.**

Postquam vates in sermone primo ruinam Ninives causasque magis in universum delineavit, iam ad particularia et determinata descendit. Atque primo quidem annuntiat hostilem exercitum, armis ac robore insignem, sub duce invicto obsidionem urbis Ninives esse moliturum; quo vero exitu, statim primis verbis clare indicatur : v. 1 « *Ascendit qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionem* » ; — hebr. verte : *ascendit perfringens* (conterens) *contra faciem tuam* i. e. contra te et simul *coram te* i. e. aperte, ita ut tu cum horrore testis sis invasionis impetusque hostilis; in altero membro statim indicatur, cur dissipator ascendat ob oculos tuos (ut *Pagninus* vertit) : *obsidet arcem* i. e. ascendit ad obsidionem vel *custodiat* i. e. perseveret in obsidione, donec expugneris (*Pint.*). Quare Ninivitas ad defensionem et sedulam curam et fortitudinem exhibendam adhortatur : « *contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valde* » ; — i. e. *speculare viam* (hebr.), diligenter viam observa, custodi, qua hostes aggressuri sint, ut eos impedias; « videsis, quinam tibi superveniant » (*Theod. M.*) ; dein : « quidquid habes virium, collige, ut resistas » (*Lap.*), *confortare lumbos* « est robur et fortitudinem assumere, vires colligere, excitare in se fortitudinem et animum intrepidum ad quidvis audendum... etenim in lumbis posita est magna pars roboris animalium; unde illud 2 Par. 10, 10 : *minimus digitus meus grossior est lumbis patris mei*, et imbecilli Latinis dicuntur elumbes » (*Rib.*). Adhortatio est ironia et irrisione plena (cf. *Alb.*), quare etiam *bis* profertur : *robora*... virtutem tuam viresque collige, auge, quantum vales.

S. Hier. vertit *custodiens obsidionem;* in hebr. legitur infinitivus absolutus נָצוֹר, quem alii per imperativum exprimunt, ita ut ab eo iam incipiat adhortatio ad Ninivitas irrisoria (cf. *Pint. Ros. Hitz. Keil, Trochon*). Infinitivum ea significatione adhiberi constat. Verum cum non *una* hac usurpetur, dispiciendum erit, num alius usus hoc loco non sit aptior. Ponitur enim etiam post verbum *finitum*, ita ut eodem modo quo illud sit explicandus, vel ut priori verbo aliquod adiunctum vel conditionem aliquam addat, vel per modum exclamationis (v. g. nostro loco *obsidenda est arx*! cf. *Gesenius - Roediger*, hebr. Gram. §. 128, 4; *Naegelsbach*, hebr. Gram. §. 93, B, a;

Ewald, Ausführl. Lehrb. §. 240 a. 351 c). Iam nostro loco cum ita concipi debere censeo, ut verbum finitum עָלָה subsequatur et explicet; ita primo maior habetur concinnitas versus, cum duobus eius membris tria alia subdantur, dum e contra unum quattuor subsequerentur; dein verbum generalis significationis עָלָה speciali modo determinatur, ut invasio et impetus fieri *obsidione* intelligatur; tertio locutio ad Ninivitas fit per tres imperativos; quare prorsus arbitrarium est, infinitivum absolutum etiam per imperativum explicare et non potius eum ad verbum antecedens referre; quarto ad membrum antecedens referunt quoque LXX, *S. Hier.*, quibus *Chald.* et *Syrus* quoque possunt annumerari, quia quattuor membra eadem ratione ad dissipatorem referunt. Habere autem נָצַר *obsidendi* notionem, extra controversiam est; cf. Ier. 4, 16. Iob 7, 20, uti verbum eiusdem significatus שָׁמַר 2 Sam. 11, 16 adhibetur; vide *Ges.* Thes. p. 907; *Fürst* L. s. v. — *Hitz.* מֵפִיץ explicat *malleum* (Streithammer); cuius interpretationis iam *Rib.* mentionem facit, afferens Prov. 25, 18. At quam coacte hic dicatur: *ascendit malleus*, nemo non sentit. — Sermonem fieri ad Niniven, plerique rite explicant (cf. *Hier. Cyr. Alb. Pint. Lap.*); dissipatorem, qui dispergat esse Nabuchodonosorem, docent *Hier. Alb. Rib. Pint. Lap. Sa, Mar.*, esse Chaldaeum *Men.*, Medum *Tir.*; Cyrum vero intelligunt *Cyr. Theoph.*; sermonem dirigi ad Iudam pauci volunt, inter quos *Theod. Theod. M. Sanct. Calm.* LXX habent ἐξαιρούμενός σου ἐκ θλίψεως; proinde legerunt מִצָּרָה pro מְצוּרָה; ultimo reliquae versiones adstipulantur.

Haec autem obsidio et consequens expugnatio et ruina urbi Assyriorum imminet, quia Dominus memor populi sui electi, quem Assyrii conculcarunt, eum ad promissam dignitatem evehere vult (cf. 1, 7. 12. 13) v. 2 « *quia reddidit Dominus superbiam Iacob sicut superbiam Israel; quia vastatores dissipaverunt eos et propagines eorum corruperunt* »; — i. e. Assyrii vastatores populum Dei multis modis vexarunt, afflixerunt (cf. 4 Reg. 15, 19 et iam ante illud tempus, uti ex inscriptionibus cuneiformibus elucet; de qua re lege in prolegg. ad Ionam — 4 Reg. 16, 7; 17, 3; 18, 14. 2 Par. 28, 21; 32, 1; 33, 11) et *propagines* i. e. vineam Domini, quo nomine populus Dei frequenter audit (cf. Ps. 79, 9. Is. 3, 14; 5, 1. 7; 27, 2. Ier. 2, 21; 12, 10. Ez. 17, 6. Os. 10, 1) *corruperunt*, partem populi electi repetitis vicibus in exsilium abduxerunt regno Israel impugnato et destructo; ipsos Iudaeos multis calamitatibus, expugnatis urbibus, agrorum vastatione, abductione captivorum infestarunt (cf. Is. 22, 17; 33, 1). Verum Assur virga furoris est in manu Domini (Is. 10, 5), qua utique populum suum percutit; sed filios suos castigat, non ut eos abiiciat, at ut emendet et ad dignitatem ipsis promissam evehat. Hanc vocat *superbiam Iacob* i. e. excellentiam, magnificentiam (— hebr. גָּאוֹן maiestas, sublimitas, gloria cf. Mich. 5, 4); quare populum e miseria erigit et ita ipse Deus *redit* ad sublimitatem Iacob (hebr.) [1], cuius quasi oblitus erat, dum illos hosti-

1. Ita ad literam שָׁב; quamvis non desint, qui voci significationem *hiphil* tribuant scil. *restituit*; ita *S. Hier. Syrus, Chald. Pint. Ros. Hitz. Ges.* Thes. p. 1372.

bus traderet vexandos. Unde *sublimitas Iacob sicut Israel* i. e. totius populi electi omniumque tribuum consistit in magnificis Dei promissis, quae serie continua a priscis temporibus usque ad tempora Nahum facta sunt, quorum vi populus Dei eripi, salvari, ad instaurationem messianicam adduci debet. Ita vocem בְּאוֹן esse accipiendam, rite perspexerunt *Syrus, Chald.* quos *Lap.* quoque affert, *Pint. Sanct. Schegg, Trochon* eiusque interpretationis etiam *Estius* meminit. Ea sane optimum praebet sensum et talem, qui sollemnis est apud prophetas, hostes scil. deiici, quia Dominus consilia salutis et gloriae in populo suo statuere et in opus deducere vult. Stante tali Dei consilio eo magis elucet, quam indigna res sit, *quia vastatores* ... et quantopere ultio Dei in tales impugnatores regni theocratici provocetur. Igitur propheta ruinam Ninives ex altissima Dei specula contemplatur : Assyriorum imperium contra regnum Dei superbe insurrexit, ergo ruinae devovendum est.

Alii *superbiam Iacob* fastum intelligunt et arrogantiam Iudaeorum, quos punierit Deus (*Lap. Men.*) eo sensu, ut Deus qui populo suo peccanti non pepercerit, a fortiore censeatur poenas exigere ab Assyriis. Complures explicant *superbiam Iacob* vim ac superbiam a Sennacherib vel generatim ab Assyriis illatam et Iudaeis et Israelitis, quam iniuriam Deus iamiam sit ulturus (cf. *Hier. Rup. Alb. Pint. Rib. Sa, Mar. Tir. Cord. Calm.*). Verum expositio supra data non solum ampliorem praebet sensum atque multo digniorem, verum etiam ipsis verbis שׁוּב et בְּאוֹן unice est accommodata. Nam *redire, se convertere ad sublimitatem Iacob* sane idem est *re* ac magnificentiam Iacob restituere, reducere, ergo deiectam Iacob conditionem erigere et sospitate gloriaque donare. De שׁוּב c. accus. rei, ad quam fit reditus, cf. Num. 10, 36. Ps. 88, 5; perperam vero *Keil* provocat ad Gen. 50, 14. Ex. 4, 20; istis in locis enim adest ה locale : *redire in Aegyptum.*

Indicavit propheta obsidionem Ninives (v. 1) eiusque causam et ultimam altissimamque (2a) et proximam (2b). Quasi sua sponte iam exercitus ultoris descriptio adiungitur : arma, apparatus bellicus, furor et ingens tumultus infinitae multitudinis ad horrorem et pavorem incutiendum exhibentur; sicque patet, quam vere dictum fuerit : *ascendit perfringens*, et quam irrisoria sit illa ad Ninivitas exhortatio triplex (v. 1). Unde v. 3 « *clypeus fortium eius ignitus, viri exercitus in coccineis; igneae habenae currus in die praeparationis eius et agitatores consopiti sunt* » ; — describitur exercitus ille tamquam *fortium*, validorum, heroum *eius* scil. Domini (v. 2), quia a Domino mittuntur et bellum De contra Niniven gerunt ; eodem scil. modo, quo Deus apud Isaiam loquitur : « ego mandavi sanctificatis meis » (Is. 13, 3). Id propter v. 2 propius adiacet, quam quod plerisque (cf. *Hier. Alb. Sa, Pint. Rib. Lap. Schegg*) placet, fortes intelligi *dissipatoris* (v. 1). — Arma, vestimenta,

totus apparatus bellicus ad terrorem incutiendum facta sunt. *Clypeus rubeus est* (hebr. cf. *Rib.*) i. e. scuta obducta sunt aere, chalybe polita, et ita resplendentia colore rubicundo, fortasse etiam, ut veteribus mos [1] erat, auro vel argento ornata. Ostendit enim cura armorum splendori et ornatui impensa animum bellandi cupiditate flagrantem (cf. *Sanct.*). Et adde, quod *Alb.* habet : « ignitum vocat, quia propter peltas aureas circumpositas sole desuper insidente ignem clypeus videtur emittere ; 1 Mach. 6, 39 : « refulsit sol in clypeos aureos et aereos, resplenduerunt montes ab eis et resplenduerunt sicut lampades ignis ». *Viri virtutis* (hebr.) i. e. validi, fortes, heroes vestiti sunt *coccineis* chlamydibus [2] ; « color hic coccineus, utpote sanguineus, repraesentat Chaldaeorum feritatem, quod sanguinolenti sunt futuri multumque in Ninive sanguinem fusuri ; ita *Remig. Alb.* et *Arias* » (*Lap. Pint.* et comparant Apoc. 9, 17). « Quod autem ait : *igneae habenae currium,* in ardentibus loris velocitatem properantium significat et quasi ἐπισκευῆς praeparantium se ad proelium pompa narratur » (*S. Hier.*) ; habenas i. e. lora quibus dirigebant equos, etiam ita ornabant, ut fulgida et lucida viderentur ; « in habenis autem phaleras intelligimus, ex parte videlicet totum » (*Rib.*). Atque currus Assyriorum variis ornamentis solis, lunae, stellarum fuisse insignes, ipsae earum imagines produnt in parietibus depictae et exsculptae, quae ab Assyria in urbem Londinum translatae ibi in Musaeo britannico expositae cernuntur. Bene describit *O. Strauss* : « Assyriorum currus, quales in monumentis conspicimus, horrent fulgentibus rebus, seu e ferro seu e chalybe factis, securibus, arcubus, sagittis clypeisque, et quibusvis instrumentis, equi coronis rubrisque cirris ornati, temones denique fulgent bus solibus lunisque apparent distincti ; quo adde armatos milites, curribus instantes ; quibus rebus omnibus fieri non potuit, quin radiis insuper solis collustrati cum ingenti celeritate volitantes flammarum conspectum referrent » (apud *Keil* h. l.). Iam quae de Assyriorum armis noscuntur, haud immerito etiam ad finitimarum gentium

---

1. De Assyriorum clypeis vide *Layard*, Discoveries in the ruins of Niniveh and Babylon p. 194 : the hields are of bronze and circular, the rim bending inwards and forming a deep groove round the edge ; the handles are of iron ; cf. *Rawlinson*, Five Monarchies, 2 ed. I. 429. 445. II. 312. III. 7. Veterum ea de re locos vide apud *Sanct. Rib. Calm.* Notum est illud militis gloriosi apud *Plautum* : curate, ut splendor meo sit clypeo clarior
Quam solis radii esse olim, cum sudum est, solent.

2. Colorem rufum vestesque coccineas gratas fuisse militibus veterum, multis locis ostendunt *Sanct.* et *Lap.* — Est תולע *vermis coccifer*, unde *coccus, color coccineus, panni coccinei* ; inde verbum denominativum h. l. Aliis color iste symbolum est irae divinae ; quare milites talibus vestibus indutos quasi ministros apparere volunt furoris divini (cf. *Theod.* ad Zach. 1, 8 ; *Trochon*).

apparatum bellicum transferre licebit. Nostro enim loco apertum est, prophetam non Ninivitarum vel Assyriorum arma depingere (uti volunt *Cyr. Theod. Theod. M. Mar. Calm.*), sed hostium invadentium, i. e. Medorum et Chaldaeorum (cf. *Alb. Rib. Sa, Lap. Schegg*). De eorum autem moribus bellicis non adeo multa memoriae nostrisque oculis servata sunt (cf. *G. Rawlinson* l. c.). Quae ita desunt, iure supplentur ex descriptionibus Nahum et Habacuc (1, 6-11).

Obscurum est membrum ultimum. Cum modo mentio inciderit curruum, eaque denuo occurrat v. 5, iam aurigas vel equites nominari exspectabis; eos revera in medium proferunt LXX, *Syrus* et certe etiam *S. Hier.* vertens *agitatores* [1]. Sed quod addunt θορυβηθήσονται, *obstupescunt, consopiti sunt*, ad hostium invadentium descriptionem minime aptum est. Num igitur membrum hoc ad Ninivitas referri debet? Referunt *S. Hier. Alb. Rib.*, atque ne adeo repentinam sermonis mutationem quis miretur, *S. Hier.* advertit : « commixtim nunc de Israel quae olim passus sit, nunc de Assyrio quod fecerit, nunc de Babyloniis quae exerceant in Assyrios, Scriptura contexitur ». Sed etsi talem mutationem vel admiseris vel neglexeris, sensus commodus aptusque non apparet. Quomodo enim apud Assyrios in urbe obsidione occlusos equitum vel aurigarum obstupefactorum mentio subito incidit? Tale incommodum perspicientes alii neque orationis filum subito ad alios esse transferendum censentes vocem *consopiti sunt* explicare conantur : vino et ebrietate temulenti audacia maxima in omnia pericula ruunt; nihil timent, ac si essent ebrii (cf. *Sanct. Sa, Men. Tir. Gord.*), et Chaldaeos adeo praecipites ferri et ferventes in pugnam volunt, ut furor illis et vinum mentem omnem et consilium eripuisse videantur [2]. Sensus utique non spernendus; at unum desidero, ut scil. ex verbo ipso fluat.

Textum *mas.* vertunt: *cypressi* i. e. lanceae cypressinae *agitantur* (cf. apud *Pint. Lap. Mar. Houbig. Trochon, Keil*). Sed valde dubito, num talis metaphora apud Hebraeos ullo exemplo simili possit commendari; afferunt quidem interpretes et lexicographi exempla ex scriptoribus graecis latinisque (cf. *Ros. Ges.* Thes. p. 247) deprompta, sed ea et perpauca sunt neque ullo pacto persuadent, talem coactam loquendi rationem exstitisse apud Hebraeos; quid enim magis absonum fingi potest, quam dicere : abietes, quercus concuti pro parva illa lignea lancearum parte ex abiete facta? Quare, si alicubi, certe hic coniecturae locus esse potest, si tamen coniectura vocanda est ea lectionis restitutio, quae ex vete-

1. Legerunt ergo פרשים pro *mas.* ברשים *cypressi agitantur*, librantur. Si *Chald.* idem legit, quod textus mas. habet, *cypressos* metaphorice de viris magnatibus explicavit ; praebet enim : proceres exercitus eorum operti sunt vestibus coloratis.

2. Minus apto *Pint* : « dormient securi quasi iam capta praeda ».

rum versionum vestigiis haud difficile colligitur; unde rescribamus in textu hebr. id quod LXX, *Syrus* et certe etiam *S. Hier.* legerunt, vertamusque: *et equite tumultu agitantur*; quod membrum antecedenti descriptioni apte subiungitur, est enim sensus: aurigas curribus insidentes agitari, manibus, gestibus, toto corpore motitari, quo maxima velocitate currus protrudant et bellandi ardorem ostentent; vel si mavis, *equites* intellige, qui cursu veloci equitantes moventur et quasi librantur.

Alia difficultas nondum satis expedita iacet in hebr. ἅπαξ λεγ. פְּלָדֹת. In dialectis cognatis (etiam in lingua persica) vox פְּלָדָה *chalybem* dicit. Quare fortasse res e chalybe factae, ornamenta curruum ex chalybe facta nostro loco intelliguntur: *in igne ferramentorum currus* (scil. cernitur) *in die praeparationis eius*, in die certaminis i. e. currus splendore ornamentorum ex chalybe et ferro lucet quasi igne; id quod apprime valet de Assyriorum curribus (cf. *Layard* l. c. p. 151; de Elamitarum curribus vide p. 449 — *G. Rawlinson* l. c. I p. 407 et seq.). Sunt, qui *falces* explicent, ita *Tir. Ros. Hitz.*; sed currus falcatos apud eos populos in usu fuisse, ostendi nequit. *S. Hier.* secutus est LXX, qui verterunt: αἱ ἡνίαι τῶν ἁρμάτων. *Syrus* vertit ac si legisset לַפִּידִים *faces*; *Chald.* exprimit vocem hebr. per פִּילֵי; פִּיל alias est *elephas*; quid hoc loco sibi velit, obscurum est (cf. *Levy*, Chald. Woerterb. II p. 262).

Quanto impetu et terrore hostes irruant ad urbem cingendam et expugnandam, ulterius exhibetur v. 4 « *in itineribus conturbati sunt; quadrigae collisae sunt in plateis; aspectus eorum quasi lampades, quasi fulgura discurrentia* »; — « tanta est, inquit, multitudo venientium, ut commixtum agmen sit in itinere et discerni nequeat; ipsae quoque quadrigae dum viam non reperiunt, prae multitudine inter se colliduntur in plateis » (*S. Hier.*). Itaque describitur hostium agmen irruens, quale e moenibus arcis Ninivitarum conspicitur. Unde parum interest, utrum currus dicantur *insanire* (hebr.) et prae impetu ac velocitate inter se collidi in campis et regionibus extra urbem (cf. *Hitz. Schegg*), an ipsis in vicis, plateis, suburbanis Ninives, intra cuius spatia iam versentur ad arcem principalem oppugnandam (cf. *Keil, Trochon*). Sed propter v. 7 prior tamen explicatio praeferenda videtur[1]. Hostium velocitas, furor, splendor armorum, impetus ardorque pugnandi describitur: *aspectus eorum sicuti faces, sicut fulgura discurrunt* (hebr.), « ut ante visu adversarios terreant, quam mucrone prosternant » (*Hier.*); ita ferocitatem

---

1. Neque verba hebr. obstant; nam חוּצוֹת *campi* sunt, cf. Iob 5, 10. Prov. 8, 26 et praeterea vide Iob 18, 17. Deut. 32, 25; cf. *Ges.* Thes. p. 436. Etiam רְחֹב significat *spatium amplum, aream, forum* ante portam urbium; cf. *Ges.* Thes. p. 1281. — Verbum הלל in *hithpoel* Ier. 25, 16 vertit *Hier. insanient*; Ier. 46, 9 *exsultare*; Ier. 50, 38 *gloriari*; Ier. 51, 7 *commoveri*; 1 Sam. 21, 14 *collabi*. Est שָׁקֵק *currere* cf. Ioel 2, 9. Is. 33, 4; *avidum esse* Is. 29, 8. Prov. 28, 15. Ps. 107, 9; unde *hithpalpel* est *inter se discursitare* et consequenter propter impetum cursus *inter se collidi*.

pugnantium et splendorem armorum designari, etiam apud poetas in more est positum ; exempla vide v. g. apud *Rib. Sanct.*

Ab hostium irruentium aspectu vates se convertit ad Ninivitas eorumque conatus periculi propellendi causa susceptos v. 5 « *recordabitur fortium suorum ; ruent in itineribus suis, velociter ascendent muros eius et praeparabitur umbraculum* » ; — Assur scil. recordabitur (cf. *Alb. Sa*) heroum suorum, principum, ducum, per quos olim immensam gloriam militarem innumerasque victorias reportavit, quos nunc ad urbem defendendam convocat. At formidine perterriti et periculis trepidi *impingunt* vel corruunt *in incessibus suis* (hebr.), dum ad moenia properant *eius* scil. urbis (cf. 1, 1. 8). Neque omnis defensio negligitur ; nam *praeparatum est tegens* (hebr.) i. e. tegumentum, testudo, qua milites tecti hostes oppugnantes secure depellere possint et ipsi a sagittarum vel telorum iactibus in tuto collocentur. Comparari possunt aliqua ratione varia genera arietum, tecta umbraculis ex ligno vel pellibus confectis, vel scuta illa maiora in moenibus suffodiendis adhibita, quibus Assyrii in obsidendis urbibus utebantur et quae in eorum monumentis efficta cernuntur (cf. *Rawlinson* l. c. I p. 470-474).

At, ut bene notat *S. Hier.* : « quid prodest aedificare domum, nisi Dominus aedificaverit ? quid iuvat claudere portas, quas Dominus reserat » ? Propheta statim oculis subiicit exitum oppugnationis : urbs ope inundationis et aquarum impetu, quo moenia disrumpebantur, demum capta est, quem eventum propheta non ita obscure innuit futurum v. 6 « *portae fluviorum apertae sunt et templum ad solum dirutum* » ; — hebr. verte : *et palatium dissolvitur,* uti LXX καὶ τὰ βασίλεια διέπεσε, et uti ipse *S. Hier.* indicat scribens : « templum i. e. regnum eius destructum est », arx regia corruit (cf. apud *Sanct. Lap. Mar.*), quatenus a parte potiore destructio urbis innuitur. Fieri etiam potest, ut illa inundatione fatali palatium regium maius tulerit detrimentum ; nam uti inscriptione aliqua regis Sennacherib docemur [1], palatium regium aquis inundantibus saepius damno afficiebatur — quare Sennacherib palatii fundamentis altius meliusque constructis illud tutum reddere studuit ab

1. Inscriptio, sub nomine *Bellino* qui illam imitatione expressam exhibuit assyriologis nota, duos priores annos regni Sennacherib comprehendit ; prostat in tomo I p. 63 Inscriptionum Musaei brit. ; eius versio a *Talbot* facta legitur in Records of the Past, vol. I p. 25 seq. — Quod supra tetigi, ita legitur : the river Tibilti had ruined the brickwork of it (vid. royal palace), when it ravaged the quays of the central city. . . for a long time this river had undermined the front of the palace. In the high water of its floods it had made great rents in the foundations and had washed away the *timin* (i. e. cylindrum, qui inscriptione de aedificii origine ... coopertus in fundamento includi solebat). . . That small palace I pulled down... The low platform I raised higher and paved it firmly with stones of great size covered with bitumen.

undarum iniuria. *Portae fluviorum aperiri* dicuntur, quando aquarum vis omni repagulo remoto magno impetu super ripas effunditur et omnia undis cooperiuntur; quamdiu enim flumina suis in alvis continentur, quasi clausis portis aquarum moles in tuto collocatur. Haec explicatio et obvia est et facilis verbisque accommodata atque ad rei eventum apprime consentanea (cf. quae ad 3, 19 notata sunt); indicat eam *Barh.* [1] et approbat *Trochon.*

De aliorum explicationibus haec sufficiant : proxime ad rem accedit *Lap.* : « portae Ninives, quae ducunt ad Tigrim, eius eluvione et hostium irruptione apertae sunt; ita Clarius, Vatabl. Dionys. »; sim. *Pint. Tir.*; ita *Keil* quoque, intelligi portas ad fluvios sitas iisque munitas. *Calm.* autem portas fluminum dici censet ab Hebraeis pontes vel arcus; secutus est chaldaicam paraphrasin, quae haec habet : pontes fluviorum excisi sunt (cf. *Levy*, Chald. Woerterb. I p. 157). Alii ad metaphoram confugiunt alias inauditam; dici scil. fluvios multitudines hominum, quippe qui per plateas fluminum instar fluant. Sed ii quoque non uno modo explicant : « apertae sunt portae Ninive, quae ad instar fluminum habebat civium multitudinem »; ita *S. Hier.*, quem sequuntur *Alb. Rib. Sa, Mar. Men. Schegg* et plerumque provocant confirmationis causa ad v. 8 *Ninive quasi piscina aquarum*; alii : portae apertae sunt, per quas hostes fluminum more irrumpunt *(Ros.)*; alii ita dici volunt plateas, quae ad portas ducunt, in quibus incolae fluunt *(Hitz.)*. Sed hanc interpretandi rationem iam *Lap.* repudiat, eam dicens tantum *symbolicam*. Alio parumper modo *Sanct.* rem proponit : « divisiones murorum, quas fecerunt catapultae et arietes aut aliud quodvis murale tormentum, portae dicuntur fluviorum, quia per illas Chaldaei quasi erumpentes fluvii, in urbem populabundi sunt ingressi. Haec explicatio mihi omnium videtur expedita maxime; in aliis multa aut fingenda sunt aut supplenda; alia non parum a litera contorta ».

Expugnationem urbis solitae miseriae subsequuntur captivitatis, exsilii, variaeque afflictionis v. 7 « *et miles captivus abductus est et ancillae eius minabantur gementes ut columbae, murmurantes in cordibus suis* »; — *ancillae eius* scil. Ninives (cf. v. 5 *muros eius*), mulieres sunt et matronae, quae olim nobilitate et opibus insignes iam ancillarum in modum abripiuntur in servitutem; quare significationem doloris vocibus querulis gementes edunt et infortunii magnitudinem *pulsantes super corda sua* (hebr.) i. e. pectora tundentes more acerbe lugentium pandunt (cf. *Pint. Lap. Men. Mar. Tir.*); aliis placet *ancillas* dici oppida circa Niniven sita, quae eandem cum metropoli sortem experiantur (cf. *Cyr. Theod. Theod. M. Theoph. Alb. Sa*); utrumque *S. Hier.* proponit. *Mur-*

---

1. In scholio ad v. 9 : Arbaces Persa quando urbem subiecit, confregit portas in Tigride contra Niniven et inundavit eam.

murantes, ut *S. Hier*. vertit, ita ipse explicat : « tantus terror erit, ut ne in singultus quidem et ululatum erumpat dolor, sed intra se tacite gemant et obscuro murmure devorent lacrimas in morem mussitantium columbarum ».

Textus hebr. praebet vocem וְהֻצַּב, quam sequitur גֻּלְּתָה ; utriusque explicatio in controversia est. Hanc enim explicant vel : *nudata est*, i. e. urbs Ninive turpiter tractatur et ignominia afficitur ; vel : *abducta est* in captivitatem. Cum sequatur הֹעֲלָתָה, prior interpretatio est praeferenda ; ergo habitu turpi abducitur (cf. Is. 47, 2. 3).

Magis intricata quaestio de voce priore agitur. *S. Hier*. vertit, ac si מצב legisset 1 Sam. 13, 23 *statio militaris* et 14, 1. 4. 6. 11 vel מֻצָּב *praesidium militare* Is. 29, 3 vel ac si forma הצב esset aequivalens הַצָּבָא *exercitus*. LXX vertunt duas illas voces ἡ ὑπόστασις ἀπεκαλύφθη ; id explicat *Theod*. : « quae olim occultata fuerant et multis repagulis communita, omnibus revelata sunt ». Itaque de thesauris intelligit. Et aperte *S. Cyr* : « ὑπόστασιν δὲ τὸν πλοῦτον ἀποκαλεῖ, quas opes ex iniuria, rapinis, fraudibus Ninive sibi collegerit ». *Chald*. vocem declarat *reginam*, hancque interpretationem non solum rabbini, verum etiam recentiores quidam secuti sunt, *Huzzab* esse censentes nomen proprium reginae Ninives v. g. *Ewald, Rückert* aliique, quos vide apud *Schegg*. Insulse derivant appellationem rabbini ex Ps. 45, 10 *astitit regina* נִצְּבָה (cf. *Ges*. Thes. p. 1147). Ipse *Schegg* nomen Assyriae esse vult *symbolicum* : *firma*, vel *truculenta* (cf. יצב), sicuti Aegyptus apud prophetas audit Rahab i. e. superba Is. 30, 7 ; 51, 9 ; rex Assur Iareb i. e. litigator Os. 5, 13 ; Ierusalem Ariel, vallis visionis, Oholiba (Is. 22, 1 ; 29, 1. Ez. 23, 4).

Aliud *Ges*. proponit ; vocem enim cum superiore sententia iungit : *palatium dissolvetur et diffluet* et tum v. 7 incipit. Sed צבב hac pollere significatione, ex hebr. probari nequit. Ceterum veteres omnes aliter iunxerunt ; id quod non negligendum esse videtur. Aliis placet vertere : *decretum est* (cf. *Keil, Trochon*,) ita ut ignominia et captivitas Ninives ad decretum Dei referatur. Bonus quidem sensus ; at *decretum est* adeo ieiune dicitur neque scio, num simili exemplo ; solent enim prophetae alias dicere vel *Dominus dixit* vel *Dominus fecit*, *cogitavit* (cf. Is. 9, 6 ; 23, 9. Ier. 51, 12. Lament. 2, 8. 17). *Hitz*. legit הַצָּב et vertit : *lacerta revelabitur* i. e. ex latibulo suo extrahetur, quod per modun proverbii dictum esse vult more Arabum, qui de lacerta multa iactent proverbia. — Quodsi coniectura est facienda, quare non potius legamus הַצְּבִי *splendida, magnifica* ? est enim צְבִי *splendor*, *decus* et apud Is. 13, 19 Babylonia dicitur *decus regnorum* ; apud Ez. saepius Palaestina vocatur *decus terrae* cf. 20, 6. 15 ; 25, 9 Dan. 8, 9 etc. Certe haec coniectura apta est et facilis. Ceterum nihil certi de loco adeo intricato pronuntiari potest. Selige ex opinionibus, quas recensui, quae minus impedita tibi videtur.

Ruinam cernens Ninives propheta miratur urbem adeo olim militibus plenam, quae iam ab omnibus turpi fuga dilapsis deserta sit. Quanta cum velocitate bellicam gloriam cum summa ignaviae ignominia commutavit ! v. 8 « *et Ninive quasi piscina aquarum aquae eius ; ipsi vero fugerunt. State, state ! et non est qui revertatur* » ; — « piscinae Niniven

comparat plenae et exundanti propter incredibilem civium multitudinem quam continebat et populorum auxiliariorum quae se infuderat copiam innumerabilem » (*S. Cyr.* sim. *Theod.*) ; idque eo aptius, quia urbs accadice ita scribitur, ut *domus qiscis* explicetur (cf. *Strassmaier*, Verzeichniss d. akk. assyr. W. n. 6238. 6261) ; at Dominus mare eius desertum facit et siccat venam eius (cf. Ier. 51, 36) ; hostis enim impetum non sustinent ; celeri fuga se proripiunt. Frustra duces hortantur animosque ignavis et terrore insano perculsis addere student ; praecipiti fuga diffunduntur (cf. Ier. 46, 5). Milites fusi fugatique sunt et quicumque ex aliis regionibus populisque in illam metropolin confluxerunt, etiam quanta possunt celeritate, imminentem ruinam effugere student ; cf. Ier. 50, 16 : « unusquisque ad populum suum convertetur et singuli ad terram suam fugient ».

Uti *S. Hier.*, ita etiam LXX legerunt ; scil. מֵימֶיהָ *aquae eius* i. e. habitantium multitudo — cf. Apoc. 17, 15 *aquae, quas vidisti, populi sunt et gentes et linguae* — et cum Ninive iam *piscinae* comparata sit, metaphora hoc loco facile est obvia. Verum quia *piscina* idem iam exprimit, lectio textus hebr. quam etiam *Chald.* sequitur, praeferri debet מִימֵי הִיא *ex diebus* quibus fuit illa i. e. ex diebus antiquis, uti Chald. habet ; Ninive ex priscis iam temporibus incolis abundabat et antiqua gloria erat insignis ; quare casus eius eo magis est lamentabilis.

b) Praedatio et vastitas 2, 9-13.

Fugientibus pugnatoribus thesauri metropolis per longum imperium et plurima bella collecti [1] in facilem praedam cedunt victoribus v. 9 « *Diripite argentum, diripite aurum ! et non est finis divitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus* ». — Frustra acclamatum est *state* v. 8 ; alius clamor qui iam tollitur ad victores exhortandos, effectu non carebit. Verba sunt vel principum (*Schegg*), vel generatim Medorum et Chaldaeorum inter se ad opima spolia capienda adhortantium (cf. *Pint. Lap. Sa, Mar. Men. Gord.*), aut potius prophetae, qui nomine Dei hostes excitat ad iudicium in Niniven exsequendum (*Sanct. Trochon*) ; cf. 1, 8 ; 2, 2. 13. Is. 13, 3. Ier. 50, 25 - 27. Et sane suum erit direptioni pretium : *et non est finis apparatui* (ornatui, opibus) ; *adest copia gravis ex omni supellectile pretiosa* (hebr.) i. e. « dicitur ad Babylonios : quia illi fugerunt, diripite argentum et tanto tempore congregatas opes subita vastatione praedamini. Non enim est finis divitiarum, supellectilis et vasorum, quae in

1. De immensa copia confer veterum narrationes apud *Movers*, Die Phoenizier II, 3 p. 40; neque eae adeo sunt improbabiles, cum ex inscriptionibus quoque discamus immensam praedam in Niniven fuisse collectam ; vide ad 3, 1.

Ninive condita sunt » (*S. Hier.*). *Ornatum* esse constitutum in lapillis indicis censet *S. Cyr.* : « morem enim habebant Assyrii seu Ninivitae, multos pretiosos lapides perstudiose conquirere et iis instar puellarum ornari, ut contenderent in ipsis quoque conflictibus ornamentorum splendore insignes apparere ».

Post praedationem tradita est destructioni et vastitati. Talem enim sortem ei infligendam esse pro illo odio, quo in urbem olim potentissimam flagrabant, censebant victores. Eius vastationis horrorem et terrorem vates ita describit : v. 10 « *dissipata est et scissa et dilacerata, et cor tabescens et dissolutio geniculorum et defectio in cunctis renibus et facies omnium eorum sicut nigredo ollae* » ; — « sub metaphora captivae mulieris Ninive dissipata, scissa, lacerata describitur : tabescente corde, dissolutis genibus, renibusque confractis, et quod omnium habitatorum eius prae terrore hostium et magnitudine metus facies in ollarum similitudine videantur exustae, tabidae et pallore deformes » (*S. Hier.*). Verborum accumulatio « omni genere contritionis contritum eos iri » (*S. Cyr.*) dicit. In hebraeo adest nervosa paronomasia : *vacuitas, evacuatio, evanidatio* i. e. perfectissima quaedam destructio, quae nunc per singula enumeratione quadam declaratur : *cor* i. e. animus, fortitudo, concidit et quasi confringitur; *cor liquefactum* (hebr.) ; « sicut enim cera admota igni liquescit et tabescit, ita et cor admotum vehementi angustiae, dolori et pavori liquescens concidit » (*Lap.*) ; « in genu robur cruris est ad incessum, ad cursum, ad erectionem iacentis corporis ; quare genuum dissolutio aut tremor imbecillitatis indicium est et defectionis virium » (*Rib.* qui veterum quoque poetarum ea de re testimonia profert) ; ad omnium virium defectionem accedit *dolor vehementissimus in omnibus lumbis* (hebr. [1]), quasi parturientium dolor, cf. Ier. 30, 6 : « quare vidi omnis viri manum super lumbum suum quasi parturientis et conversae sunt universae facies in auruginem ? vae, quia magna est dies illa... tempusque tribulationis est Iacob ». Atque dolor iste ac pavor et tremor in omnium aspectu et habitu maxima vi expressus legitur ; unde *facies omnium* [2]... vide Ioel 2, 6. Is. 13, 8. Ier. 30, 6. Ez. 20, 46 ; « atrae omnium facies ac deformes, quasi os carbone li-

---

1. Vocem חַלְחָלָה S. *Hier.* Is. 21, 3 *terrorem* ; Ez. 30, 4 *pavorem* vertit.

2. LXX τὸ πρόσωπον πάντων ὡς πρόσκαυμα χύτρας ; ceu adustio ollae ; « prae metu, inquit, rigebit sanguis ; facies autem omnium lividae reddentur, quod in maximis frigoribus contingit, ut illi parti ollae similes fiant, quae igni admota et propterea praeusta nigrescit » *Theoph.* « Semper enim nescio quo modo tristium vultus infuscantur, oculorumque fulgorem terrores invadentes vehementer hebetant » *S. Cyr.* Similiter explicat *Syrus* : « omnium vultus reddam nigros ut fuliginem ollae » et sim. *Chald* : « omnium facies opertae sunt colore nigrorum ut olla » (cf. *Levy*, Chald. Woerterb. I p. 28).

niverint. Asserunt itineraria quaedam, orientales in luctu ora fuligine ollarum tingere. Utitur passim huiusmodi locutione Scriptura, ut insolitum luctum, plumbeum, atrum, fuscum oris luridi squalentisque colorem describat » *(Calm.)*. Igitur « septem dictionibus grandisonis, quo videlicet numero universitas designari solet » (*Rup.*), mala omnia Ninivitis obventura describit [1].

Eam rerum mutationem admiratur propheta, ita ut modo oratorio pristinam potentiam ac splendorem in memoriam revocet et quasi obstupefactus quaerat v. 11 « *ubi est habitaculum leonum et pascua catulorum leonum ; ad quam ivit leo, ut ingrederetur illuc, catulus leonis et non est qui exterreat* » ? — hebr. *ubi ambulabat leo, leaena* [2], *catulus leonis et non* (erat) *exterrens* i. e. ita, ut nemo posset vel auderet eos turbare vel terrere. Symbolo leonum Assyriorum potentia, terror, devastatio quam aliis intulerunt nationibus, aptissime exhibetur, idque eo magis, quia ipsi Assyrii, prout monumenta creberrime ostendunt, leonum emblemate delectati eorum statuas quasi custodes portarum et palatiorum ponebant et in leonum venatione summam gloriam et voluptatem constituebant (cf. *Layard*, Discoveries p. 278. 295. 359 etc. *G. Rawlinson* l. c. I p. 355 et seq.). Ninive est *habitaculum*, ut urbs principalis ; *pascua* non est eadem urbs (*Sanct. Lap. Tir.*), neque Assyria (*Schegg*), sed regiones subiectae, ex quibus praedam et spolia capiebant, ad quas quasi in campum venationum amplum exspatiari solebant (cf. *Cyr. Theod. Theoph.*). *Catulos* intelligunt satrapas, duces, principes regis Assyriorum, per quos regnum administrabant, bella gerebant (cf. *Cyr. Theod. Theoph. Lap. Men.*) ; alii tali enumeratione seriem regum longam declarari volunt ; « catuli iidem sunt atque leones » (*Theod. M.*). Antea ubique secure et cum maiestatis terrore incedebant, ita ut nemo hiscere auderet (cf. Is. 10, 14), nemo iis resistere posset (cf. Is. 10, 9 ; 36, 8. 9). Quare immensa spolia ex variis regionibus ceperunt iisque metropolin superbe exornarunt et impleverunt, omnium opes et innumera trophaea illuc comportantes v. 12 « *leo cepit sufficienter catulis suis et necavit leaenis suis, et implevit praeda speluncas suas et cubile suum rapina* » ;

---

1. Initium versus ita redditur a LXX : ἐκτιναγμὸς καὶ ἀνατιναγμὸς καὶ ἐκβρασμός ; explicat *Theoph.* : « quae in motibus concussa terra consueverunt fieri, ea nunc hostium attribuit adventui . . . *excutit* itaque tellus vel decutit, quando super ipsam stantia decutiuntur ; *succutit*, quando fundamenta produxerit ex imo in altum proiiciens ; *eiicit*, quando veluti cribro hinc inde permovens inferiora secernit et in altum ducit ».

2. Scil' לְבִיא leaena ; LXX, *S. Hier. Syrus* legerunt לָבוֹא τοῦ εἰσελθεῖν, *ut ingrederetur*. Sed lectio hebr. multo melior est. — Bene notat *Theod. M.* ad *ubi* ? : « σφόδρα διασυρτικῶς. nam quia Assyrii perpetuis in bellis versati fuerant, semperque aliquos veluti venando persecuti, quonam, inquit, dux vester abiit ; in quamnam venationem profectus est » ? Mirum est, *leonem* h. l. intelligi Nabuchodonosorem a *S. Hier. Rup. Haim. Alb.*

— qui comparationem ad singula membra exigendam esse censent, catulos explicant filios regum Assyriorum, leaenas reginas et concubinas, quibus rex opima spolia, divitias, provincias, contulerit[1]. Spelunca illa spoliis referta est Ninive, urbs regia, « cubile leonis », leonum figuris amplissimis olim adornata. *Leonem* h. l. Nabuchodonosorem intelligunt *S. Cyr. S. Hier. Haim. Pint.* Plerique vero regem Assyriorum rite agnoscunt; aliqui inter utrumque haerent (*Calm.*). Ad rem sunt verba *Theoph.* : « quia enim bestiae strangulare solent a se comprehensa animalia, tumque ex illis alimoniam capere, non dissimili ratione assyrii, inquit, reges alia dissolventes regna, propriis leonibus h. e. pueris suis ac regibus, illorum opes et undecumque collecta vectigalia coacervarunt... ». Longa consuetudo in hebr. designatur verbi forma : *leo rapiens pro sufficientia catulorum suorum, et suffocans pro leaenis suis.*

Verum seriem istam et leonis maiestatem et terrorem Dominus facillime aufert et delet v. 13 « *ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, et succendam usque ad fumum quadrigas tuas et leunculos tuos comedet gladius; et exterminabo de terra praedam tuam et non audietur ultra vox nuntiorum tuorum* » ; — « *ecce ego ad te*; phrasis usitatissima in prophetis, cum Deus magnum ac certum ac cito venturum supplicium comminatur » (*Rib.*) ; *Dominus exercituum* (Sabaoth), cui agmina coelestia et terrestria subserviunt, destruet apparatum bellicum, milites gladio tradet, opes collectas et tot victoriarum spolia exscindet et Ninive, quae tot principes, legatos in omnem circa regionem ad multarum gentium obsequia et vectigalia accipienda miserat, iam silentio, oblivione in aeternum sepelietur. Bene *S. Hier.* : « o Ninive, universa quae dicta sunt, patieris. Ego Dominus succendam usque ad fumum et consumptionem currus tuos et nobiles quosque atque subregulos gladio faciam devorari; nequaquam terras ultra vastabis nec tributa exiges nec audientur per provincias tuas emissarii tui ». Quam funditus Ninive eversa est ita, ut citissime quoque ex hominum memoria ubi olim urbs fuisset. oblivione deleretur!

TERTIUS SERMO CAP. 3

ARG. — Propheta scelera Ninives commemorat et poenam iis congruam ; idque *bis* eodem ordine : continuo enim caede, fraudibus, rapinis alias

1. Afferunt *Sanct.* et *Lap.* ex actione 5. in Verrem : « solere barbaros reges Persarum et Syrorum plures uxores habere ; iis autem uxoribus civitates attribuere hoc modo : haec civitas mulieri in redimiculum praebeat, haec in collum, haec in crines. Ita populos habent universos non solum conscios libidinis suae, verum etiam administros ».

gentes oppressit, quare belli horrore et immensa clade prosternetur; insuper gentes subiectas variis turpis idololatriae sceleribus corrupit; quare summa ignominia in omnium conspectu punietur, ita ut omnes cum fastidio maximo et summa irrisione irreparabilem Ninives ruinam explodant (3, 1-7). Neque eam amplissimus belli apparatus avertet. Id propheta ostendit recenti Thebarum, urbis potentissimae Aegypti, exemplo. Licet enim Thebae et natura et arte essent munitissimae eisque praesto adstarent copiae auxiliares ex Aethiopia et Africa septemtrionali fere innumerae, tamen misere captae sunt earumque principes et incolae servituti subiecti. Eadem sorte Ninive corruet; eius enim munitiones facile ac cito destruentur, milites fortitudine destituentur; hostes victores ingressi igne omnia vastabunt (3, 8-13). Quare propheta Ninivitas ironice exhortatur, ut contra urbis obsidionem se communiant. At licet copias innumeras colligant, velociter peribunt, absumentur igne. Opes immenso commercio acquisitae praedae erunt hostibus; invalidae et prorsus impotentes erunt copiae Ninivitarum; principes, nobiles, vulgus, omnes aut interibunt prostrati aut dispersi fugient. Erit ruina irreparabilis, cuius nuntium propter tyrannidem Ninives tamdiu exercitam omnes magno cum tripudio suscipient (3, 14-19).

Hac oratione scelera imperii assyriaci distinctius enumerantur (v. 1. 4); ignominia ruinae quae futura sit cum reliquarum gentium applausu, magis effertur (v. 5-7. 10. 19) atque prorsus frustra ingenti conatu Assyrios contra ruinam illam omnia molituros esse clarius proponitur (v. 8 seq. 15 seq.). Demum impetus hostilis, combustio urbis, regni excidium praeclaro dicendi genere verbisque maxime perspicuis illustrantur (v. 2. 3. 7. 13. 15. 18. 19). Quare praecedentes orationes hac tertia declarantur et absolvuntur.

a) **Scelera denuntiantur et poena 3, 1-7.**

Ninive vel imperium assyriacum reliquas gentes caedibus, vario fraudum genere, spoliationibus oppressit; quare vates *vae* illi denuntiat v. 1 « *Vae civitas sanguinum! universa mendacii dilaceratione plena! non recedet a te rapina* »; —hebr. *universa illa mendacio, dilaceratione plena*. Bene *Chald.*: « vae civitati fundenti sanguinem »; continuis enim bellis in alias gentes saevierunt Assyrii; « promptissimi ad caedes et admodum sanguinarii fuerunt reges Ninives; alii ex eorum numero belli cupidi et in quos ducerent, eos semper implacabili feritate vexare connitentes » (*S. Cyr.* sim. *Theod. M. Pint. Mar.*). Et quanta crudelitate et quot caedibus usi sint in bellis gerendis, satis superque monumenta hodiedum servata ostendunt (cf. *Layard* l. c. 448. 456. *Rawlinson* l. c.

I 243. *Schrader*, Die Keilinschriften und das Alte Test. 2. ed. p. 196. 210. 233. 235. 262. 303. 324 [1]).

Accedit, quod in subigendis nationibus *mendacio* i. e. fraudibus, dolis usi sunt, fidem iuratam et foederum sacramenta violaverunt (cf. *Cyr. Theoph. Alb. Pint. Calm.*), falsis promissionibus deceperunt (comparat *Theod. M.* promissa a Rabsace facta Is. 36, 16). Ita vi et fraude omnes spoliarunt; quare urbs *dilaceratione* [2] plena, i. e. rapinis violentia et crudelitate factis more belluarum rapacium, quae praedam discerpunt. Idque factum est continuo; quare additur *non recedet...* i. e. nunquam non Ninive rapinis erat plena [3]; erat quasi leonum spelunca semper praeda referta (cf. 2, 13); designatur « pertinacia in malo » (*Alb.*) et « continuum latrocinium » (*Calm.*). Eandem regni indolem reprehendit Is. 33, 1.

At qua re Ninive peccavit, eadem punietur; bellico furore et terrore oppressit; bellico horrore ipsa opprimetur. Quem impetum vivis coloribus, « mira elegantia, proprietate, maiestate verborum » (*Rib.*) vates describit, quasi eum irruentem iam oculis cerneret et auribus perciperet v. 2 « *vox flagelli et vox impetus rotae et equi frementis et quadrigae ferventis et equitis ascendentis* v. 3 *et micantis gladii et fulgurantis hastae et multitudinis interfectae et gravis ruinae, nec est finis cadaverum et corruent in corporibus suis* »; — primo currus bellici quattuor dictionibus exhibentur : *vox* vel *sonus flagri*, quo aurigae equorum cursum accelerant et aërem strepitu implent; *sonus strepitus rotae* (hebr.), qui simul cum multiplici flagrorum sonitu percipitur; *et equus currens et currus saliens* (hebr.) i. e. prae celeritate currus, praesertim in campo vel ad minimum inaequali, subsultare et salire videntur rapide concussi. Praeter currus citato cursu equites quoque ad certamen feruntur : *eques ascendens et flamma gladii et fulgur lanceae* (hebr.); arma coruscantia promuntur et quasi incendia et fulgura undique horrorem et mortem spargunt, id quod statim subditur (et ita declaratur, quid tales milites istis effecerint armis) : *et multitudo percussorum et ingens pondus cadaverum, nec finis corporibus* (hebr.) i. e. ingens mortuorum cumulus

1. In regum Assyriorum inscriptionibus consueta est mentio, multa millia esse occisa; alios cruci affixos, captivos innumeros esse abductos, civitates esse dirutas et solo aequatas, conculcatas urbes, arbores frugiferas excisas; cf. *Schrader* l. c. 338. 347. 351.

2. Notat *S. Hier.* : « in hebraeo habetur *pherec malea* (פֶּרֶק מְלֵאָה), quod interpretatus est Aquila ἐξαυχενισμοῦ πλήρης id est *excervicatione plena*; Symmachus autem ἀποτομίας πλήρης, quod possumus dicere *crudelitate* vel *severitate plena*; in altera eius editione reperi μελοκοπίας πλήρης id est *sectionibus carnium et frustris per membra conscissis* ».

3. Inscriptiones frequentissime praedam captam et abductam in urbem Asur commemorant cf. *Schrader* l. c. 195. 196. 216. 233. 235. 256. 260. 287. 292. 293. 303. 318. 347.

acervatur, continuo corpora caesorum corporibus iam prostratis adduntur, et ita quidem, ut ipsis victoribus prae corporum ubique iacentium mole fere obstruantur viae et aditus occludatur : *impingunt in corpora eorum* (hebr. cf. *Vat. Tir. Calm.*).

Vera dicendi lumina a propheta promuntur; quare rite advertit *S. Hier.* : « tam pulchra autem iuxta hebraicum et picturae similis ad proelium se praeparantis exercitus descriptio est, ut omnis meus sermo sit vilior ». Atque membra illa brevia, consisa, solis nominibus conflata quam maxime apta sunt ad vivam rerum imaginem exhibendam et dum per modum exclamationis proferuntur, etiam audientium animos vehementer percellunt, et crebris particulis iuncta impetum et praecipitem ruinae cursum delineant. Elegantem descriptionem oculis subiicere conantur interpretes : audi *S. Cyr.* : « mihi videtur propheta tumultuationem proelii veluti ante oculos positam perspicue commemorare; videt enim quodammodo urbem equorum ungulis pulsatam et curruum rotis perstrepentem et omni armorum genere clarissime fulgentes vastatores et innumeros eversores » ; audi *Sanct.* : « haec pulchra quaedam hypotyposis exercitus, qui alacri atque incitato cursu properat ad sumendum de Ninive supplicium, aspirans caedem et sanguinem et ad paratam sibi praedam anhelans ». At circumlocutio quaevis vim illam et energiam in simplici verborum serie apud vatem constitutam non adaequat et si plura iis addideris, brevitatem illam ictusque continuos, quibus pondus inest maximum, enervasti. — *S. Hier.* ad *integram* sententiam retulit *vocem*, a qua descriptio incipit; verum commodius id non fit. Ceterum verum est, quod *Sanct.* adnotat : « *vocis* significatio apud Hebraeos latissime patet et idem est quod sonus, undecumque proveniat... quare vox dicitur sonus, qui auditur a flagello aurigae; vox rotae, cum praecipiti celeritate volvitur; vox item hinnitus equorum : quaecumque demum a corporum collisione audiendi sensum tangunt et movent » ; unde iuxta *vulg.* expone : « videor etiam audire sonum gladii micantis, i. e. exacuti, optime praeparati iam Assyrios caedentis et hastae longe lucentis et splendorem quasi fulguris emittentis » (*Rib.*) ; est enim militibus cura maxima, ut arma tersa sint et splendida. Illud *vulg. corruent in corporibus suis* de Assyriis dicitur (cf. *Rib. Sanct. Lap.*) ; *S. Hier.* advertit, textum duplici modo intelligi posse : « vel cadent a sua multitudine, dum a se invicem constipantur; vel in cadaveribus corruent interfectorum [1] » ; et hoc ultimum praefert *Pint.*

1. Priore modo intelligunt Graeci, qui etiam verba subsequentia ἀπὸ πλήθους πορνείας huc trahunt ; cf. *Cyr. Theod. Theoph.* — Ceterum ad totam descriptionem confer veterum poetarum locos, quos *Sanct.* et *Lap.* proferunt.

Praeter caedes, iniurias, rapinas omnemque crudelitatem et oppressionem Assyrii turpi etiam idololatria peccarunt atque hanc et vitia ei congenita aliis quoque gentibus persuaserunt easque in eundem insaniae ac libidinis furorem rapuerunt. Haec est alia ratio, cur Ninive supplicio prosterni debeat, quam vates exsequitur v. 4 « *propter multitudinem fornicationum meretricis speciosae et gratae et habentis maleficia, quae vendidit gentes in fornicationibus suis et familias in maleficiis suis,* v. 5 *ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, et revelabo pudenda tua in facie tua et ostendam gentibus nuditatem tuam et regnis ignominiam tuam* » ; — Niniven Michaeas quoque vocat meretricem cf. Mich. 1, 7. Quando *fornicari* de Israelitis dicitur, frequenter idololatriam designat. Atque eam etiam h. l. ita designari, plerique interpretum censent (cf. *Hier. Theod. Theoph. Alb. Barh. Pint. Rib. Sanct. Sa, Lap. Mar. Men. Calm.*). Atque iure quidem. Nam cum talis appellatio prophetis esset in usu posita, nihil obstat, quominus etiam ad gentes transferatur, quippe quae cum verum Deum naturali rationis lumine potuerint cognoscere (cf. Sap. 13, 1. Rom. 1, 18. 19), vere dicantur a vero Deo defecisse ac recessisse et ad idola defluxisse; hisce autem scortatio idololatriae continetur. Accedit, quod Assyrii magnam in eo curam ponebant, ut quocumque arma inferrent victricia, etiam symbola erigerent ac monumenta « Assur » vel « magnorum deorum » et gentes devictas ad eorum adigerent cultum (cf. *Rawlinson* l. c. I 240). Multiplex vero idololatria Assyriorum magna pompa peragebatur; hodiedum adhuc apparent in monumentis vestes sacrae maxima cura elaboratae, supplicationes sollemnes pompa magnifica ductae etc. (cf. *Rawlinson* l. c. II 40. 41). Et cum idolorum cultus apud Assyrios ea quoque vitia haberet associata et quodammodo consecrata, ad quae corrupta et ad libidines prona natura humana quam maxime sollicitatur [1], mirum non est, si ipsa Ninive meretrix appellatur *gratiosa* (hebr.), quae sit *domina praestigiarum* (hebr.); tali enim cultu, qui sit libidinum fomes, quasi philtris quibusdam omnium mentes et animos ad se pellexit; adde varia magiae et veneficio-

---

1. Confer legem prostitutionis, qua omnis femina saltem semel in vita tenebatur apud Babylonios; *Herod.* 1, 199 αἴσχιστος τῶν νόμων, uti *Herodotus* iuste indignatus loquitur; eundem morem innuit Baruch 6, 43; ceterum cf. *Rawlinson* l. c. I 241. II 41. *P. Scholz,* Goetzendienst p. 266. Atque Assyrios idolorum cultum apud alios propagasse, testis est inter alia inscriptio Salmanassar II. : deos meos collocavi in palatiis eius (scil. regis victi) cf. *Schrader* l. c. p. 195. Huius rei exempla v. g. leguntur de Asarhaddon, qui in aliquo cylindro narrat, legatum reginae Arabum (?) ad se venisse cum donis magnificis et petiisse, ut dii ipsi redderentur. Annuit quidem Asarhaddon, verum supra deorum imagines scribenda curavit elogia Assur et gloriam sui nominis et ita reddidit idola (cf. *Ménant,* Annales des rois d'Assyrie p. 243 ; *Budge,* History of Esarhaddon p. 57; vide *Civiltà cattolica* serie XII vol. V p. 168). Aliud exemplum legitur in opere a *Smith* edito Asurbanipal p. 283.

rum genera, quae nunquam non aderant (cf. *Cyr. Theoph.*). Ad eadem crimina gentes quoque subiectas *vendidit* i. e. impulit ac protraxit, libertate iis adempta (cf. *Theod. Theod. M. Theoph. Alb. Pint. Rib. Sanct. Lap.*).

Quare iustum Ninives supplicium in eo erit, ut quam maxima cum ignominia et omnium irrisione ac ludificatione intereat. « Haec autem omnia sub metaphora mulieris narrantur adulterae, quae cum fuerit deprehensa, producitur in medium et ante oculos omnium depompatur » (*S. Hier.*). *Ecce ego ad te* cf. 2, 13; et « ut scil. virtute divina fiat, quod virtute humana non credis esse futurum » (*Alb.*), *Dominus exercituum* summam suam ostentans potentiam eas ingerit minas : *retegam fimbrias tuas super faciem tuam* (hebr. cf. *Pint. Rib. Sanct. Lap. Mar.*), ut detracta pompa et fuco exteriore sordes omnes maxima cum verecundia omnium oculis appareant; cf. Is. 47, 3. Ier. 13, 26. Ez. 16, 37. Os. 2, 10. Lament. 4, 21. Mich. 1, 11. Hab. 2, 15. Apoc. 3, 18.

Alii *fornicationes* explicant de commercio et mercatura (cf. Is. 23, 17), alii de fraudibus et simulatis amicitiis, quibus Assyrii alias gentes deceperint et suo imperio subiecerint (cf. *Hitz Keil, Trochon*); *maleficia* esse dolos ac vafritiem illam astutam, quibus veluti magicis artibus gentes innodaverint et suo iugo submiserint. At quae ex istis vera sunt, iam v. 1 in *mendacio* declarantur, neque ullo pacto constat, Assyrios meretricum in morem adulationibus, blandimentis, deliciis propositis gentes suo imperio addidisse, verum bellis atrociter ac continuo gestis. Unde artes meretricias alibi quaeras oportet, neque aptius quidquam occurret, quam quod ex plurimorum sententia supra est propositum de *idololatria*. Hac explicatione et novum aliquid recensetur priorique criminationi additur et id effertur, quod non solum nomini congruit ex usu prophetico sed etiam apud Assyrios obtigisse probatur. Quare explicatio tradita rationibus firmis innititur. Insuper non est censendum, prophetam idololatriam adeo turpem talemque vitiorum fautricem sine gravi censura fuisse omissurum. — Poenam v. 5 intentatam varie declarant; « ex metaphora dictum est a famulis desumpta qui ad maiorem contumeliam exuuntur et flagellantur; ait ergo : omnibus iniquitatem tuam per punitionem notam faciam, et regibus et gentibus » (*Theod.*); « cooperiam, inquit, te ignominia omnimoda, veluti cum quis aliquem excruciaturus detractam e vestem in vultum congerit universam, ut turpe sit nuditatis spectaculum, amara autem cruciatuum exspectatio, qui quidem capite vestibus obvoluto ne rem quidem praesentem cernere potest » (*Theod. M.*); alio modo rem concipit *Theoph.* : « monstrabo gentibus quas vicisti, quod neque tum tu fortis fueris, quando eas subieceris tuo imperio, sed me mea voluntate ea fecisse, ac regna, quae te antea tamquam fortem venerata sunt, nunc imbecillitatis tuae ignominiam agnoscent ».

Urbis adeo florentis ruina et excidium maxima est ignominia. Augetur

opprobrium, quod Deus urbem vastatam atque conculcatam perpetuis ignominiae atque abiectionis documentis affectam esse voluit; v. 6 « *et proiiciam super te abominationes et contumelia te afficiam et ponam te in exemplum* » ; — i. e. proiiciam super te res foedas ; luto, stercoribus te obruam et *ponam te sicut spectaculum* (hebr.), εἰς παράδειγμα, uti LXX habent, omnium oculis et irrisionibus te exponam. Metaphora ex versu antecedenti continuatur : praeter denudationis confusionem sordiumque manifestationem alia dedecoris insignia meretrici adduntur, rebus foedissimis obruitur et abominationibus onusta publicae subsannationi exponitur. Ita fit *in exemplum* « vindictae scil. et maledictionis, ita ut quoties de magno aliquo supplicio aut de insigni calamitate narrabitur, statim in exemplum adducaris ; et quoties quis malum alteri imprecari volet, dicet : faciat tibi Dominus, sicut fecit Ninive » (cf. Num. 5, 21. Ier. 48, 39. *Rib.*).

Atque talis subsannatio de ruina foeda et irreparabili in eam proiicietur a cunctis : v. 7 « *et erit, omnis qui viderit te, resiliet a te et dicet : vastata est Ninive ! quis commovebit super te caput ? unde quaeram consolatorem tibi* » ? — i. e. tanti horroris tantaeque foeditatis est ruina illa, ut si quis fortuito oculos in eam coniecerit, statim cum fastidio refugiat ac resiliat, quasi a conspectu putrescentis cadaveris (cf. *Sanct.*) ; neque quisquam casum miseratur, verum de eo omnes laetantur : *quis condolebit ei* (hebr. *Pint. Mar. Calm.*) ? talem scil. qui sortem Ninives lugeat, frustra quaeres ubique terrarum ; nulla iam pro Ninive adest consolatio vel reparationis spes ; casus et ruina est sine remedio, fatum irreparabile. Notat *S. Hier.* ; « in hebraeo non habetur *caput*, sed nos apposuimus, ut sensus manifestior fieret ». Ceterum locutionem *caput commovere* ipse explicat : « hoc est : quis dolebit super te » ? Verum *caput movere super aliquem* potius est illudentis atque irridentis ; cf. Iob 16, 4. 5. Is. 37, 22. Ps. 21, 8 et Iob 2, 11 in hebr. et 42, 11. Ier. 18, 16. Lament. 2, 15. Matth. 27, 39 etc.

In hebr. legitur נוד, quod verbum *S. Hier.* saepius recte transtulit vel *contristari pro al.* Ier. 15, 5, *super al.* Is. 51, 19 (cf. Ps. 68, 21) ; vel *consolari* Ier. 16, 5 ; 48, 17 ; vel *lugere* Ier. 22, 10. At Iob 42, 11 addidit *caput*, locutionem obstupescentium habitum et gestum interpretans.

b) Sorte Thebarum casus Ninives confirmatur 3, 8-13.

Tali vaticinio Ninive ne opponat se maximo apparatu bellico et militum copia esse munitam. Frustra haec sunt Domino invito ; nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Quare in sorte munitissimae urbis aegyptiacae ostendit propheta, mqua inopes

sint opes humanae. Praeterea per legem *talionis* [1] Ninive simili fato occumbere debebit, nisi iuris praecipui praerogativa fruatur. Quare non sine ironia propheta quaerit v. 8 « *Numquid melior es Alexandria populorum, quae habitat in fluminibus? aquae in circuitu eius, cuius divitiae mare, aquae muri eius* » ; — hebr. *numquid melior es quam No-Amon* [2], *quae sedet in fluminibus* i. e. ad Nilum Nilique canales sita est et ita aquis circumdata et Nilo protecta ab expugnatione tuta esse videbatur; hebr. *cuius virtus* (munimentum, praemunitio) *mare est* i. e. Nilus, fluvius scil. praegrandis; tamquam talis enim *mare* appellatur, uti probabiliter Is. 19, 5. Iob 41, 23 et ita vocatur Euphrates Ier. 51, 36 et probabiliter etiam Is. 27, 1. In hebr. *ex mari murus eius* [3].

No-Amon esse urbem *Thebarum* in Aegypto superiore, multi censent (cf. *Schegg, Keil, Trochon*). Hanc sententiam etiam profert *Brugsch* in opere ex hieroglyphicis et demoticis inscriptionibus collecto : Dictionnaire géographique de l'ancienne Égypte p. 28 ; ubi haec habet : *Naî-Amun* (ita signa hieroglyphica transscribit) « la ville d'Amon », un des noms de la ville de Thèbes, qui en hébreux est très-exactement transcrit par נֹא אָמוֹן. Verum l. c. p. 291 ad nostrum prophetae locum magis aptam esse censet urbem *Diospolin* in Delta sitam, quam etiam *Nai-Amun* vocari asserit ; dicit enim : « ces indications (i. e. une ville fortifiée, située sur la mer et entourée de canaux) perdent toutes leurs valeurs, si on voulait reconnaître la ville de Thèbes de Haute-Égypte ». In cuneiformibus inscriptionibus (vide *G. Smith*, History of Asurbanipal p. 47. 55. *Schrader*, l. c. p. 450. 452) urbs ita exprimitur, ut ad literam debeat scribi ניא. Secundum versionem a *Smith* et *Schrader* datam ita legitur [4] : « fiducia freti Asur, Sin et deorum magnorum, dominorum meorum (milites mei) ei (scil. Urdamani, regi Aegyptiorum, qui post Tharacam regnum obtinuit) in certamine in magno campo cladem intulerunt eiusque copias fugarunt. Urdamani solus aufugit et in Ni urbem regiam se recepit. Itinere mensis unius et decem dierum per vias difficillimas post eum profecti sunt ; urbem illam totam ceperunt et instar turbinis eam prostraverunt ». Haec inscriptio nobis utilissima est ad urbem *No-Amon* inveniendam. Solum oportet ei aliam adiungere, quae de eadem expeditione mili-

---

1. Cf. in hebr. v. 10 גַּם־הִיא et v. 11 גַּם־אַתְּ *etiam ipsa, etiam tu*

2. Audi *S. Hier.* : « Hebraeus, qui me in Scripturis erudivit, ita legi posse asseruit . numquid melior es quam No-Amon et ait, hebraico *No* dici Alexandriam ; *Amon* autem *multitudinem* sive *populos*... Alexandria populosa vel populorum ». LXX phrasin hebr. *bis* videntur vertisse et pro מנא semel legisse מְנֵי cf. Ps. 45, 9 in significatione simili χορδῆς; semel מְנִי vel מֵן *pars* μερίς.

3. Scil. in textu *mas.* legitur מִיָּם ; LXX, *Syrus, Hier.* legerunt מַיִם *aquae*, uti etiam aliqui codd. hebr. apud *de Rossi*. Textum *mas.* exprimit *Chald.* At simplicior est lectio quam LXX et *S. Hier.* sequuntur.

4. Cf. etiam *Vigouroux*, La Bible et les découvertes modernes t. IV p. 242 seq.

tari narrat et apud *Smith* l. c. ita vertitur p. 52 : « in my second expedition (Asurbanipal loquitur) to Egypt and Ethiopia I directed the march; Urdamani of the progress of my expedition heard and theat I had crossed over the borders of Egypt. *Memphis* he abandoned and to save his life he fled into *Ni* (Thebes)... After Urdamani the road I took, I went to *Ni*, the strong city; the approach of my powerful army he saw and *Ni* he abandoned and fled to Kipkipi ». Unde constat, *Ni* esse sitam meridiem versus a Memphis, et cum Asurbanipal iam intrasset Aegyptum, cum Urdamani fugeret, certe proelium istud, de quo prima inscriptio refert, in aliquo magno campo Aegypti inferioris, quod Delta vocatur, commissum est. Iam post proelium exercitus assyriacus per 40 dies profectus demum urbem *Ni* attigit. Unde sole clarius est, opinionem a *Brugsch* enuntiatam, Nai-Amun esse Diospolin in Delta sitam, esse omnino falsam [1]. Sed illo 40 dierum itinere revera ad Thebas adducimur. Nam, ut *Oppert* [2] observat : « il y a entre Memphis et Thèbes 600 kilomètres en longeant le Nil, tandis que la distance directe n'est que de 500 kilomètres environ » ; idque etiam ex charta geographica colligitur, quam *Brugsch* operi suo « Die Geographie des alten Aegyptens » addidit. Exercitum tantum temporis insumpsisse ad spatium illud conficiendum, nemo mirabitur, si verba inscriptionis attenderit de itineris difficultate. Et cum Thebae sitae fuerint in Nili ripa *utraque* — id quod secundum *Oppert* nulli alii urbi aegyptiacae contigit —, descriptio prophetae ad eam prorsus apta est. — Unde urbs apud Graecos *Thebarum* nomen nacta sit, variae sunt eruditorum opiniones, quas hic referri non iuvat; vide *Brugsch*, Die Geographie des alten Aegyptens p. 177 et libellum a *Chabas* conscriptum : Recherches sur le nom égyptien de Thèbes, Paris 1863; hic affert urbem in hieroglyphicis etiam scribi *Tobe*, vel *Tebe* (l. c. p. 35. 37); unde graeca vox sua sponte declaratur. Est autem *teb* vel *tepi* nomen aegyptiacum hippopotami.

Veteres interpretes *No-Amon* generatim intelligunt urbem aliquam eo loco sitam, ubi postmodum Alexandria est erecta (cf. *Hier. Cyr. Theoph. Barh. Pint. Rib. Sanct.*). *Diospolin* in Delta, ad unum e Nili ramis, inter Busirin ad meridiem et Menden ad boream intelligit *Calm.*, urbem Thebarum, superioris Aegypti metropolim, amplitudine, opibus, civium numero praeclarissimam intelligi debere iam censuit *Bochartus* (Phaleg 4, 27 apud *Calm.*). Mirum est, veteres plerumque non expugnationem urbis factam, sed futuram hoc loco praedici censere, et eam quidem quam Nabuchodonosor postmodum fecerit (cf. *Cyr. Sanct. Rib. Lap. Mar. Men. Tir.*), immo *Theod.* et *Theoph.* addunt bellum illud Aegyptiis a Cambyse et Alexandro illatum.

---

1. Neque l. c. p. 291 ullum affert exemplum, quo probet, nomen *Nai-Amun* revera urbi illi esse inditum.

2. Cf. Mémoire sur les rapports de l'Égypte et de l'Assyrie dans l'antiquité, éclaircis par l'étude des textes cunéiformes Paris 1869; p. 85. 97. Etiam in priore expeditione contra Tharacam mentio fit itineris mensis unius et decem dierum, quo exercitus assyriacus, persequens Tharacam qui Memphi relicta fugerat navibus in urbem regiam *Ni*, in eandem urbem pervenit (cf. *Smith* l. c. p. 41).

Atque No-Amon urbs expugnata est, quamvis rex Aegypti copias collegerit innumeras ex ipsa Aegypto et regionibus adiacentibus. Unde Ninive ne sibi propter suos exercitus securitatem polliceatur! v. 9 « *Aethiopia fortitudo eius et Aegyptus, et non est finis ; Aphrica et Libyes fuerunt in auxilio tuo* » ; — bene ponitur primo loco *Aethiopia*, quia Urdamani filius erat et regni successor Tharacae, qui *rex Aethiopiae* explicite dicitur (4 Reg. 19, 9. Is. 37, 9) et etiam a Manethone dynastiae aethiopicae adscribitur. In hebr. *Phut et Lubim fuerunt in auxilio tuo* ; adest repentina personae mutatio, dum subito ipsam urbem No-Amon alloquitur; appellatio talis affectus magnitudinem prodere solet[1]. *Phut* nomen est hieroglyphicum *Put* vel *Punt* et forte regionem Arabiae[2] designat (cf. *Ebers*, Aegypten und die Bücher Mose's p. 64 et seq.), uti ex iis colligi videtur, quae Aegyptii de situ terrae Put eiusque mercibus memoriae tradiderunt; *Lubim* sunt Libyes, alias Lehabim quoque vocati; uti *Phut* terram ab Aegypto orientalem dicit, ita *Lubim* stirps dicitur residens in parte occidentali (cf. *Ebers* l. c. p. 105 et seq.). Unde copiarum enumeratio optimo fit ordine: a meridie (Cusch vel Aethiopia) ad septemtrionem per longissimum Aegypti tractum ; dein a dextris et sinistris i. e. a parte orientali et occidentali.

פוט in versione graeca modo Φούδ exprimitur (Gen. 10, 6. 1 Par. 1, 8) modo Λίβυες (Ier. 46, 9. Ez. 27, 10; 30, 5; 38, 5). Etiam *S. Hier*. vel Phut retinet vel Libyes vel Africa vertit. *Flavius* quoque *Iosephus* in eadem est sententia, Phutem Libyam fundasse ait et a suo nomine incolas Φούτους appellasse. Et in confirmationem advertit, esse ἐν τῇ Μαύρων χώρᾳ flumen eiusdem nominis (cf. Ant. iud. 1, 6), quod flumen *Fut* etiam *Plinius* V, 13 et Φθούθ *Ptolemaeus* IV, 1, 3 commemorant (cf. *Ebers* l. c. 68). Quare interpretes eandem sententiam amplexi sunt usque ad tempora recentissima (cf. *Knobel*, Voelkertafel s. n.; *Keil*). Verum quae *Ebers* affert, eam opinionem refellunt, atque simul explicant, quomodo nomen tempore posteriore in partem illam Africae migraverit cum ipsis illis Arabum stirpibus, quae *Put* vocantur. Quare alii non dubitant in eius partes concedere (cf. *Merx* in Bibel-Lexicon, ed. *Schenkel* V p. 20) aliis tamen contradicentibus (cf. *Riehm*, Hand-Woerterbuch II p. 1250, ubi veterum sententia propugnatur).

Aliam iterum sententiam proponit *H. Brugsch* (Die altaegyptische Voelkertafel p. 38. 45. 51. 59. 66 — Orientalisten-Congress in Berlin 1882). Secundum ipsum nomen omnino non designat Arabiam, verum partem quam maxime meridionalem litoris maris rubri, quod a veteribus *Troglodytice* appellabatur[3].

---

1. Simplicius sane est, quod praebent LXX et *Syrus* : βοηθοὶ αὐτῆς. Cum textu hebr. et *S. Hier.* consentit *Chald.* Perperam *Oppert* l. c. *tuo* ad Niniven refert; at propheta in eo est, ut vires Aegypti exaggeret, et ad id v. 10 demum apte adnectitur.
2. Vel certo saltem regionem orientalem ab Aegypto indicat.
3. Cf. eiusdem History of Egypt (London 1879, I p. 114) : Punt is without doubt the present coast of Somauli land in sight of Arabia, but separated from it by the sea.

Dici vero *Punt* ab Aegyptiis et *Put* ab Hebraeis, idem esse, atque in hebr. שִׁבָּה, הֹדוּ, חִטָּה, quae verba apud Aegyptios et Arabes litera *n* inserta habeantur (p. 52).

At urbs iis praesidiis munita tristissimam sortem non effugit v. 10 « *sed et ipsa in transmigrationem ducta est in captivitatem; parvuli eius elisi sunt in capite omnium viarum et super inclytos eius miserunt sortem et omnes optimates eius confixi sunt in compedibus* » ; — i. e. in alienam regionem abducti sunt more captivorum; ergo non solum in exsilium, verum simul in captivitatem ducti sunt; *caput* viarum ibi est, ubi plures viae convergunt, igitur compita; super *honoratos* (hebr.) eius sortem miserunt, i. e. sorte inter se dividebant et optimates, magnates constricti sunt compedibus. De urbis *destructione* non est sermo; etiam in inscriptionibus cuneiformibus potissimum recensentur opes et thesauri argenti et auri et lapidum pretiosorum et vestium atque supellectilis, quae fuerint ablata et simul cum equis et hominum multitudine in Niniven transportata (cf. *Smith* l. c. p. 54. 56. *Oppert* l. c. p. 79. 87).

Iam fit ad Niniven applicatio, quae eventum illum aegyptiacum recenter contigisse et in Iudaeorum animis et memoria alte esse impressum ostendit v. 11 « *et tu ergo inebriaberis et eris despecta et tu quaeres auxilium ab inimico* » ; — *inebriaberis* calice scil. irae Dei (*Alb. Pint.*); maxima enim calamitas, qua sensus omnes et animi vires vel horrore ac terrore obstupefiunt vel quasi vertigine perturbantur, ebrietas aut potatio e calice furoris Domini hausta vocari solet (cf. Is. 19, 14. Ier. 25, 15). In hebr. quae calamitatem vel comitantur vel subsequuntur, ita habentur: *eris abscondita*; *etiam tu quaeres refugium ab hoste*, quo scil. tuta sis ab hoste, eum effugias; id quod optime dicitur, quia Aegyptii repetitis vicibus, ut se ab Assyriis tutarentur, fugam capessiverunt. Ita enim Tharaca fugit a Memphi Thebas, a Thebis cum eousque Assyrii penetrassent, Nilo traiecto in Aethiopiam se recepit; similiter Urdamani ex Aegypto inferiore fugit Thebas, indeque expulsus in Kipkipi se recepit (cf. *Oppert* l. c. 81. 87. *Smith* l. c. 39. 53). Igitur Ninives gloria obumbrabitur, *eris abscondita*, quae eousque suo terrore et potentia nationes in admirationem rapiebat, iam oblivioni et obscuritati tradetur. — Alii: ita necessitate affligeris, ut ab ipsis hostibus auxilium et refugium supplex efflagitare cogaris (cf. *Hier. Pint. Rib. Sanct. Trochon*).

Calamitatem summatim denuntiatam iam per singula clarius proponit propheta, docens, ad quantam debilitatem et infirmitatem fortissima eorum praesidia reducturus sit Dominus et quanta alacritate et fortitudine hostes eorum sint ab ipso armandi v. 12 « *omnes munitiones tuae sicut ficus cum grossis suis; si concussae fuerint, cadent in os comedentis* » ; — hebr. *sicut ficus cum praecocibus*; « omnia firmamenta tua et muri

in sublime porrecti et altitudines turrium, quas nunc inexpugnabiles putas, et viri fortes bellatoresque tui, primitivis ficis comparabuntur, quae si concussae fuerint levi tactu in os cadent devorantis » (*S. Hier.*); tam *facile* primo quasi impulsu corruet Ninive ; « maturae ficus concussa arbore decidunt facile et tantum non in concutientis manum desiliunt et quaerentibus comedere sponte veniunt » (*S. Cyr. Theoph.*); addit *Alb.*, sicut ficus praecoces ob raritatem plus desiderentur, ita munitiones Ninives plus desiderari ab hostibus ; at comparatio hic sistit in celeri expugnatione. Et quomodo *facile* corruat Ninive concussa, declaratur v. 13 « *ecce populus tuus mulieres in medio tui ; inimicis tuis adapertione pandentur portae terrae tuae ; devorabit ignis vectes tuos* » ; — Dominus scil. auferet fortitudinem eorum ; erunt igitur bellatores Ninives imbecilles atque impotes sicut mulieres (*Chald.*); quare hostibus facilis patet aditus quasi portis late apertis (unde hebr. *aperiendo aperientur*, « quae vocum ab eadem origine coniugatio nunquam est sine epitasi » *Sanct.*). *Portae terrae* varii sunt aditus ad terram Assyriorum, qui eousque hostibus erant clausi, impervii ; at tum regio Assyriorum undequaque hostium incursioni patebit, et quae invasionem impedire possent, *vectes* i. e. arces, castella, munitiones, igne absumentur (cf. *Schegg*). Dicuntur *vectes*, quia iis terra clauditur hostibus, uti portae vectibus firmantur et clauduntur (cf. Is. 15, 5 ; 43, 14. Ier. 51, 30. Am. 1, 5).

c) Ruina erit irreparabilis 3, 14-19.

Cum igitur hostes quasi portis late apertis irruant in terram Assyriorum, propheta Niniven ironice exhortatur, ut quae ad obsidionem sustinendam necessaria sint, sibi praeparet ; v. 14 « *Aquam propter obsidionem hauri tibi, exstrue munitiones tuas, intra in lutum et calca, subigens tene laterem* » ! — « cura, ne potus desit obsessae munitioni [1] ; lateres confice, ut interrupta murorum struas ; prope est enim obsidio » (*S. Hier.*). Igitur monet, ut cisternae fodiantur, lacus et piscinae intra urbem conficiantur, quibus aquarum copiae subministrentur (cf. Is. 22, 11. 4 Reg. 20, 20. 2 Par. 32, 30 Ezechias rex simili modo obsidioni providet). In hebr. *firmas fac munitiones tuas* ; i. e. « moenibus addatur firmitas ; et si quid rimosum est aut debile, novis operibus obstruatur, solideturque » (*Sanct.*). Quod opus ex more assyriaco describitur : hebr. *subige lutum et calca argillam, firmam fac fornacem laterariam* [2] ; As-

---

1. Vel, ut ex codicibus Florentiae et Brixiae legitur : ne potus desit obsessae (scil. civitati), *muni turres*... cf. *M.* 25, 1264, nota c.

2. Ita מלבן explicant ; cf. Ier. 48, 9. LXX tamen explicant : κατακράτησον ὑπὲρ πλίνθον

syrii enim, uti ex aedificiorum ruinis apparet, multum lateribus vel solis calore vel fornace coctis utebantur et tales lateres sat magnos (longitudine atque latitudine pedum duorum) quandoque conficere solebant (cf. *G. Rawlinson* l. c. I p. 279. 301. 335. 384). Apte igitur cum ironia monentur, ut fornacem ad lateres coquendos fortissimam faciant, quo magno calore succendi et lateres firmos celeriter excoquere queat. At dum illi ignem adhibent ad conficienda munimenta et maximam militum multitudinem congregant ad defensionem, iam interitus urbisque concrematio, caedes militum et exidium eis denuntiatur v. 15 « *ibi comedet te ignis; peribis gladio, devorabit te ut bruchus. Congregare ut bruchus, multiplicare ut locusta* » ; — *ibi* non sine magna emphasi; eodem sc. in loco, ubi praesidiis et munimentis exstructis tuae securitati ac defensioni optime consultum esse censuisti. *Igne* Niniven periisse et veterum narrationes ferunt [1] et monumentorum reliquiae testantur (cf. *Rawlinson* l. c. I p. 301 et saepius; *Keil* ad h. l.) ; urbis exidium *velox* et *integrum* comparatione *bruchi* effertur; bruchus enim vel generatim locustae brevissimo temporis spatio regionis in qua consederunt arbores, agros, campos, prata penitus depascuntur et devastant. — Ab hac metaphora statim ad aliam transitus fit, quae locustarum mentione facta satis prope adiacet; *congregare*... i. e. exercitus compara et conscribe, qui militum multitudine densissima locustarum agmina exaequent, tamen nihil tibi salutis vel remedii copiae immensae afferent (cf. 1, 12; 2, 9).

Immo, quo plures opes ac divitiae in urbe congestae sunt, eo maiore impetu ac rapacitate hostes eam invadent et spoliabunt : v. 16 « *plures fecisti negotiationes tuas quam stellae sint coeli; bruchus expansus est et avolavit* » ; — hebr. *multiplicasti mercatores tuos magis quam... bruchus exspoliat* [2] *et avolat* i. e. locustae in campum adeo uberem et frugibus plenum, qualis est Ninive commerciorum opibus ditata, subito sese demittunt, omnia devorant, denudant, et vastatione perfecta

---

Chald. fortifica aedificia tua. *Syrus* mutata literula una vocem syriacam מולכנא *consilium* exprimit.

1. Vide, quos *Keil* allegat : *Herod.* I, 106. *Diod. Sic.* II, 25-28. *Athen.* XII p. 529. Praeterea ea recole et adde, quae veteres de Sardanapalo ultimo rege et incendio ab ipso excitato, ut in eo perirent, frequenter tradunt : *Iustinus*, histor. I, 3. *Eusebius* (Chronic. 1, 9) regem vocat Saracum (*M.* 19, 124); *Syncellus* (Chronogr. ed. *Dindorf* I p. 396); *Eusebius* l. c. 14, 3. 15, 7 (*M.* 19, 135. 141).

2. Hebr. פָּשַׁט significat *sese diffundere, grassari, irruere, invadere,* cf. Iud. 9, 33. 44. 1 Sam. 23, 27; 27, 8; 30, 1. Iob 1, 17 etc. *exuere, spoliare* Lev. 6, 4; 16, 23. Is. 32, 11. Ez. 26, 16; 44, 19. Cant. 5, 3; quibus in locis etiam *S. Hier.* eam expressit significationem. LXX vertunt βροῦχος ὥρμησεν. *Syrus* et *Chald.* explicant per שלח, quod *alas expandere, membra explicare* interpretantur (cf. *Levy*, Chald. Wœrterb. II p. 483).

avolant ; ita hostes Niniven diripient et ruina facta incolumes praedaque onusti abibunt. Niniven quoque multiplici commercio insignem fuisse constat. Erant enim urbes in Mesopotamia plerumque magna emporia mercium illarum pretiosarum, quae terra marique ex Asia interiore, ex Indiis et China, afferebantur (cf. *Movers,* Die Phoenizier II, 3, p. 240 et seq.).

Alii *bruchi* similitudinem expressam cernunt in ipsis Ninivitis : dispergentur scil. et fugient (*S. Hier.*) ; alii in mercatorum multitudine quae appropinquante periculo aufugiat, vel in divitiis fallacibus quae cito avolent ad alios (cf. *Rib. Lap. Mar. Men. Tir Schegg)* ; alii de militibus ex gentibus finitimis conductis, qui metu hostium perculsi in omnes partes dilabantur (cf. *Cyr. Theod. M. Theoph. Barh. Sanct.*). Sed explicatio supra proposita praeferenda est, quia et verbis magis est adaptata — alii enim τῷ פָּשַׁט significationem affingunt, quam probare nequeunt — et comparationem v. 15 institutam declarat eique insistit : *devorabit te ut bruchus* ibi de hostium invasione dicitur ; hoc loco additur, eos vastatione impune facta abituros esse incolumes. Ceterum mentione facta divitiarum per commercia collectarum apte adiungitur, cum de multiplici ruina sermo instituatur, praedatio hostilis ; accedit, quod in antecedentibus (cf. v. 12. 14. 15) et in iis quae sequuntur (v. 17) potentia et opes Ninives excidio ac calamitati opponuntur ; quare etiam in versu nostro tali oppositione ruina lamentabilis concinne exprimitur.

Modo divitias commemoravit vates, quas hostes sunt praedaturi, ita explicans partem priorem v. 15 *devorabit te bruchus*. Iam alteram partem *multiplicare ut locusta* exsequitur, ostendens, custodum ac ducum multitudinem nihil profuturam esse ad avertendam ruinam ; v. 17 « *custodes tui quasi locustae et parvuli tui quasi locustae locustarum, quae considunt in sepibus in die frigoris ; sol ortus est et avolaverunt et non est cognitus locus eorum ubi fuerint* » ; — verba מִנְּזָר et טִפְסָר ex hebraico explicari nequeunt. Cum de rebus assyriacis sermo sit, eo ipso ut de assyriacis petamus explicationem, admonemur. Et revera inter verba assyriaca, quae *Strassmaier* S. I. in opere suo [1] collegit, eadem verba inveniuntur ; prius *ma-as-sa-ru* (ss resolvitur in ns) et *dup-sar-ru* alterum. Prius significationem *custodis*, vel alicuius magistratus minoris locis omnibus collatis habere videtur ; *dupsarru* autem vel, uti etiam invenitur scriptum *dipsarru* dicit *scribam* [2], qui in iudiciis, in palatiis, munere suo fungi dicitur et etiam in dignitate aliqua magistratus vide-

---

1. Verzeichniss der akkadischen und assyrischen Wœrter, Leipzig, (Hinrichs) n. 5102. n. 2091 et vide n. 5096.

2. Uti *Strassmaier* asserit, apud Babylonios *dupsarru* saepe ex ordine sacerdotali assumebatur.

tur esse constitutus. In monumentis quoque saepius cernitur scriba, qui captivorum militum nomina tabulis inscribit. Ex iis igitur satis patere videtur, hoc loco non milites gregarios dici, sed *custodes* et *scribas* i. e. eos qui in ordine militari et civili aliis praesint et minoribus muneribus fungantur. Si vero isti adeo numero excellunt, facile colligitur, quam immensa militum civiumque turba adfuisse censenda sit. Neque tamen ea multitudo quidquam ad urbis incolumitatem tutandam valebit; erunt scil. praepositi isti tamquam locustae frigore constrictae, quae sine motu et quasi vitae expertes torpentes et stupefactae in sepibus considunt; nempe illi quoque in die calamitatis, quo eorum prudentia, virtus, sagacitas quam maxime requireretur, obrigescent et inertia tabescent. Quare earundem locustarum instar, quae solis calore ab illo rigore excitatae subito et velocissime avolant, subito interibunt nullo vestigio relicto.

S. Hier. vertit *parvuli*, ac si טַף esset scriptum [1]. LXX aliud exhibent : ἐξήλατο ὡς ἀττέλαβος ὁ συμμικτός σου ; itaque videntur in prima voce verbum נָזָה legisse ; alteram autem de promiscua turba explicasse. *Syrus* : nazaraei tui sicut locustae et bellantes . . . *Chald.* vocem alteram retinuit — Iudaeis recentioribus eo nomine angeli quoque designantur cf. *Ges.* s. v. *Levy*, Chald. W. I. 316 — pro priore expressit טַסָּא τάσις, *lamina* « laminae tuae splendescunt » i. e. milites tui laminis tecti et loricati refulgent cf. *Levy* l. c. I. 311. — Recentiorum coniecturas incertas referre non libet; si libuerit, vide *Ges.* s. v. *Ros. Keil, Hitz.* Sed postquam verba apud Assyrios inventa sunt, frustra aliunde quaeres significationem.

Ipse *S. Hier.* solem *orientem* explicat incalescentem. Dein pergit : « natura enim haec locustarum est, ut in frigore torpentes per calorem volitent. Porro attelabus quem significantius *comesorem* interpretatus est Aquila, parva locusta est inter locustam et bruchum et modicis pennis reptans potius quam volans semperque subsiliens ». Ceterum cf. Ioel 1, 4. *Locustae locustarum* ingentem dicunt multitudinem [2] ; גוֹבָי nomen est *collectivum* ; cf. Am. 7, 1 ; et eiusdem significationis cum גּוֹב, quasi dicas : locustarum turba super turbam.

Impotes fore et interituros esse dixerat vates magistratus minores v. 17 ; idem denuntiat maioribus totique populo v. 18 « *dormitaverunt pastores tui, rex Assur, sepelientur principes tui; latitavit populus tuus in montibus et non est qui congreget* » ; — hebr.... *iacent magnifici tui ; dispersus est populus tuus super montes* i. e. caede prostrati somnum mortis dormiunt *pastores* regis Assur, ii qui proximi regi regni populique curam exercebant et nobilitate ac dignitate florebant ; *magni-*

---

1. At Ier. 51, 27 vocem *taphsar* retinuit.
2. *Chald.* vertit : sicut vermes locustarum. *Syrus* verbi repetitionem non reddit, neque LXX : ὡς ἀκρίς.

fici vel *illustres* antiquum regni splendorem et gloriam ingentem ipso nomine in memoriam revocant. Hic quoque valet illud : *fuit* Ilion et ingens gloria Teucrorum!

Tali autem ruinae non aderit remedium : populum dispersum iam nemo colliget; i. e. regnum collapsum iam nemo instaurabit. Id quod versu seq. denuo cum emphasi inculcatur ; v. 19 in hebr. *non est mitigatio contritioni* (fracturae) *tuae* i. e. non est sanatio, remissio; uti etiam LXX οὐκ ἔστιν ἴασις τῇ συντριβῇ σου. Hanc ruinam omnium oculis esse expositam *S. Hier.* versio [1] indicat. Ruinae vero irreparabili omnes addunt irrisionem et contemptum, memores antiquae ac diuturnae Assyriorum tyrannidis : v. 19 « *non est obscura contritio tua ; pessima est plaga tua. Omnes qui audierunt auditionem tuam, compresserunt manum super te ; quia super quem non transiit malitia tua semper* » ? — i. e. omnes qui audituri sunt nuntium de excidio Ninives, manibus plaudent [2], laetitia et exsultatione magna urbis odiosae interitum festive celebrabunt (cf. *S. Hier. Rib. Sanct.*) ; « nullus enim est qui possit super te dolere et eversioni et vulneri tuo lacrimas donare » (*S. Hier.*), quia nullus est populus, ordo nullus, quem non tyrannico imperio et crudelitate Ninive oppresserit.

Talis est malorum et impiorum finis. Tale *onus* Ninives a Deo impositum, sub quo occumbet et in perpetuum iacebit prostrata, dum Dei cultores felicitate fruuntur; « nam bonus Dominus et confortans in die tribulationis et sciens sperantes in se » (1, 7). Quod in uno imperio Deo hostili Nahum delineavit, id semper et ubique fore scimus ; « gens enim et regnum quod non servierit tibi peribit et gentes solitudine vastabuntur » (Is. 60, 12); Christum vero « oportet regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius » (1 Cor. 15, 25), namque regnum Messiae « comminuet atque consumet universa regna haec; et ipsum stabit in aeternum » (Dan. 2, 44).

Vaticiniis 3 capitibus comprehensis *plena* quaedam ac *perfecta* destructio Ninives praedicitur; Deus enim *consummationem faciet loci eius* 1, 8. 9; *consumentur quasi stipula ariditate plena* 1, 10; *non seminabitur ex nomine tuo amplius ; universus interiit* 1, 14. 15. Hanc innuit quaestio illa : *ubi est habitaculum leonum...* 2, 11 ; propterea Deus *succendet usque ad fumum quadrigas, exterminabit de terra praedam et non audietur ultra vox nuntiorum* 2, 13. Haec enuntiatur 3, 7. 15. 17. Vaticinia

---

1. *S. Hier.* vocem כהה explicasse videtur per *obscuritatem*, quia 1 Sam. 3, 2 de oculis hebescentibus, Lev. 13, 21. 26. 28 de colore pallescente usurpatur. *Syrus* et *Chald.* interpretantur participium verbi כֵּהֶה : non est qui condoleat de tua fractura.

2. Notat *Pint.* alios codices latinos legere : *comploserunt manum super te.*

eventu fuisse completa, plenissime constat. Ita enim diruta est urbs, ut loci ipsius quo condita erat memoria statim post ruinam ex animis hominum penitus amitteretur. In cuius rei testimonium scribit *Strabo* : ἡ μὲν οὖν Νῖνος πόλις ἠφανίσθη παραχρῆμα μετὰ τὴν τῶν Σύρων κατάλυσιν (XVI, 1, 3); et ita quidem disparuit, ut cum anno 401. a. Ch. Xenophon cum celeberrimis suis decem millibus prope eius urbis regionem versaretur, ne nomen quidem eius ab incolis regionis audiret; ruinas duarum urbium in quas incidit, nomine *Larissa* et *Mespila* designat; illas partes et regiones esse celeberrimae urbis Ninives — Calach scil. et Kujundschik — eum plane fugit (cf. *Keil*). Ita urbs iacuit sepulta ruinis et oblivione obruta, donec recentissimis temporibus ex immenso pulvere et ingenti vastitate casus illius ac pristinae gloriae vestigia eruditorum hominum opera et laboribus eruerentur. Inceptae enim sunt ab anno 1842 effossiones a *Botta*, *Layard*, *Rawlinson* etc., de quorum labore et successu vide quae scripsit *Layard* (Discoveries in the ruins of. N. and Babylon), *Oppert* (Expédition en Mésopotamie), *Rawlinson* in opere saepius allegato, *Kaulen* (Assyrien und Babylonien), *Vigouroux* (l. c. I p. 140) aliique.

De tempore, quo Ninive succubuit et regnum *Assyriorum* desiit, haec statuenda videntur [1]. Cum 4 Reg. 23, 29 eo tempore, quo obiit Iosias, mentio fiat regis Assyriorum, contra quem ascenderat Nechao rex Aegypti, patet illis assentiendum non esse, qui Niniven destructam esse velint iam eo tempore, quo Nabopolassar regno Babylonis potitus est i. e. circa annum 625 a. Ch. sed urbis Ninives eversionem referendam esse circiter ad annum 606 a. Ch. Atque hoc cum iis quoque bene concordat, quae ex Assyriorum monumentis colliguntur. Nam post Asurbanipal, cui regnum 42 annorum non sine probabilitate adscribitur (668-626), duo saltem reges e monumentis eruuntur : Asur-itil-ili et alter, qui probabiliter Bel-sum-iskun legi debet (prior nominis pars Bel vel Bil dubia est, quare *Schrader* Keilinsch. und A. T. p. 359 nomen scribit X-sum-iskun; at probabiliter Bel esse legendum, *Strassmaier* mihi asseruit). Isti duo reges aedificia erigebant. Et si fides adhibenda est veteribus scriptoribus scil. Niniven expugnatam et combustam fuisse sub rege *Saraco* (cf. ex *Abydeno* apud *Eusebium* Chron. I, 9; *M.* 19, 124 — *Syncellus* ed. Dindorf p. 396-alias p. 210 B), tertius adhuc post Asurbanipal rex Assyriorum erit statuendus, quem Asurachiddin secundum analogiam assyriacam vocare forte licet (cf. *Schrader* l. c.). Niniven viribus Medorum et Babyloniorum coniunctis et a Cyaxare et Nabopolassar (?) directis [2] interiisse, certum esse videtur (cf. *Rawlinson* l. c. II p. 232. 396);

---

1. De hac quaestione praeprimis vide egregium librum : *A. Delattre S. I.*, Le peuple et l'empire des Mèdes, mémoire couronné par l'académie de Belgique, Bruxelles, 1883 p. 178-183.

2. Berosus quidem, uti fragmenta ostendunt per Abydenum, Polyhistorem, Iosephum servata, urbem captam esse dicit a Nabopolassar et Azdahage (Astyage), satrapa Mediae;

praeter hos Ctesias [1], ut Diodorus Siculus refert (II, 24-27), Persas quoque et Arabes inter expugnatores adfuisse commemorat; ille eorum numerum quadringentis millibus militum constitisse perhibet; initio Assyrios quidem victores exstitisse in tribus proeliis, at mox advenientibus novis copiis ex Bactria Assyrios noctu caesos fugatosque et urbi inclusos fuisse; obsidionem per duos annos frustra esse protractam; tertio demum anno magnis Tigridis inundationibus moenium partem eximiam esse deiectam; quo audito regem Assyriorum oraculo monitum, nihil esse timendum, quamdiu fluvius non exstitisset inimicus, desperasse et se et thesauros et pellices incendio concremasse; oppugnatores vero per moenium rupturas ingressos praedam egisse urbemque destruxisse. — Ad tempus assignatum etiam facere videtur, quod *Herodotus* de duplici expeditione Cyaxaris contra Niniven refert; priorem exstitisse statim postquam regnum capessierit, sed invasione Scytharum urbis obsidionem fuisse impeditam ipsumque Cyaxaren ab ipsis esse victum; alteram susceptam esse postquam Cyaxares Scythas per 28 annos Asiae insultantes magnam partem occiderit (*Herod.* 1, 103. 106) et tum demum Niniven urbem esse captam. Neque tamen 28 anni imperii Scytharum, de quibus Herodotus loquitur, obstant quominus Niniven captam esse dicamus circa ann. 606. Herodotus enim non asserit annos eos fluxisse a primo cum Cyaxare congressu usque ad expugnationem Nineves, neque clade a Cyaxare illis illata totam Scytharum per Asiam dominationem subito et quasi uno ictu concidisse.

Uti iam ad 2, 7 adnotatum est, urbem captum iri inundatione fluvii propheta innuit. Atque ita factum esse narratio Ctesiae refert neque est, cur eam reiiciamus saltem si id quod in eventu praecipuum est spectaverimus [2]. Nam ex recentiore etiam tempore constat, urbes ad Tigridem sitas repentinis inundationibus periculo summo exponi; ita v. g. die 5° Maii 1849 Tigris fluvius ad urbem Bagdad plus quam 22 pedibus (ex norma anglica) communem aquarum conditionem excessit. Vide quae de ea re affert *Rawlinson* l. c. II 395 nota 3.

Atque ne quid deesse videatur, recentiori exemplo addimus antiquum, quod *Strassmaier* (Verzeichniss der akk. und ass. W. p. 1) refert inscriptum lateri: « in anno duodecimo Sargon aquae in inferiore parte urbis fundamenta occuparunt; usque in mediam urbem non penetrarunt ».

---

textus autem graecus libri Tobiae id a Nabuchodonosor et Asyero esse praestitum asserit (14, 15; cf. *Delattre* l. c. 181).

1. Ceterum Ctesiam esse auctorem dubiae fidei nemo ignorat.

2. Cf. *Kaulen*, Assyrien und Babylonien p. 191. *Vigouroux* l. c. IV p. 290

HABACUC

PROLEGOMENA

I. — De aetate prophetae

Uti Nahum propheta Assyriis, ita Habacuc Chaldaeis vel Babyloniis, qui post eos imperium nacti orbi dominabantur, interitum praedicit. Per utrosque populus Dei castigari debuit, sed utrisque deiectis et contritis nova instaurationis epocha populo electa exorta est. — Habacuc post Nahum vaticinatum esse, ipsa res suadet, cum *Babylonios* ultores Iudaeorum exhibeat; unde *S. Hier.* : « quomodo prior propheta Naum, quem Abacuc sequitur, vaticinium habuit contra Niniven et Assyrios, qui vastaverunt decem tribus, quae vocabantur Israel : ita Abacuc prophetiam habet adversus Babylonem et Nabuchodonosor, a quibus Iuda et Ierusalem templumque subversa sunt ». Verum, quo tempore vixerit, accuratius determinari vix potest. Nihil enim de ipso certi scimus, nisi quod hoc ipso libello vel continetur vel colligitur. Ex quo discimus, Babylonios nondum terram palaestinensem invasisse; eos enim venturos esse suscitatos a Domino ad scelera populi punienda, tamquam rem fere incredibilem annuntiat propheta (1, 5); unde facile quoque coniicies, Babylonios eo tempore nondum latius quoddam imperium ab Assyriis independens obtinuisse, ita ut de Babyloniorum incursu nemini in mentem venerit. Praeterea tale tempus apud Iudaeos describitur, quod oppressione, pravitate, iniustitiis, legum conculcatione et iudiciis iniquis abundabat (1, 2 - 4); at nulla fit idololatriae mentio vel reprehensio. Ex hisce igitur tempus coniicias oportet. Ad ultimos Manassis regis annos et veteres multi et recentiores aliqui vatem referunt. Ita iam *Seder Olam*[1]; ita

1. Cf. Prolegg. in Nahum. — *Theod. M.* tempus assignat post cladem Sennacherib; item *Rib.* tempus Nahum vivente Ezechia.

« neque pauci neque indocti » apud *Sanct.*; ita communior habet opinio apud *Lap.* qui monet, vaticinium illud 4 Reg. 21, 10 - 12 : « ecce ego inducam mala super Ierusalem et Iudam, ut quicumque audierit, tinniant ambae aures eius » forte ad nostrum quoque referri; ita censent *Keil, Kaulen* (Einleitung... p. 361), *Trochon*. Neque obstat, quod Deus opus se facturum istud spondet *in diebus vestris*, quasi mox vel statim implendum; nam, quamvis *in diebus vestris* cum addito tempus mox instans dicat (cf. Ioel 1, 2. Ier. 16, 9. Ez. 12, 25), tamen per se longius etiam spatium significare potest et hoc loco plane sufficit, ut homines, ad quos sermo fit, possint adhuc exsistere testes *incipientis* Chaldaeorum imperii. Eandem sententiam proponit *Zschokke* (historia s. ant. T. 2 ed. pag. 275).

Nomen Habacuc חֲבַקּוּק explicat *S. Hier.* : « vel ex eo quod amabilis Domini est, vocatur *amplexatio*, vel quod in certamen et luctam et (ut ita dicam) amplexum cum Deo congreditur, amplexantis, id est, luctantis sortitus est nomen »; sim. *Sanct.* aliique, neque recentiores melius quid afferunt explicantes vel eum qui amplectitur, vel eum qui amplexu constringitur. LXX scribunt Ἀμβακούμ. Ps. Epiphanius varia de eo refert : fuisse ex agro Βηθζοχήρ (vel ut alii codices scribunt Βιδζουχάρ, Βηθωαχάρ — cf. *M.* 43, 417. 418) ex tribu Simeon; eum urbe a Chaldaeis eversa fugisse in Ostracinem; mox in patriam regressum esse et iussum ab angelo, prandium in Babylonem ad Daniel tulisse etc... (cf. *M.* 43, 409). Etiam *S. Hier. Mar. Calm. Vigouroux*[1] censent, Habacuc fuisse eundem prophetam, qui Dan. 14, 32 prandium perfert ad lacum leonum; dum alii id merito negant (cf. *Rib. Sanct. Lap.*). In translatione τῶν LXX Dan. cap. 14 titulus legitur : « ex prophetia Ambacum filii Iesu de tribu Levi ». Unde si istis fides sit adhibenda, alius indicatur propheta Habacuc apud Danielem. Quamquam non defuerunt, qui nostrum prophetam inter levitas numerent, ea ratione innixi, quod in fine carminis subscriptione dedicat canticum suum *praefecto cantus ad neginoth mea*. Sed quam parum hoc valeat, vide in commentario.

Quo tempore vaticinatus sit, varii varia opinantur (cf. *Reuss*, Gesch. d. h. Schr. A. T. p 374). Sub Iosia vel brevi tempore ante eum, censet *Reinke* (Mess. W. III, 391); post annum duodecimum Iosiae, ergo eodem cum Ieremia tempore, opinatur Delitzsch et in hanc sententiam etiam *Reinke* concessit (in comment. ad Hab. p. 8. 14) aliique, quos l. c. videsis; tempori Ioakim (i. e. 606 - 609 a. Chr.) eum cum aliis attribuunt *Schegg*, *Reuss*; primo Ioakim anno *Calm.* etc. Utrum *Ieremias* et *Sophonias* ex vaticinio Habacuc aliquid in

1. Ita v. g. *Vigouroux* : « nous apprenons par le livre de Daniel que lorsque celui-ci eut été jeté dans la fosse aux lions, Dieu se servit miraculeusement du ministère d'Habacuc pour nourrir son serviteur respecté par les bêtes féroces. C'est tout ce que nous savons d'authentique sur sa personne ». Miror haec tamquam plane certa proponi. Malo equidem dicere cum *Kaulen*, LXX nomen prophetae illius Ἀμβακούμ Dan. 14, 32 perperam cum Habacuc commutasse.

sua transtulerint, necne, videtur esse valde incertum. Nam qui eos affirmant alludere ad Habacuc (cf. *Delitzsch*, *Zschokke*, *Keil*, *Kaulen*), locos afferunt, qui hoc evincere non videntur, cum sententiae aut sint nimis generales aut valde usitatae et per se fere natae v. g. Ier. 4, 13 ; 5, 6 ; 6, 15. 23 ; 51, 37 coll. Hab. 1, 6. 7. 8 ; 2, 13. Soph. 1, 7. Hab. 2, 20 ; de qua re bene disserit *Schegg* (Die kleinen Proph. II p. 78).

II. — De argumento prophetiae.

In duas partes libellus propheticus dividitur. Et priore quidem (cap. 1 et 2) dialogus quidam exhibetur inter prophetam et Deum ; altera autem (cap. 3) carmen sublime, quo Dei iudicium in hostes et salutem piis afferendam celebrat. Ad tale canticum parte priore via sternitur. In ipso enim libri vestibulo vates acriter conqueritur de licentia et iniustitia in Iuda regnante et cum Deo expostulat, quod talem iniquitatem non reprimat ; illa enim indulgentia mala durescere et augeri, impios magis magisque efferri in iustos. Cui Deus respondet, se iam parare insignem ultionem, eousque inauditam ; ait enim se suscitaturum Chaldaeos, quibus vindictae ministris utatur ; qui quo maiore terrore Iudaeorum animos percellant, praeclaram subiungit eorum ferocitatis, rapacitatis descriptionem ; atroci indoli ait eos adiungere optimum militiae et belli gerendi apparatum, maximam praedae capiendae et vastitatis inferendae ardorem, insolentiam ex partis iam victoriis immensam. Tali nuntio talique poena attonitus haeret propheta. Num omnes ruinae involvendi erunt ? Obtestatur Deum, ne ad internecionem usque puniat, ne pios simul cum impiis interire sinat, ne hostes laxatis habenis furere permittat. Flagitantem audit Deus. Normam ei aperit divinam, qua iustus salvus evadat, intereat impius. Quare Chaldaeus est virga in manu Dei, quae peracta castigatione confringatur et abiiciatur ; quam eorum confractionem et ruinam quinque *vae* explicat, varias afferens causas, cur interitui obnoxii sint ; reliquas enim gentes rapacitate, superbia, crudelitate, contemptu, miserum in modum discerpserunt et creaturis abusi sunt in cultu idolorum. — Iudicium igitur Dei imminet impiis Iudaeis ; imminet quoque Chaldaeis oppressoribus et idolorum cultoribus. Sed in ipso iudicio salus promittitur piis et fidelibus. Haec sunt prioris partis argumenta ampla et fecunda. Haec in altera parte sublimi carmine illustrantur.

Vates profitetur se sacro quodam terrore perfundi, cum abdita consilia divina et iudicia scrutetur ; obsecratur, ut Deus opus promissum exsequatur misericordiae memor. Tum hoc ipsum Dei opus describere aggreditur : Deum enim exhibet apparentem, lumine circumdatum, qui suae maiestatis splendore orbem replet ; at simul vindictae administros comites habet. Coram tali iudice et homines terrefiunt et ipsa mundi machina

contremiscit. Iam iudicium divinum primo in rerum creatarum maxima perturbatione adumbratur : agitantur flumina et maria ; discinditur terra ; montes contremiscunt ; fluctus undequaque irruunt ; tenebris omnia horrescunt vel fulminibus ad terrorem coruscant. Hac symbolica iudicii divini adumbratione praemissa, quae partim magnalia Dei in Aegypto et in Sinai refert, partim iudicii universalis lineamenta explicat, iudicium Dei in hostes suos proponitur, quorum conteri caput, subverti fundamentum, superbiam retundi dicitur. At piis oborietur salus ; nam ad hanc salutem efficiendam egreditur Deus iudex. Quemadmodum igitur populus Dei, qui castigationem per Chaldaeos meruit, non sine timore esse potest, ita tamen laeta spe et fiducia in Deo servatore collocata se erigere poterit et consolari.

Ex iudicio illo particulari in Chaldaeos impendente occasionem capit propheta describendi generatim Deum iudicem, et, ut ait *S. Cyr.*, pariter a liberatione particulari ad universam maximeque communem progreditur ; quare eius vaticinium imprimis aptum est, quo universam Dei agendi rationem discamus et quibus normis eius utatur providentia supernaturalis melius perspiciamus.

Stilus in hoc carmine grandis est ac magnificus, audax imaginibus ex rebus estis et rerum natura depromptis, aeque sublimitate dictionis quam conceptuum et affectuum insignis, atque pro re nata modo theophaniam splendido dicendi genere illustrans, modo horrores et terrores depingens, modo dulci suavitate ac pietate sensus spei et amoris profundens. Unde *Lowthius* oden hanc « inter absolutissimas in eo genere merito numerari posse » recte existimavit (de sacra poesi Hebraeorum ; prael. 21 ; p. 246). Carmen hoc describi versibus heptasyllabis, nuper *G. Bickell* ostendit (Carmina vel. Testamenti metrice ; p. 213) ; sim. *Gietmann* (De re metr. Hebr. p. 77). Ad huius carminis explicationem praeter ea, quae iam in tomo praecedente notata sunt, haec adscribam : *Antonius Agellius*, praeclarus psalmorum interpres, hisce adiecit commentarios in cantica, inter quae etiam canticum Habacuc reperitur (Comment. in Ps. Romae MDCVI p. 670-690) ; idem praestitit *Simeon de Muis* (Opera omnia, I t. Parisiis MDCL p. 884-894). Etiam *Thalhofer* explicationi psalmorum subiunxit explanationem canticorum, quae in liturgia adhibentur (Erklaerung der Psalmen, 3. Aufl. Regensburg 1871 p. 847). — Explicationes maximam partem mysticas dederunt Ven. *Gerhohus*, praepositus reicherspergensis (*M.* 194, 1027-1046) et *Richardus a S. Victore* (*M.* 196, 400). Alia vide apud *Reinke* (Prophet. Hab. p. 56) et *Trochon* (Les petits proph. p. 323)

LIBER HABACUC

PRIOR PARS

DIALOGUS INTER PROPHETAM ET DEUM CAP. 1 ET 2.

Arg. — Expostulat vates, quod Deus flagitantem, ut populi perversitatem iniquitatemque coerceat, non exaudiat; tali enim mora et longanimitate augeri mala, ius et legem magis magisque sperni, iustum miserum in modum opprimi ab impio (1, 2-4). Respondet Deus, se iam parare ultionem e longinquo a gentibus provenientem eousque inauditam; statimque egregiam hostis ultoris i. e. Chaldaeorum descriptionem subiungit; ait enim se suscitaturum populum ferocem, rapacem, terrore et violentia plenum, optimis instructum armis et egregio apparatu bellico, praedae ac devastationis cupidissimum, insignem regibus devictis, cui munitio nulla resistat (1, 5-11). Iam propheta perterritus tantae cladis ruinaeque nuntio Deum supplex obsecratur, ut memor sanctitatis suae ne ad internecionem usque puniat neve permittat pios simul cum impiis eadem pernicie involvi et quasi vilissimam praedam agi; tali enim rerum eventu gentem idololatram impio deorum cultui et aliorum populorum internecioni maiorem etiam operam esse daturam (1, 12-17). Pia et tacita mentis consideratione responsum Dei vates efflagitat, moxque Deus dare dignatur idque clare omnibus legendum proponi iubet: vaticinium scil. fixum ratumque esse et manere, eam autem esse divinam in rerum administratione normam, ut iustus in fide sua vivat, impius vero et superbus et rapax ipsa sua insatiabili cupiditate deceptus intereat (2, 1-5). Qua norma qualis rei exitus demum futurus sit, iam satis indicatur. Quare statim sermo ad Chaldaeorum interitum convertitur et quinque strophis, quarum unaquaeque a *vae* incipit, eorum ruina explicatur: *vae* scil. latroni et raptori, *vae* dominatori superbo qui suae domus gloriam stabilire cupierit (2, 6-11); *vae* oppressori, qui servitute gentium abusus sit ad

exstruenda palatia mox interitura, *vae* illuscri, qui et homines maximo contemptu et ignominia affecerit et rerum creatarum abusu et destructione peccaverit, idolorum fretus fiducia; sed *vae* idololatrae, qui res inanes colat; coram Deo expavescat terra (2, 12-20).

Inscribitur libellus : « *Onus, quod vidit Habacuc propheta* »; — quo titulo et visio divinitus vati communicata et rei argumentum innuitur, quod minis et molestia et castigatione non careat; vide ad Nahum 1, 1.

a) De impiorum perversitate querelae 1, 2-4.

Animum exhibet propheta de popularium perversitate vehementer commotum. Neque enim eorum scelera solum tacito dolore prosecutus est, verum continuis obsecrationibus supplex a Domino efflagitabat, ut, quia divina clementia ad meliorem frugem non adducerentur, poenis divinitus inflictis inviti quasi ac reluctantes a sceleribus cohiberentur. Aegre fert, quod Deus pro sua longanimitate et arcanae providentiae consilio mala serpere hominesque concessa libertate adeo abuti permittat. Quare aestuantis animi impetum demum in haec verba solvit : v. 2 « *Usquequo, Domine, clamabo et non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis* »? — hebr. ita quoque intelligi potest : *per quantum temporis iam clamavi* [1] *et tu non exaudis? vocifcror ad te « violentia » neque eripis*; ex duobus dolor eius stimulatur : quod iam diu, sed frustra, maxima desiderii significatione Domini opem imploraverit, et quod interea « violentia » i. e. iuris oppressio et recti ordinis eversio omnisque generis iniuria ita omnia occupaverit, ut uno hoc nomine rerum publicarum privatarumque conditio denominetur oporteat. At dum vates omni conatu eum statum studet avertere, Deus impios prospere agere sinit neque remedium afferre videtur iniquitati terribili violatae iustitiae ultione poenisque immissis; id quod eo magis perplexitatis prae se ferre videbatur, quia ex veteris foederis norma, uti virtuti praemia erant proposita maximam partem temporalia, ita sceleribus castigationes (cf. Lev. 26. Deut. 28. 29).

De *populi sui* iniquitate vatem eas querelas fundere, ex v. 5 et seq. patet, in quibus Deus se immissurum esse Chaldaeos ultores minatur, et hunc in modum verba accipiunt *Cyr. Theod. Sanct. Lap. Men. Tir. Gord. Calm.* et recentiores plerique. Alii Chaldaeos perstringi et oppressionem ab iis illatam exagitari censent; ita *Hier. Haimo, Rup. Rib. Mar. Ros. Ewald.* At perperam; nam Chaldaei ad ultionem immit-

---

1. Ita v. g. *Keil, Reinke*, LXX κεκράξομαι; praesens tempus quod est continuae durationis index exprimunt *Syrus* et *Chald.* : quousque sum ego flagitans vel clamans?

tuntur et a v. 6 tamquam *futuri* ultores describuntur; quare immerito asserunt aliqui, praesentem oppressionem a Chaldaeis inflictam depingi.

Neque convenit inter interpretes, quo animo propheta talia protulerit. Sunt qui eum nimiae in Deum audaciae accusent. Ita fere censet *S. Hier.*: « nullus enim tam audaci voce ausus est Deum ad disceptationem iustitiae provocare et dicere ei : cur in rebus humanis et in mundi istius πολιτείᾳ tanta rerum versatur iniquitas?... vides quod temeraria vox sit et quodammodo blasphemantis, sic Creatorem suum ad iudicium provocare, et vas fragile adversum figulum, cur tale vel tale factum sit, disputare »? Neque absimilia *S. Gregorius* Naz. : « quid autem Habacuc? hic quidem acriori etiam oratione utitur, atque adversus Deum ipsum stomachatur ac benignum Dominum propter iudicum iniquitatem velut clamoribus insequitur, dicens : *usquequo, Domine, clamabo* » (orat. apolog. n. 60. *M.* 35, 469)? Eam acerbitatem alii vel removere vel saltem emollire student interpretantes prophetam non suos prodere animi sensus, verum aliorum induere personam vel populi oppressi et impatienter gementis (ita inter alia *S. Hier.* quoque) vel eorum, quibus propter impiorum prosperitatem dubia de divina providentia suboriantur (*Theod.*). Aliis placet, non eos referri sensus, quos nunc foveat propheta, sed quos antea mente volverit et nunc, cum ab illo errore divino responso liberatus sit, ipse in se reprehendat, eo fere modo, quo psalmista Ps. 72 animi tentationem, dubia, victoriam demum partam non sine sui castigatione referat (cf. apud *Sanct.*).

At neque opus est vatem impatientis animi vel violatae in Deum reverentiae incusare, neque alia eum indui persona, quam neque verba ipsa admittunt neque sequentia v. 12; 2, 1. 2 ullo pacto permittunt; neque opus est ad praeterita tempora confugere, de quorum querelis iam agat poenitentiam. Verba enim non sunt adeo dura; verum est expostulatio cum Deo amica et familiaris, profecta ex animo, qui honorem Dei et virtutis praestantiam summopere exoptet. Bene notat *Sanct.* : « est hoc orandi genus usitatum, quod affectum indicat non tam indignantis et offensi, quam aestuantis animi et desiderantis illa, propter quae instituitur ea quae iudicari possit querimonia, cum tamen non sit nisi ardens et humilis oratio; sic Ps. 12 ». Immo Deum ardenti oratione tali et si placet audaciore delectari, quippe qua vehementissimum amici Dei desiderium magno cum dolore mixtum manifestetur, inde concludas velim, quia statim amplissima responsione conquerentem remuneratur.

Inter varia, quae ex prophetae verbis ad doctrinam et mores utilia sancti Pa-

tres colligunt (vide apud *Sanct.*), duo afferre libet. Alterum *S. Cyr* : « scite admodum inexplicabilem Dei benignitatem testificatur. Demonstrat enim malorum perquam tolerantem, quamvis improbos odisse soleat. Peccantibus autem non protinus solere poenam infligere, clare ostendit, dum eo silentii et longanimitatis venisse ait, ut iam etiam expostulatione opus sit... qua enim oratione Deum ut immodice patientem incusat, eadem illi immensae benignitatis testimonium praebet ». Alterum *S. Hier.* : « quomodo si aegrotus et aestuans febribus aquam frigidam postulet et dicat ad medicum : vim patior, crucior, uror, exanimor, usquequo, medice, clamabo et non exaudies? et respondeat ei sapientissimus et clementissimus medicus : scio, quo tempore debeam dare quod postulas : non misereor modo, quia misericordia ista crudelitas est et voluntas tua contra te petit ; ita et Dominus noster sciens clementiae suae pondera atque mensuras, interdum non exaudit clamantem, ut eum probet et magis provocet ad rogandum ».

Aegre fert, quod tam multiplicem iniustitiam oculis suis cernere debeat, « iniquitati irascens principum populi, qui multam variamque pauperibus iniuriam faciebant, magnopere quidem cognoscens digna esse suppliciis ea quae fiebant, dolens autem, quod Deo ultionem differente multa adversus pauperes vigeret iniustitia » (*Theod. M.*). Unde v. 3 « *quare ostendisti mihi iniquitatem et laborem, videre praedam et iniustitiam contra me? et factum est iudicium et contradictio potentior* » ; — hebr. *quare videre me facis iniquitatem et cernis*[1] *molestiam? vastitas et violentia (est) coram me et fit contentio et iurgium extollitur?* Gravius et molestius est oculis cernere per singulos dies inique facta, quam talia solo rumore accipere (cf. *Sanct.*) ; demiratur propheta eam miseram molestamque rerum conditionem *spectari* a Domino, ita ut quasi iners ac quietus eam toleret ; quae Dei patientia quo magis videatur ab humana exspectatione aliena, quattuor modis rerum omnium perturbationem, vim, iniurias, lites iniustas effert, quibus omnia circa vatem perstrepant. *Contra me* ex textu hebr. idem est ac *coram me* ; sed prophetam ipsum quoque iniuriis ac molestiis esse impetitum, facile concesseris. *Iudicium*, quod *vulg.* habet, sensu malo esse accipiendum, iam monet *Lap.* : « est enim hebr. ריב i. e. litigium, iurgium, hoc est ut explicans subdit *contradictio* ; Pagnin. *contentio*, q. d. perversi qui lites et iurgia serunt urgentque, potentiores sunt iustis simplicibus et quietis, eosque in iudicio et iurgio supplantant et expilant ».

Quia igitur iniusti regnant in iudiciis et e contra iusti ac pii in omni

1. Textus *mas.* habet תַּבִּיט, quod perperam aliqui quasi duplex *hiphil* exponunt : cernere facis. LXX et *S. Hier.* legisse videntur הביט. *Syrus* et *Chald.* vertunt : ego conspicio. Lectio *mas.* vigore quodam et grata varietate sensus minime caret.

iudicio et foro conculcantur (*Sanct. Tir.* sim. *S. Hier.*) vel potius, id quod melius aptiusque videtur, quia Dominus iniquam rerum conditionem tacitus ac quietus spectat nec grassantem impietatem iustis poenis cohibet, res in deterius labuntur et impii impunitatem sibi polliciti audaciores ad malum perpetrandum spiritus assumunt (cf. *Rib.*). Unde v. 4 « *propter hoc lacerata est lex et non pervenit usque ad finem iudicium; quia impius praevalet adversus iustum, propterea egredietur iudicium perversum* » ; — hebr. *propter hoc torpescit*[1] *lex* i. e. nil valet, est sine vi et efficacia; eius observatio iacet sepulta, *neque prodit in finem* i. e. ita ut stabile sit atque firmo et perpetuo consistat *iudicium* vel rectus rerum ordo; *impii enim circumcingunt iustum* i. e. dolis et insidiis eum supplantant atque deiiciunt; unde fit ut tota rerum conditio iam sit *iudicium perversum* i. e. talis status qui recto ordini plane et e contrario opponatur; quidquid scil. *iuris* nomine venit et tali nomine ab impiis cohonestatur, contortum, perversum, iniustum est. Talem autem ambitum nacta est impietas, quia Deus patientia usus singulos passus est suas persequi vias; « etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala » (Eccl. 8, 11). *Finem*[2] latini exponunt de scopo : ipsum iudicium non habet finem suum; finis autem iudicii est iudicare iuste (cf. *S. Hier.*); sed hebr. non admittit hunc sensum.

b) Chaldaei ultores describuntur 1, 5-11.

Mala, de quibus conquestus est propheta, non impune grassari a Deo sinuntur. Statim enim Deus respondet monetque omnes, ut mentes oculosque dirigant ad gentes, ex iis enim fore, ut ultores exsistant, qui ultionem hucusque inauditam in iniquos perpetraturi sint. Et cum propheta de impiorum securitate, praepotentia, temeritate verba fecisset, potissimum ipsos impios alloquitur Deus eosque videre et respicere iubet, quam poenam exitio parem et stupore plenam iis sit impacturus (cf. *Cyr. Theod. M. Theoph.*). Ita v. 5 « *Aspicite in gentibus et videte, admiramini et obstupescite! quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet, cum narrabitur* » ; — scil. generali quodam prooemio minas primum praeparat ac veluti introducit Deus; impios iubet oculos attollere et respicere in longinquum et gentium agmina perlustrare, quae totidem

1. פוּג cf. Gen. 45, 26, ubi *S. Hier.* vocem de gravi somno explicat; Ps. 77, 3 hebr.

2. LXX εἰς τέλος. *Chald.* vertit : in perpetuum. Alii vertunt *ad victoriam*; ita iam *Syrus*; alii vocem ad arabicam radicem contorquentes *iudicium ad veritatem* eliciunt (cf. *Hitz.*); sed quis vocem נֶצַח toties obviam subito obtrudi sibi patiatur significatione adeo peregrina?

sunt divinae ultionis instrumenta parata ad internecionem iussu Dei inferendam ; innumera enim gentium agmina Deus in promptu habet, quibus immissis Iudaeos praevaricatores conculcet, neque semel tantum id experti sunt. Verum iam non communi, sed prorsus inaudito et plane incredibili modo Dei vindictam illos esse in se suscepturos docet ; quare praecipit, ut stupore et admiratione defixi haereant, *quia opus operans* ego (hebr.) in diebus vestris, quod punitiones eousque inflictas in tantum superabit et excedet, ut ei nuntio fidem plane non adhibeant, quippe qui nihil simile experti sint. Et augentur minae, cum dicat eam calamitatem non adeo longe abfuturam, sed in *diebus vestris* fore, esse quasi iam in foribus et instare neque illos iniqua securitate tutos esse posse (cf. *Cyr.*). Praefatio haec ad terrorem incutiendum tota est facta statimque ostendit Deum sicut quandoque mira cum longanimitate ac patientia praevaricatores peccatis insordescere sinat, ita maiorem impietatis molem etiam maioribus poenis demum esse ulturum. Stragem a Chaldaeis illatam revera inexspectato evenisse, etiam Ieremias testis est : « non crediderunt reges terrae et universi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis et inimicus per portas Ierusalem » (Lament. 4, 12).

Aliis placet *aspicite in gentibus* explanare : videte ea quae fiunt in gentibus, quod scil. nulli parco iniquo (*Alb.*), vel : videte gentes, quomodo vastatae sint ; ita et vos vastabimini (*Rib.*) ; vel : videte, num unquam inter gentes simile factum sit iudicium (*Hitz. Del.*), vel : oculos dirigite in gentes ; ex iis enim vobis veniet iudicium (*Keil*), vel : videte gentes ; iam enim tumultuantur et densae nubis instar conglomerantur (*Reinke*) ; sed aptius est ad contextum atque etiam magis ipsis verbis consonum interpretari, uti supra ; similiter explicat *Sanct.* : aspicite, quas gentes advocem, per quas ab impiis severas exigam poenas (sim. *Lap. Men. Cord.*). LXX habent ἴδετε οἱ καταφρονηταί ; legerunt ergo בֹּגְדִים, uti iam *Rib.* et *Sanct.* monent[1]. Ita *Syrus* quoque ; eandem lectionem quoque expressam invenit *S. Hier.* in duabus aliis editionibus : *videbitis calumniatores, videbitis declinantes*, dum *Aq. Sym. Theod. Chald.* legunt, uti *S. Hier.* בַּגּוֹיִם. S. Paulus in Act. 13, 40 lectionem refert τῶν LXX, quae ratione habita sensus ab hebraica non discrepat. Sermonem enim fieri minis plenum ad praevaricatores iisque horrenda intentari supplicia, in aperto est. Qui autem potissimum obnoxii iis futuri sint, propheta postmodum 2, 4 clarius docet, incredulos scil. esse perituros, solosque iustos in fide sua iri salvatum ; unde iuremerito remittit auditores suos S. Paulus ad supplicium a vate praedictum, ex quo discant quid castigationis incredulis sit a Deo propositum.

Minime igitur ex versionum varietate colligendum est cum *Calm.* : « quam ingens fuerit ea aetate codicum hebraicorum dissidium » ; totum enim discrimen

---

1. Cf. v. 13 ; 2, 5 ; unde ea lectio prope adiacet : item Prov. 13, 15. Os. 6, 7 etc.

ad literulae unius formam paulo mutatam reducitur, si consonantes spectaveris, quibus solis scriptura hebr. olim constabat. In concilianda citatione S. Pauli cum textu hebr. operose sudant *Rib.* et *Sanct.* quos vide ; at multo operosius *Lap.*, qui demum vult lectionem hebr. ex intentione Spiritus S. fuisse ambiguam volentis scil. utramque translationem significare et stabilire. At frustra ; nam saepe Apostolorum non interest verba referre, sed sensum ac sententiae pondus, ad quod efferendum sua quandoque verba explicationis gratia interserunt.

Iam causam admirationis et stuporis subdit et quale opus operaturus sit Dominus, declarat (cf. *Hier. Theod. M.*) : v. 6 « *quia ecce, ego suscitabo Chaldaeos, gentem amaram et velocem, ambulantem super latitudinem terrae, ut possideat tabernacula non sua* » ; — « terrificus profecto sermo ! quis enim sufferre queat a Deo excitatum ? at natura etiam acerbi sunt ; et hoc ad intentionem et exaggerationem facit » (*Theoph.*). *Chaldaei* apud prophetas Babylonii vel regni babylonici milites appellantur (cf. Is. 13, 19 ; 43, 14 ; 47, 1. 5 ; 48, 14. 20. Ier. 21, 4. 9 ; 22, 25 ; 24, 5 et saepe ; Ez. 1, 3 ; 12, 13 etc.) ; idem in libris historicis (cf. 4 Reg. 24, 2 ; 25, 4. 5. 10. 13. 24 etc.). De Babyloniorum [1] invasione etiam Habacuc loquitur. Eorum ingenium ad terrorem incutiendum factum est ; quare apti sunt ultores ; sunt enim *gens amara* i. e. atrox, acerbitate, iracundia, crudelitate plena (cf. Is. 14, 6. Ier. 6, 23) ; *velox* i. e. praeceps et cum impetu ad quodvis ruens, et insuper cupidissima expugnationum et occupationum alienarum regionum i. e. *ambulans super latitudinem...* sese diffundunt in vastissimas regiones, quas tamquam domini ingrediuntur et secure occupant. Securitatem et divinam protectionem Deus pollicitus ad Abraham dixit : « surge et perambula terram in longitudine et in latitudine sua » (Gén. 13, 17), idem iam ad hostes Chaldaeos dicit, quibus suum populum tamquam praedam committit (cf. *Schegg*).

Dura eorum atque crudelis indoles magis declaratur v. 7 « *horribilis et terribilis est ; ex semetipsa iudicium et onus eius egredietur* » ; — i. e. formidinem et terrorem ubique spargit, omnibus incutit iam solo aspectu ; veri tyranni in modum non agnoscit aliam legem vel aliud ius, nisi quod ipse pro lubitu et arbitrio statuerit ; tale *iudicium* et onera, tributa, servitia et cetera servitutis officia non ad iusti iuris normam, sed pro sua libidine et beneplacito imponit et exigit (cf. *Alb. Rib.*) ; *ex semetipsa...* ita apposite describuntur, qui iurium aliorum conculcatores non legem

---

1. Antiquissimam esse Chaldaeorum gentem, monumenta sacra et profana testantur cf. Gen. 10, 22 ; 11, 28. 31 ; 15, 7. *Rawlinson* l. c. I p. 149. Eorum regnum antiquissimum circa an. 1300 a. Ch. in Assyriorum potestatem concessit ; alterum regnum chaldaicum vel babylonicum, independens ab Assyriis, exortum est an. 625 atque de hoc libri historici et prophetici loquuntur.

superiorem agnoscunt, sed cuncta pro sua voluntate atque cupidine constituunt (cf. *Cyr.*). In hebr. *ex ipso egreditur ius suum et maiestas sua* [1] i. e. pro sua superbia omnem sibi gloriam et maiestatem vindicat, suo imperio cuncta subiiciens, et quid iuris sit, ipse sibi statuit pro libitu. Accedit ad spiritus eorum truces et tumentes, quod optimo apparatu bellico instructi sunt, praeprimis equitatu velocissimo, cuius ope et inopinato irruunt et fugam omnem intercipiunt; v. 8 « *leviores pardis equi eius et velociores lupis vespertinis et diffundentur equites eius; equites namque eius de longe venient, volabunt quasi aquila festinans ad comedendum* »; — verba ipsa indicant iamiam instare impletionem minarum, quibus olim Moyses contumaces terruerat : « adducet Dominus super te gentem de longinquo et de extremis terrae finibus in similitudinem aquilae volantis cum impetu; cuius linguam intelligere non possis, gentem procacissimam, quae non deferat seni, nec misereatur parvuli » (Deut. 28, 49. 50); unde novus quidam horror ei annuntiationi tanto cum pondere repetitae pro diebus ipsorum accedat oportet. Chaldaeorum equitatus et currus ad bellum valentissimi saepius laudantur; cf. Ier. 4, 13. 29; 6, 23. Ez. 23, 23 et insuper vide *Rawlinson* l. c. III p. 10. Impetum, furorem, rapacitatem optime depingit propheta in *lupis vespertinis* [2], « siquidem lupi saeviores esse dicuntur nocte vicina et tota die fame ad rabiem concitati » (*Hier.* sim. *Alb.* *Rib.* *Sanct.* qui rem eam etiam ex poetis illustrat etc.). Idem alio exemplo aquilae ad praedam e longinquo volatu rapidissimo festinantis docet; « Babylonios igitur ad cursum levissimos, mire audaces et confidentes, et ab agrestibus feris nihil distantes et qui capiendis quasi involent, rursus ipsis denuntiat » (*Cyr.*); insuper aquilae omnia volatilia subiacere, monet *S. Hier.* Cum tales sint, fieri non potest, ut non maximam cladem et terrorem afferant; v. 9 « *omnes ad praedam venient, facies eorum ventus urens; et congregabit quasi arenam captivitatem* »; — versionem explicat *S. Hier.* : « quomodo ad flatum venti urentis virentia cuncta arescunt, ita ad aspectum eorum omnia vastabuntur, tantusque erit numerus captivorum et praedae, ut per ὑπερβολὴν etiam arenae possit aequari ».

---

1. Cf. Iob 13, 11; 31, 23; 41, 17. LXX explicant λῆμμα *vaticinium*, quare graeci interpretes auguria Chaldaeorum perstringi censent. Vertit *Sym.* αὐτὸς ἑαυτῷ δικάσει καὶ δόγμα τὸ εαυτοῦ ἐπεξελεύσεται; ita apud *Theod.* Vertit *Chald.* decretum eius, *Syrus* aspectus eius.

2. Cf. Ier. 5, 6. Soph. 3, 3. LXX hic et apud Soph. legerunt non עֶרֶב sed עֲרָב, unde de lupis *Arabiae* mentionem faciunt, « quos ferunt aliis saevitia multis partibus antecellere » (*S. Cyr. Theoph.*). Alii *hyenas* ita vocari existimant (cf. *Lap.*). Sed *vesperum*, non Arabiam, exprimunt cum *S. Hier.* etiam *Syrus* et *Chald.* Cum in textu graeco v. 6 legatur τὸ ἔθνος, v. 7 vero φοβερὸς καὶ ἐπιφανής, hunc v. et seq. graeci de Nabuchodonosor accipiunt, non de Chaldaeorum gente universim.

De vento urento cf. Os. 12, 1; 13, 15. Iob 27, 21. Simul innuitur, quanta cum facilitate captivi colligantur; *sicut arena*, quae corradenti non resistit, sed quae contemptui est utpote innumera et vilis multitudo.

Uti *S. Hier.* vertit, ita *Sym.* quoque et *Chald.* et fere *Syrus* habet. *Ventum urentem* explicite efferunt *Sym.* et *Chald.* et *aspectum faciei* praeter illum etiam *Syrus* exprimit. Textus *mas.* fert : מְגַמַּת פְּנֵיהֶם קָדִימָה. Difficultas est in voce מְגַמַּת, quae hoc solum loco occurrit, quam alii *turbam*, *coetum*, alii *desiderium*, utrumque ex radicibus arabicis, explicant (cf. *Ges. Fürst, Keil*); unde vel : *turba facierum ipsorum prona spectat*, aut *orientem versus spectat*; vel : *desiderium, nisus facierum est in adversum;* omni conatu et impetu antrorsum nituntur (*Keil, Reinke*) vel orientem versus (*Hitz.*). Verum hae recentiorum explicationes minime satisfaciunt. Nam *turba facierum* pro *multitudine* exercitus est mirus loquendi modus; neque quid sibi velit *antrorsum niti* cernitur, cum nullius facies retrorsum nitatur, atque omnis qui incedat antrorsum incedat; quomodo autem Chaldaei *orientem versus* ingrediantur, si Palaestinam petant, nemo explicaverit. Quod *Hitz.* habet, Chaldaeos a septemtrione profectos versus maris litus processisse et iam a litore, ergo ab occidente advenire, gratis dicitur, cum Habacuc Chaldaeos iam ad mare mediterraneum pervenisse indeque Iudaeam invasuros minime innuerit. — Veterum acceptio sensum praebet meliorem et vastationem a Chaldaeis illatam optime comparatione venti urentis קָדִים (Gen. 41, 6. 23. Iob 27, 21; 38, 24 etc.) exprimit, quamvis forma קָדִימָה, non satis explicetur; aliqui volunt agnosci ה emphaticum seu αὐξητικόν, quo significatio intendatur (cf. *Ros.*). Praeplacet formam statuere duplicem קָדִים et קָדִימָה; cf. Ez. 47, 18; 48, 3 et vide קֶדֶם et קֵדְמָה Ez. 27, 13; 38, 13; 45, 7. — LXX habent : συντέλεια ἐπ' ἀσεβεῖς ἥξει. unde legerunt כָּלָה, non כֻּלֹּה *universitas eius ad violentiam veniet*; sed lectionem *mas.* confirmant *Sym. Syrus, Chald.* praeter *S. Hier.*

Neque impetum illum, quo omnia deiiciat et rapiat, ullius regis potestas coercere neque arces munitae inhibere possunt; nam de omnibus victoriam reportabunt Chaldaei egregiam et facilem; v. 10 « *et ipse de regibus triumphabit et tyranni ridiculi eius erunt; ipse super omnem munitionem ridebit et comportabit aggerem et capiet eam* »; — in hebr. etiam magis contemptus exprimitur, quo Chaldaei adversariorum potestatem habent : *regibus illudit et duces (principes) risus* i. e. irrisioni et despicatui *ei sunt*; si qua munitio eis obiicitur, de ea quoque rident et colligunt *pulverem* (hebr.) i. e. prompte ac facillime aggerem exstruunt et expugnant omnem arcem. Qui de regibus locisque munitis ita rident, nonne tremendi erunt ultores? nonne iure ab Ieremia vocantur *malleus universae terrae* (Ier. 50, 23)? Ergo praeclare oratio haec ea confirmat, quae v. 5 minaciter dicta erant. Tota sententia de Chaldaeorum gente pronuntiatur neque ullum adest vestigium, cur de Nabuchodonosor cum *Lap. Tir.* aliisque speciatim intelligatur; immo versu sequenti specialis

haec explicatio excluditur, cum non huius regis, sed totius gentis historia et res gestae paucis comprehendantur; v. 11 in hebr. *tunc revirescit spiritus* (renovatur animus) *et supergreditur* (excedit limites) *et delinquit; haec eius fortitudo est deus eius* i. e. ex successu prospero novos audacioresque spiritus haurit; hisce tumens ac turgidus iam omnes limites transsilit et ita reum se reddit; quod delictum ruinam eius necessario adducturum esse, hoc loco obiter innuitur; qua re potissimum delinquat, declaratur ultima sententia : suam fortitudinem i. e. se ipsum colit tamquam deum, id quod superbiae fastigium est. Babel sibi attribuisse numen divinum, etiam Isaias accusat : « et dixisti : in sempiternum ero domina... ego sum et non est praeter me amplius » (Is. 47, 7. 8. cf. 14, 13. Dan. 4, 27-29).

Haec facem praeferunt ad rite intelligendum textum *vulg*. v. 11 « *tunc mutabitur spiritus et pertransibit et corruet; haec est fortitudo eius dei sui* »; — i. e. audaces spiritus augentur, renovantur; cf. Is. 40, 31 « qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem »; et hoc innovato vigore ad maiores sesé accingent expeditiones vel terminos omnes ac fines perrumpent et ita se culpis illigabunt. Notat *S. Hier.* : « pro *corruet* Aquila et Symmachus transtulerunt πλημμελήσει, id est *delinquet* » et eodem loco hebr. אשם explicat *delinquere*; quare *corruere* rite dices esse idem h. l. ac *culpa corruere* (cf. *Rib. Mar.*). Ultimum in versione *S. Hier.*, ut ipse dicit, εἰρωνικῶς est legendum : haec est fortitudo eius, quam dedit ei deus suus; miserum habebunt exitum tam grandia coepta.

Alii textum hebr. ita vertunt : *tunc pervadit,* (sicut) *ventus et perlustrat* (omnia) — ita ut Chaldaei tempestati omnia pervadenti comparentur (cf. *Keil*). At prior explicatio melior est ratione habita sensus, cum revera sermonem augeat et quomodo vires Chaldaeorum magis magisque ex parto successu crescant, bene ostendat. Secunda explanatio non continet nisi repetitionem languidam eorum, quae iam v. 8. 9 dicta erant. Neque prior verbis ullam infert vim; nam cum חלף in *hiphil* significet *revirescere facere,* vide Is. 9, 9; 40, 31; 41, 1. Iob 14, 7; 29, 20, ea notio quam pro *qal* postulavimus, non potest abesse a verbo et revera invenitur Ps. 90, 5 (hebr.) de gramine virente.

Textum latinum multi de Nabuchodonosor accipiunt et eam tangi censent mutationem, de qua Daniel (4, 30); « mutabitur spiritus eius humanus in belluinum, ut ex homine fiat quasi bos, ideoque regno expellatur, transeat et corruat » (*Lap.* sim. *Hier. Sanct. Men. Tir. Gord. Calm.*). At, ut alia omittam, iam bene *Rib.* monet, omnia de gente, non de uno rege dici.

LXX intellexisse videntur אשם de sacrificio pro delicto; unde vertunt καὶ ἐξιλάσεται; explicat *Cyr*. Deum consilium puniendi mutaturum, ad misericordiam transiturum et afflictis Iudaeis propitium futurum; sim. *Theod. Theod. M. Theoph.*

Versionem vulg. in ultimo membro *Schegg* sic explicat : haec est fortitudo eius, fortitudo scil. Dei sui i. e. talis fortitudo et talis rerum successus Chaldaeis a Deo vero est concessus ; ita apte sermonem Dei claudi et minas augeri censet cum Deo favente ad talem potentiam Chaldaei dicantur pervenire, quo efficacius vindictam in impios Iudaeos exerceant. Sensus quidem non est spernendus ; immo facile concesseris, tali epilogo magno cum pondere neve minore elegantia orationem absolvi ; at quin ei expositioni subscribam, vehementer impedior textu hebraico, qui eam nullo pacto admittit, neque video neque simili unquam exemplo didici, Iahve vocari Deum Babyloniorum.

c) Propheta excidium deprecatur 1, 12-17.

Cum tanta Chaldaeorum potestas et fortitudo insuperabilis et atrocitas summa ad omnia conculcanda et vastanda verbis Domini sit descripta, propheta talem stragem mente iam praeoccupans supplices manus ad Deum tendit eique sacra illa foedera et promissa in memoriam revocat, quibus spoponderat se salutem et beneficia populo praestaturum ; quare magna cum fiducia vates profitetur, Deum non excidium, sed solum castigationem et eruditionem populo posse immittere. Minis igitur divinis quae maximam stragem denuntiabant, hisce vates occurrit *opponens murum pro domo Israel* (Ez. 13, 5) : v. 12 « *Numquid non tu a principio Domine Deus meus, sancte meus? et non moriemur. Domine, in iudicium posuisti eum, et fortem, ut corriperes, fundasti eum* » ; — hebr. *nonne tu a principio Iahve, Deus meus* i. e. nonne tu es Deus foederis, fidelis, immutabilis ex prisco illo tempore, quo nos in populum tuum et peculium et hereditatem elegisti? fierine igitur poterit, ut penitus perdas? Minime sane (cf. *Hier. Theoph. Rib. Sa, Tir. Calm.*) ; nam ipsum nomen *Iahve* Deum dicit foederis (vide quae ad Os. 2, 22 ; 12, 5 et Ioel 2, 32 adnotata sunt) ; unde solius nominis tessera Deus promissionum admonetur, quae simul pro populo certissima sunt pignora salutis. Ei foederi, quod irritum fieri nequeat, innixus propheta magno cum affectu Iahve vocat *Deum meum* : « haec loquitur blandientis et poenitentis affectu » (*S. Hier.*) ; « ad maius pathos maioremque affectum et obsecrationem, ut gratiam a Deo eblandiatur, vocat eum *Deus meus, sancte meus* » (*Lap.*). Porro titulo sanctitatis alia Deo proponitur ratio, cur populi sui excidium non permittere possit. Deus enim ut sanctus necessario vult suam sanctitatem relucere in creatura rationali. Propterea enim sibi populum elegit, ut sit gens sancta (Ex. 19, 6) ; unde voluntas Dei et electio effectu privari nequit ; quare propheta eum per sanctitatem efficaciter obsecratur, ut quia hanc in terris stabilire velit, populum sibi consecratum non repudiet. Unde *S. Cyr.* apte infert Deum misereri, utpote *sanctum* ; nam ut sanctus efficere vult in aliis sanctitatem, id quod sine multa misericordia et venia saepe ac benigne concessa fieri nequit.

Consistit enim, ut notat *Lap.*, sanctitas in conformitate cum lege aeterna, quae est in mente Dei. Haec conformitas in Deo est infinita; hinc pariter infinita eius sanctitas. Ad quam conformitatem ut genus humanum lapsum revocaret, erudiret, efformaret, populum Israel a multitudine profana segregavit suoque servitio addixit i. e. in populum sibi *sanctificavit*. Hoc autem Dei opus irritari minime posse propheta optime perspicit; quare Deum *sanctum suum* appellans obsecratur, ut operi incepto insistens populum ab illa conformitate aberrantem revocet eumque sanctum restituat. Hac simul fiducia fretus, confidenter enuntiat : *et non moriemur* [1] i. e. non penitus exscindemur (*Theoph.*), fieri nequit, ut intereamus deleti a Chaldaeis; « hic loquendi modus eius est, qui de rerum eventu et voti complemento non dubitat : tu es Domine Deus noster et sanctus noster, *ergo* non moriemur, aut propterea non moriemur » (*Sanct.*). Praeterea vide quae ad Os. 11, 9 adnotata sunt.

Non igitur Chaldaeus mitti potest, ut conterat et deleat, sed solum, ut iudicium ultionis, correptionis, eruditionis exerceat; « positum esse autumamus, ut impleret quod divinitus contra Israelitas egressum fuerat iudicium, hoc est, expugnationem, captivitatem, urbium inflammationem et ut semel ac simul dicam, Iudaeae vastitatem » (*Cyr.*). Et ut Chaldaeus hoc munere rite fungeretur, *fortem fundasti eum* secundum *vulg.* i. e. ei magnam atque inconcussam potestatem pro aliquo tempore concessisti. Hebr. verte : *Iahve, in iudicium posuisti eum, petra, ad corripiendum fundasti eum*; est perfectus parallelismus; nomen Iahve alio membro excipitur *rupis* vel *petrae* appellatione (צור), qua Deus, utpote saxum et fundamentum inconcussum super quo populus electus fundatus sit et collocatus, saepius consalutatur [2] in textu hebr.; cf. Deut. 32, 15. 37. Ps. 31, 3; 89, 27; 94, 22. Is. 17, 10. 2 Sam. 22, 47; 23, 3 etc.

Talia utique ex Dei (Iahve) notione et foedere consequuntur, quae vates v. 12 magna cum fidei fiducia protulerat. Verum *minae* divinae v. 5-11 prorsus *universales* sunt, immo iustum in Israel et impium eadem strage involvere videntur nullo discrimine facto; quare non solum totius

---

1. Asserunt Masoretae scriptionem *non moriemur* esse *tiqqun sopherim* i. e. correctionem scribarum pro לֹא תָמוּת *non morieris*, quod propheta vel revera scripserit vel saltem primitus scribere voluerit; at cum dictio haec non satis decora videretur, eam esse mutatam... *Syrus* habet ad verbum : non lex tu, Domine; id quod *Barh.* explicat : haec ambigendo et interrogando loquitur : num forte legem aboles, quod occisor occidatur ?

2. Quare si Christus idem nomen, quod hominis cognomen nullo modo esse solebat, Simoni filio Ionae sollemniter indit, nomen ei imponit honorificentissimum atque significatione plenum, quo eum tamquam fundamentum inconcussum quasi Dei vices gerere debere indicat; est enim *Kepha* כֵּיפָא, כֵּיף vox chaldaica eiusdem notionis, sicut hebr. כֵּף quoque, cf. Ier. 4, 29. Iob 30, 6.

populi excidium, sed etiam iustorum simul cum impiis interitum annuntiare videntur. Haec duo prophetae animum angunt vehementer neque ea cum numinis divini sanctitate et providentia conciliare potest; unde talia deprecans Deum per suam ipsius sanctitatem et curam de populo suo providam obtestatur : v. 13 « *mundi sunt oculi tui ne videas malum et respicere ad iniquitatem non poteris : quare respicis super iniqua agentes et taces devorante impio iustiorem se?* v. 14 *et facies homines quasi pisces maris et quasi reptile non habens principem* »? — i. e. Deus malum, quod suae voluntati repugnat, approbare nequit neque iniquum ac miseriis plenum rerum statum (hebr. עָמָל) diutius invalescere vult; et tamen, uti minae prolatae indicant, statuit Chaldaeos praevaricatores et contemptores prosperum nancisci successum et vult permittere, ut ipsi iusti ab impiis *devorentur*, i. e. tamquam a feris vexentur, scindantur, spolientur, miserrima morte intereant. Immo statuisse videtur, ut interitus populi sui sibi tam parum cordi ac curae futurus esset, quam si pisces ac reptilia caperentur; in tantum populum suum contemnere et abiicere videtur. Haec animum prophetae perturbant et ancipiti sollicitudine premunt; unde fluit locutionis forma aliquid expostulationis prae se ferens : *quare respicis... taces... facies*? neque opus est cum *Theod. Theoph.* — ut omnis absit vel offensio vel loquendi durities acerbitasque — assumere, prophetam non suo nomine, sed ex aliorum persona talia effari, quorum querulas cogitationes depingere velit.

Atque quo efficacius Deum precibus moveat, rei indignitatem piscium comparatione elatam Deo proponit; populum scil. electum iam ad censum et ordinem piscium esse abiectum; « quomodo pisces qui non habent principem et irrationabilia iumenta et multitudo reptilium absque providentia subiacet fortiori et quicumque plus valuerit viribus, dominatur in alterum; sic inter homines, animal rationale et ad similitudinem tuam conditum, non valebit ratio, non merita, sed vires corporis et irrationabilis fortitudo » (*S. Hier.* sim. *Theod. Theoph.*); vel potius uti alii melius comparationem illustrant : ita contemni populum a Deo, perinde ac si essent pisces vel reptilia, quoniam quicumque eos vexare velit et spoliare, nemo prohibet et ita impune fit, ac si pisces aut reptilia occidisset; « his reptilibus, quibus neque ex suo genere dux est aut princeps, neque ex alieno dominus, qui illa ab aliorum iniuria tueatur, aut repetat, si per vim aut fraudem ablata fuerint, comparantur Iudaei, quos Deus ita videtur deseruisse et Chaldaeorum exposuisse telis, ac si ad se nullo pertinerent modo » (*Sanct.* sim. *Rib. Lap. Mar. Men. Calm. Trochon*).

Rei indignitatem ulterius delineat ex duobus : ex strage universa, quam in tali rerum conditione piscator afferet, et ex ipsius piscatoris

impia insolentia, quae ex copiosa praedaori etur : v. 15 « *totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua et congregavit in rete suum : super hoc laetabitur et exsultabit* » ; — nullo prohibente, impune, potest piscator ille Chaldaeus totum [1] populum internecione delere ; licet ei omnem adhibere modum, quo exitium inferat ; id quod variis piscandi instrumentis designatur (cf. Ez. 12, 13. Ier. 16, 16). De quo successu hostes ingenti laetitia et tripudio efferentur ; immo in superbia sua et cultu idololatrico, quo sibi et suo numini cuncta prospera attribuant, eximia ratione confirmabuntur. Id iam proponit propheta, ut etiam ex hac parte Deo supplex exhibeat, quantopere sibi ipsi et suo honori debeat, ut impetus Chaldaeorum cohibeatur neve eo modo irruere sinantur, quem minae divinae prae se ferant : v. 16 « *propterea immolabit sagenae suae et sacrificabit reti suo, quia in ipsis incrassata est pars eius et cibus eius electus* » ; — « inde superbia elatus, gestorum suorum causam solas proprias vires esse putat et hisce divinos honores haberi iubet » (*Theod.* ; sim. *Theod. M. Sanct. Mar. Men. Tir. Gord.Calm.*) ; sibi ipsi et numini suo, suae sollertiae et sagacitati cuncta adscribit ; cf. v. 11 hebr. haec fortitudo est ipsi in deum, quatenus Chaldaei ea omnia sibi prospere succedere censent ex ope et favore deorum. Cernebant enim veteres intimo nexu inter se unita et coniuncta fata nationis prospera et gloriosa atque deorum popularium potentiam et maiestatem. Gentium spoliis divites effecti sunt, possessiones creverunt ; pretiosa quaeque iis penduntur a subiectis : hisce omnibus ad deorum suorum laudem et cultum abutuntur eaque cuncta iis accepta referunt. Quare miratur propheta, cur Deus ista omnia fieri permittat, quibus gloria idolorum adeo celebretur.

Aliqui alludi volunt ad morem Scytharum et Sauromatarum quem refert *Herodotus* (4, 59. 60), acinacem scil. Martis symbolum ab iis fuisse adoratum et sacrificiis cultum (cf. apud *Reinke* et *Trochon*). Sed nihil tale de Chaldaeis est notum et reti vel sagenae i. e. armis fuisse oblata sacrificia vel rete et sagenam i. e. arma symbolum fuisse numinis bellorum praesidis res est apud Chaldaeos plane inaudita. Quare explanationi inhaerendum est quae communiter et recte proponitur : omnia tribuent propriae virtuti, propriis viribus, propriae industriae (*Vat.*). Censet *Schegg*, deos Chaldaeorum a propheta per contemptum vocari *rete* et *sagenam*, quia eorum numinum favore sibi multiplicia suppeditari auxilia ad nationes conterendas opinati sint.

---

1. LXX iterum legerunt כָּלָה, uti v. 9 ; unde συντέλειαν ἐν ἀγκίστρῳ ἀνέσπασεν· sed *Theoph.* vocem explicat : « is enim tantam habet vim, ut omnes gentes (id enim indicat *consummatio*) extrahat evellat, veluti hamo quodam, hoc est proprio robore ».

Versus 15 - 17 esse e textu prophetae eiiciendos, utpote perperam insertos asseruit I. v. *Gumpach* (cf. apud *Reinke*, Hab. p. 90). Ratio praecipua est, quia hisce vaticinium contineatur post eventum editum et quia tempore prophetae relicto invasiones Scytharum describantur. At immerito id affirmari, ex nexu horum versuum cum antecedentibus facile ostenditur. Arcte enim illis adiunguntur et eos magis magisque declarant. Quod dixerat vates v. 13 ab impio iustum devorari comparatione v. 14 instituta illustrat; hanc ipsam v. 15 magis explicat, ut rei indignitas quam clarissime ostendatur; insuper ut iam monui, alia adduntur quae ad affectum augendum non parum conferunt: hostis stragem infert *universam*, ipse de hac omnium ruina impotenti superbia et arrogantia effertur, suis viribus omnia effici sibi persuadet, opibus ditescit et ingenti cupiditate alias et alias subiugandi nationes stimulatur. Talia autem in oratione apte Deo proponi, quibus ad opem ferendam moveatur, quis negaverit? Ergo nisi rationes potissimas et quae maxime affectum precantis pandant resecare velimus, versus isti ex rationibus internis retineri debent. Neque obstat modus loquendi *sublevavit* etc. quasi ea ut iam gesta referrentur. Notum est enim in descriptionibus posse adhiberi tempus praeteritum apud Hebraeos et a prophetis saepe usurpari, quippe qui quae visione perceperunt et quasi gesta mentis oculis aspexerunt, eodem dicendi genere enarrant. Verte igitur *sublevavit* tempore praesenti (cf. Is. 19, 7 hebr.; 43, 3. Ier. 31, 5 etc. vide *Ewald*, Lehrb. §. 135, 3 c).

Porro ex tali successu ad alias nationes bello invadendas et occidendas incessanter exstimulantur (cf. *Cyr. Rib.*); quae alia est ratio, cur Deus eos impune grassari sinere non debeat: v. 17 «*propter hoc ergo expandit sagenam suam et semper interficere gentes non parcet*»; — hebr. *num propter hoc expandet*[1] *rete suum...?* vates Deum hac interrogatione adit: num igitur ferri potest, ut Chaldaei rebus prosperis elati insatiabili cupiditate omnes devorent et ad maiora semper appetenda prospero rerum eventu sollicitentur? *Hebr. num continuo ad gentes interficiendas* (ita incumbet), *ut non parcat?* i. e. sine ulla misericordia vel venia. *Sagenam* metaphora relicta *Chald.* exercitum explicat: numquid propterea mittet exercitus suos; sim. *S. Hier.*: «et quia semel piscatione opulentissima saturatus est et sagenam suam i. e. suum replevit exercitum, propterea gentes interficere i. e. semper pugnare et iugulare non cessat». In textu latino[2] malus ille effectus assertione per modum expostulationis Deo proponitur et obiicitur, quem a Deo permitti indignum sit et plane intolerabile. Magnam indignationem et expostulationem prae se fert illud *ergo*; num *S. Hier.* ita reddidit interrogationis particulam ה?

---

1. Hebr. proprie *evacuabit*, plenam piscibus exonerabit, sed eo consilio, ut statim denuo ad novam piscaturam iaciatur.

2. LXX quoque et *Syrus* ה *interrogativum* non exprimunt.

Hisce igitur vates obviam it minis a Deo propositis. Ipse quidem postulaverat, ut Deus scelera cohiberet cf. 1, 2-4; verum Dei responsione adeo ampla et minaci totius populi interitum et simul cum impiis iustorum quoque excidium sibi audire visus est; quare Deum adit deprecabundus, foederis admonet et ne Chaldaeos in immensum saevire permittat, rei indignitate ex variis capitibus proposita supplex efflagitat. Neque diu caret divino responso.

d) **Deus normam iudicii proponit 2, 1-5.**

Uti sacer psaltes rerum perplexitate pressus, labor est ante me, inquit, donec intrem in sanctuarium Dei (Ps. 72, 16. 17. cf. *Theod. Calm.*), ita vates sacra contemplatione sibi fieri responsum divinum confidit. Simul muneris sui titulum Deo obtendit; est enim propheta a Deo electus, os Dei ad populum, qui verba Dei ad populum ferat, in cuius ore verba sua se positurum Deus spoponderat (cf. Deut. 18, 18); quare in rerum angustiis iuremerito divinum responsum exspectat, idque eo magis, quia Deus ipse non semel invitat prophetas: « clama ad me et exaudiam te et annuntiabo tibi grandia » (Ier. 33, 3; cf. 42, 4. 7). Unde Habacuc muneris sui memor in hac sua dignitate se sistit Domino 2, 1 « *Super custodiam meam stabo et figam gradum super munitionem et contemplabor, ut videam quid dicatur mihi et quid respondeam ad arguentem me* »; — sunt enim prophetae *custodes, speculatores*, qui in alta veluti specula positi curam populi gerunt, hostem venientem annuntiant, periculis prospiciunt; ita apud Ez. 31, 1-7. Inde facile explicatur, cur propheta pro munere suo responsum divinum expetens dicat *super custodiam meam stabo* . . . quasi dicat: e communi vita et hominum turba me recipiam; mente et animo morabor in sublimitate illa, quae in consuetudine et commercio cum Deo adest, in sublimitate muneris prophetici, qua aditus ad Dei colloquium pateat (cf. *S. Hier.*).

Quare speculam hanc et *arcem* (hebr.), in qua [1] consistere vult, *S. Cyr.* haud immerito exponit animum a curis et distractionibus rebusque terrenis longissime remotum, qui Deo appropinquet; « in exercitatione et consuetudine mea excubabo, animum rursus purgabo, curis mundanis exsolvam, sursum quodammodo volabo . . . illic ceu ex iugo montis speculabor secundum intellectum, quae Deus mihi locuturus sit » (*Cyr.* sim. *Theoph. Alb.*). Unde periculo Chaldaeorum imminente — minae enim divinitus adsunt maxime graves — tamquam custos fidelis speculam

---

1. Minime vero cum *Hitz.* cogitandum est de loco aliquo edito ac solitario, in quem se meditabundus receperit. Quae Ex. 33, 21. Num. 23, 3. 3 Reg. 19, 11 referuntur, prorsus diversa sunt.

occupat, sumpta metaphora ab iis, qui arcem custodiunt et undique diligenter dispiciunt, ne clam hostis accedat; quasi dicat : « officio meo non deero, sed illud observabo » (*Theod. M.* sim. *Theoph. Rib. Sanct. Lap. Men.*). In fideli [1] ista muneris sui observantia iure potest exspectare, ut videat, *quid Dominus loquatur in me* (hebr.); « ut indicet Deum non forinsecus verba facere ipsi, sed intrinsecus mente eius contacta; humanus sermo ab extra primum aures circumstrepens dein ad mentem pervenit; divinum vero colloquium intus fit mentisque aures ferit » (*Theoph.* sim. *Hier. Rib. Sanct.*). Edoceri cupit de difficultate proposita 1, 13; id clare indicatur in hebr. *ut videam ... quid respondeam ad disceptationem meam,* vel ad expostulationem et querelam meam, qua scil. cum Deo egit. Ita quoque LXX τί ἀποκριθῶ ἐπὶ τὸν ἔλεγχόν μου, *Syrus* et *Chald.* similiter. Eodem modo explicanda versio lat. [2] i. e. quid mihi ipsi arguenti et querenti possim respondere, qua ratione enodare debeam quaestionem propositam.

Neque frustra vates suam Deo exhibuit ac proposuit vocationem propheticam, qua Dei responsum ei liceat expetere et firmiter sperare; v. 2 « *et respondit mihi Dominus et dixit: scribe visum et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum* »; — iubetur summam responsi divini in perpetuam rei memoriam literis in tabula clare et distincte depictis describere, ita ut maxima facilitate possit legi et percipi; *explana* i. e. distincte et clare exhibe vel propone; « scribere autem iubetur planius, ut possit lector currere et nullo impedimento velocitas eius et legendi cupido teneatur » (*S. Hier.*). Res maximi momenti publicis etiam tabulis fuisse propositas, etiam ex Is. 8, 1 videtur constare. Quid vero propheta ita ad omnium memoriam consignare iubeatur, ambigunt, neque desunt, qui integrum caput vel totam vatis prophetiam ita memoriae exhiberi velint (cf. *Sanct.*), dum alii nihil fuisse publice a propheta scripto proponendum, sed locutionem mera metaphora contineri et absolvi apud se statuant (cf. *Keil, Trochon*). Verum hoc ultimum

---

1. Hoc expressum cerni potest in *figam gradum* : « non movebor ab arce mihi commissa, sine ullo motu exspectabo » (*Rib.*).

2. Certe non apte explicant multi : quid respondeam Deo, si me reprehendat. Neque *ad arguentem me* intelligi potest : « ad eos qui a me rationem harum rerum quaesierint, quasi Dei providentiam accusantes et me prophetam eius pro eo reprehendentes » (*Rib.*). Nam tales in antecedentibus non adsunt; verum ipse propheta expostulat cum Deo. Ceterum textus hebr. demonstrat, frustra eos laborare, qui prophetam non suo, sed aliorum solum nomine querelas fudisse velint. Prophetam autem non studiose suam aliquam excusationem meditari, qua Dei correptionem effugiat, non opus erit probare. — Ceterum תּוֹכַחַת *S. Hier.* vertit *increpationem* Prov. 1, 25; 5, 12; 6, 23; 10, 17; 12, 1; 15, 5. 10. 31. 32. Iob 23, 4. Ez. 5, 15; *correptionem* Prov. 1, 23. 30; 27, 5; 29, 15 (cf. 3, 11; 29, 1). Iob 13, 6; et Ps. 37, 15 legimus in *vulg. redargutiones.*

prorsus gratuito fingitur et verbis adeo distinctis sine ulla necessitate vim infert. Rei summa et cardo continetur in v. 4; unde is ad animos percellendos et edocendos, qua norma Deus in castigatione per hostes immittenda usurus sit, publice literis et tabulis exhibitus erit censendus.

Cur vero non sola annuntiatio sufficiat, sed ratione quadam extraordinaria efficiendum sit, ut responsum divinum quam altissime animis hominum impressum servetur, statim subditur — et inde simul colligi debet, praeceptum de scriptione et tabulis esse proprio sensu intelligendum — v. 3 « *quia adhuc visus procul et apparebit in finem et non mentietur; si moram fecerit, exspecta illum quia veniens veniet, et non tardabit* »; — hebr. *quia adhuc visio ad tempus constitutum et anhelat ad finem* i. e. id quod visione exhibetur, *visum* suo tempore implebitur et ipsa prophetia vi quadam innata tendit (hebr.) ad impletionem, quae erit tempore a Deo constituto. Interea spe et fiducia pios se consolari oportet. Praecipitur ergo scriptio, « quia adhuc visio procul est et in tempore constituto » (*S. Hier.*); nam non erat neque prophetae, neque aliorum, nosse tempora et momenta; « quod si forte pro cupiditate tua, o lector, et videndae visionis ardore paululum tibi visum fuerit moram facere quod promissum est, noli desperare venturum, sed exspecta patienter; me enim habes qui tibi polliceor et dico : *veniens veniet et non tardabit* » (*S. Hier.*). Hac asseveratione efficitur, prophetiam absolute, sine ulla conditione, esse implendam eamque nullo pacto ab hominum cooperatione dependere neque hominum malitia esse ulla ratione retractandam. Fieri enim potest — id quod Ier. 18, 7-11; Ez. 33, 13-19 indubie proponitur — ut prophetia absolute quidem enuntiata tamen sub aliqua conditione futura vel non futura debeat intelligi. Quod igitur nulla facta hypothesi absolute fieri oportet, id tali affirmatione asseri hoc loco placuit. Vide quae dicta sunt ad Ioel 2, 1. 19 et Ion. 3, 10.

Quale sit subiectum in sententia *exspecta illum* etc. ex nexu verborum dubitari nequit; plerique etiam interpretes rite explicant; *visum* esse exspectandum, visum esse venturum [1], *Alb. Mar.* explicant; *id quod promissum est* proponi a *S. Hier.* modo audivimus; *eventum* interpretatur *Sanct.*; λόγον supplent *Theod.* et similiter *Theod. M.*; alii tamen *illum* (graece αὐτόν, dum antecedit ὅρασις) intelligunt vel *Deum*, qui suo tempore res sit ad effectum perducturus (*Theoph.*) vel *Cyrum*, qui Chaldaeorum regnum et insolentiam sit deiecturus (*Cyr. Lap. Men. Tir.*), vel etiam *Nabuchodonosorem* (cf. apud *Sanct.*), vel ipsum denique *Christum*, qui sit ὁ ἐρχόμενος; ita cum alia interpretatione [2]

1. Atque in hebr. de impletione prophetiae בוֹא revera dicitur; cf. 1 Sam. 9, 6. Is. 42, 9. Ier. 17, 15; 28, 9 etc.

2. Rationem reddit versionis suae hanc : « quod pro visione interpretati sumus : *quia*

S. Hier. Eusebius (*M.* 22, 440), *Haimo, Rup. Sa* et magna cum contentione *Rib.* : alii *mystice* vel εἰς ἀφήγησιν ibi Christum agnoscunt v. g. quatenus Cyrus sit typus Christi, vel quatenus Christus verus sit triumphator hostium, vel scopus et finis prophetiae ; cf. *Cyr. Lap. Men. Tir.* Esse sermonem de Christo et quidem de secundo eius adventu, *Ribera* potissimum ex Hebr. 10, 37 probat. Verum hoc argumentum nullum est. Nam eo in loco a) non est Apostoli mens verba prophetae proprie et explicite interpretari ; quod si facere vult, explicite *Scripturam* vel *prophetam* nominat ; b) et si propriam daret et veri nominis explicationem loci, nulla alia ex verbis Apostoli posset colligi, nisi haec : ne animis cadatis, nam Deus promissa certissime est redditurus, idque cito : quae explicatio optime quoque in contextum prophetae apta est. Rem bene iam proposuit *Sanct.* : « neque Pauli locus nimis in oppositum urget ; neque enim tam adducitur, ut prophetae verba dicantur tunc impleri et eo spectare directe et proprie, quam adducuntur *tamquam exemplum,* quo excitentur ad bene sperandum illi, quorum tunc animi contrariarum rerum conflictu laborabant... Quam vero *accommodatus* sensus in Scriptura sacra frequens sit, docet *Gabriel Vasquez* 1 p. disp. 18 n. 9 ; *Acosta* de Christo revelato lib. 5 cap. 5. Ab exemplis abstineo, quae passim occurrent attento lectori ». Praeterea non est omittendum, Deum dici *venire, descendere, egredi* satis frequenter [1], cum minime de Messiae adventu, sed de effectu quolibet, qui peculiari ratione ad Deum auctorem referri debeat, sermo inducitur, id quod idem *Ribera* ipse adnotavit ad Mich. 1, 3 et variis exemplis illustrat ; praeterea cf. Gen. 11, 5 ; 18, 10 ; 20, 3. Ps. 49, 3 ; 79, 3 ; 95, 13 ; 97, 9. Is. 3, 14 ; 30, 27 ; 50, 2 etc.

Tali prooemio praemisso Deus normam et regulam enuntiat, quam in omnium rerum eventu valere vult et publico et privato, quae vero si non statim atque immediate rebus ipsis exsecutioni mandari videatur, nihilominus ex modo dictis firma fiducia erit amplectenda ita, ut tempus quo

---

adhuc visus procul : et si moram fecerit, exspecta illum, id est visum : non putet (nos ?) aliquis errore deceptus pro visione quae est generis feminini visum posuisse, qui est generis masculini et minus usitatum est in latino. Siquidem *hazon* (חזון) apud Hebraeos genere masculino *visus* dicitur et usque ad finem sub eodem genere visionis, id est, *visus,* masculina declinatio conservatur. Septuaginta autem dicentes, *scribe visionem,* et postea, *si defecerit, sustine eum : quia veniens veniet...* primum interpretati sunt visionem genere feminino, quae apud Hebraeos, ut diximus, masculini est. Deinde secundum hebraicum genus, ubi declinatur masculine *sustine eum,* ipsi quoque masculino genere declinaverunt, cum utique debuerint iuxta id quod primum interpretati sunt *visionem,* etiam in reliquis femininum genus ponere visionis, ut dicerent *exspecta eam.* Hoc propterea, ne quod sciebamus videremur tacere ».

1. Quare non possum consentire sententiae nuperrimo a *Corluy* propositae (Spicilegium dogmatico-biblicum, t. II p. 200 seq.) ; tractans enim verba Hebr. 10, 37 ita demum concludit : « Apostolum loqui de Christi adventu ad ultimum iudicium videtur non posse in dubium vocari ; qua autem ratione potuerit de illo adventu dicere *adhuc modicum aliquantulum,* nemo hactenus explicuit modo qui satisfacere debeat catholicis difficultatem istam ad regulas hermeneuticas exigentibus ». Itane?

opere exprimatur, divinae committatur providentiae; v. 4 « *ecce, qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso ; iustus autem in fide sua vivet* » : — hebr. *ecce, tumefacta, non recta est anima eius in ipso ; iustus vero in fide sua vivet* i. e. norma Dei haec est : vita laeta et prospera, ereptio e periculis et interitu, vita demum bonis abundans ac Dei favore beata — quae sola vera est vita — proponitur soli iusto et proponitur, quia et quatenus *in fide sua* consistat ac fideliter permaneat, quia et quatenus pio ac fideli animo Deo subditus verbis ac promissionibus Dei fidem adhibeat firmissimam et spe inde concepta se hac fide et fiducia consoletur ac roboret in omni calamitate. Unica proinde vitae ac salutis spes residet in vera iustitia, quae in tali fide fundatur, ex ea efflorescit, ab ea separari nequit. Igitur quamdiu iustus hanc fidem animo amplexus fuerit, propter eam et eius virtute *vivet* coram Deo, salvus erit, etsi mille periculis sit obrutus. Quae cum sit unica salutis norma, mors, interitus, excidium, aliis omnibus denuntiatur, qui ab hac vitae regula alieni sunt. Tales autem describuntur ii, quorum animi sint elati, tumefacti, superbia inflati et qui rectitudine coram Deo careant. Haec duo enim e contrario opponuntur *fidei*, quae solum in animo humili ac demisso residet, et *iustitiae*, quae humili fide innixa vitae ac salutis promissione sola potiatur. Unde versus ita est conformatus, ut duobus membris partis alterius, iustitiae et fidei respondeant in priore parte ex aequo duae enuntiationes, chiastice collocatae et contrariae ; fidei scil. *tumor* vel animi elatio ; iustitiae *anima non recta in ipso*. Tertia enuntiatio iam ex ipsa oppositione intelligitur ; si enim *iustus* solum propter suam fidem vivet et salvus erit, per se liquet, omnem qui non sit iustus immo iustitiae et fidei inimicus, tumore scil. et perversitate animi Deo exosus, morti et interitui [1] fore obnoxium.

Plura hoc loco consideranda offeruntur, ex quibus pauca paucis perstringam. In aperto est ipso contextu, fidem intelligi eam, qua quis verbo Dei eiusque promissionibus credat eisque firmo animo adhaereat. Id enim ex versu 3 necessario consequitur, quo iubemur verbo per Dei legatum legitimum nobis annuntiato — ea enim est *visio* — tamquam vero firmiter adhaerere, omni dubitatione et titubatione exclusa, etsi verbi veritas nobis ex ipso rerum eventu non statim neque immediate per se illucescat ; iubemur enim promissionem firmissime et certissime exspectare, etsi longiores texuntur morae, ea persuasione inconcussa imbuti, *quia veniens veniet*, id quod cum emphasi dicit idem ac : quia certissime et

1. Et ita membrum hoc incompletum necessario suppleri, ipse *S. Paulus* nos docet scribens explicationis gratia ad hoc membrum : *nos autem non sumus subtractionis filii in perditionem* ὑποστολῆς εἰς ἀπώλειαν (Hebr. 10, 39).

plenissime veniet. Fidem igitur praeprimis *dogmaticam*, ut scholae loquuntur, propheta effert, qua Dei promissionibus ac verbis credimus (cf. *Hier. Cyr. Theod. Theod. M. Haimo, Rup. Rib. Sanct. Lap. Calm. etc. etc.*), cui utique *spes, fiducia, obsequium* adiungatur oportet (cf. *Sanct. Rib. Lap. Calm.*).

Atque hanc *fidei*, πίστεως LXX, notionem revera verbo hebr. אֱמוּנָה inesse, facile probari potest. Nam Gen. 15, 6, ubi certissime de fide verbo Dei praestita sermo est, verbum huius radicis legitur הֶאֱמִין et propter eam fidem Abraham vocatur נֶאֱמָן Neh. 9, 8. Praeterea ea verbi notio indubie variis locis subest, v. g. Ex. 14, 31 *et crediderunt Domino et Moysi servo eius*; 4, 1 *non credent mihi*; 8, 9. Is. 7, 9; 53, 1. Ier. 40, 14. Prov. 14, 15 et saepe. Et ipsum substantivum ea notione invenitur usurpatum Ier. 7, 28 et saepe notione cognata fidelitatis in promissis praestandis Deut. 32, 4; Ier. 5, 3. Prov. 12, 17. Ps. 36, 6; 40, 11 etc. firmitatis, securitatis Ex. 17, 12. Is. 33, 6.

Ipsa oppositione elucet, uti fides quam maxime requirat animum humilem atque demissum, ita ei adversari summopere superbiam, tumorem; quod propheta hoc loco indicat, explicite Christus docuit ad pharisaeos dicens: « quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis » (Ioan. 5, 44)?

Vita, quae hoc loco *merito fidei*, ut *Alb.* ait, promittitur, proxime est, ut idem *Alb.* explicat, ab hostibus liberatio, vel, ut *Sanct.* dicit, vita secura ac laeta. Verum in hac vitae ac salutis temporalis promissione nullo modo sistendum esse, immo eam ne primario quidem spectari hoc loco, ex versu antecedenti facile colligitur. Eo enim versu ea rerum conditio ponitur, quae cum *temporali* promissione stare prorsus nequeat. Nam si iusto *temporalis* vita et felicitas promitteretur, haec sane non posset indefinita quadam mora differri et in ancipiti relinqui. Nam quot iusti iam extremum vitae temporalis spatium degunt? et quomodo fieri posset, ut invasione et expugnatione a Chaldaeis facta, urbe destructa, regionibus ab hostibus occupatis multisque incolarum millibus in miseram captivitatem abductis iusti vitam agerent securam, a molestiis vacuam, felicem ac genialem? Nonne unus dolor theocratiae eversae urbisque sacrae dirutae iam sufficiet, ut verus Israelita vitam suam iam non reputet felicem? Quare *vivet iustus*, uti in universum dicitur, ita quoque quam latissime accipiatur oportet: delineatur sors contraria, quae Chaldaeis et Iudaeis continget: illi excisione interibunt, Chaldaeorum regnum iam non erit instaurandum; hi clade et strage superstites novam condent theocratiam neque Israelitarum nomen peribit. Praeter hanc ad utrumque populum applicationem *publicam* respicienda erit privata di-

vinae normae ad uniuscuiusque fortunam applicatio, quae cum huius vitae limitibus circumscribi nequeat, certe intelligenda erit de vitae munere tali, quo quis etiam mediis in calamitatibus frui possit. Id indicat *S. Cyr.* : « qui verborum meorum veritatem testificabitur, is plane etiam consequetur, ut vitae sit particeps, quod praemium Deum honorantibus constitutum et egregium benevolentiae divinae stipendium est ». Ad quid autem suapte natura tendat vita haec iusto fideli promissa, *S. Hier.* effert : « iustus qui credit verbis meis et de his non ambigit quae polliceor, habebit praemium *vitam sempiternam* ».

Igitur solutio difficultatis a propheta propositae eo continetur, quod Deus in omni rerum vicissitudine et angustia iustum fideliter in fide ac fiducia persistentem vera vita et vera beatitate donabit, dum impii interitui subiacebunt. Hic erit rerum exitus, haec vera pii sors, haec impii conditio ultima, etsi ad tempus species oboriri vel praevalere videatur contraria. Hanc Dei normam fide intemerata in maxima rerum humanarum perturbatione, obscuritate, conflictu retinere et animo imperturbato profiteri, fidei meritum est praestantissimum, ad quod Deus per prophetam tamquam ad unicum in rebus desperatis solatium omnes pios in Israel provocat atque invitat.

LXX habent : ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεώς μου ζήσεται ; sensu plane eodem ; nam particula ἐκ pari ratione originem et causam vitae, quae in fide sita est ibique habet radicem et fundamentum, designat et effert ; fides vero *Dei* dicitur ea quae Deo adhibetur, in Deum recta tendit vel a Deo donetur. De aliis interpretationibus graecis haec habet *S. Hier.* : « omnes aequaliter transtulerunt ; *ex fide sua vivet* ; Symmachus significantius interpretans ait : *iustus autem per fidem propriam suam vivet*, quod graece dicitur ὁ δίκαιος τῇ ἑαυτοῦ πίστει ζήσει [1].

Hisce quae explicavimus, usus quoque huius loci apud S. Paulum illustratur. Et primo quidem Rom. 1, 17 *iustitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est : iustus autem ex fide vivit* i. e. in Evangelio illa vera iustitia quam Deus hominibus inesse vult annuntiatur et quae talis est, ut ex fide ortum habeat et credentibus demum donetur — cf. Rom. 3, 22 — et talis iustitiae origo et indoles iam a propheta est descripta, cum dixerit : *iustus ex fide vivit* ; intime enim iusti vita cum fide connexa cernitur, idque non quacumque demum ratione, sed ita, ut *ex fide* esse, proinde ex fide originem ducere eique plane superstrui et inniti perhibeatur. Iam si iusti vita adeo est fidei conserta, aperte id sequitur, quod S. Paulus vult, ipsam iustitiam, quae valeat coram Deo, ortum ducere ex fide et credentibus (vel fidei) donari. Neque opus est cum aliquibus contra sen-

---

1. Iis, quae dicit *S. Hier.* consentit codex syr. hexapl., in quo haec nota invenitur : reliqui : ἐκ πίστεως αὐτοῦ ζήσεται cf. p. 220. 531. Nescio, unde editio *M.* habeat, *Aq.* vertisse ἐν πίστει ; reliquos τῇ ἑαυτοῦ πίστει.

sum prophetae verba apud S. Paulum ita coniungere : iustus ex fide — vivit i. e. qui ex fide iustus est, vivit, quasi scripserit ὁ δίκαιος ὁ ἐκ πίστεως, vel ὁ ἐκ πίστεως δίκαιος (cf. *Caietanum* apud *Estium* in Rom. 1, 17). Inde quoque patet, quam congrue idem Apostolus argumentetur : *quoniam autem in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est : quia iustus ex fide vivit* (Gal. 3, 11), ipsa enim *lex*, vel ipsum vetus testamentum eo effato clare pronuntiat, non in operibus legis, verum in fide iusti vitam collocari ac fundari, proinde veram iustitiam ex fide efflorescere. Eiusdem fidei virtutis praestantiam Apostolus commendat et a contrario vitio, quod Deo summopere displiceat, illustrat Hebr. 10, 37. 38 ubi locum hunc fere ex LXX versione [1] affert : καὶ ἐὰν ὑποστείληται, οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ [2] i. e. si se subtrahit, minus facit quam oportet, negligens est aliove animum avertit, a recto tramite et consequenter a Dei beneplacito excidit vel Dei in eum voluntas non est *recta* (ex hebr.), plana, ei favens, sed eum odio habens. Unde in hoc quoque loco non adest *sensus* discrimen adeo magnum inter hebr. et LXX ; ad hoc enim reducitur, ut a) pro animi tumore negligentiam, socordiam ponant in divino obsequio et b) ut Dei displicentiam, quae ex hebr. *consequitur*, *explicite* efferant. Sed qui animi tumore et superbia laborat, idem negligens et maxime tardus est in obedientia Deo praestanda et fide ei adhibenda ; quare vero *sensu* posuit *S. Hier.* : *qui incredulus est* [3]. Alterum vero : animam eius non esse rectam et Dei voluntatem ab eo abhorrere, inter se correlata sunt secundum illud *cum perverso perverteris* (Ps. 17, 27).

Quod in priore parte v. 4 impio et insolenti est propositum, statim apertius declaratur applicatione facta ad Chaldaeos. Ita simul praeclara oppositione sors iusti beata magis illustratur : v. 5 « *et quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus et non decorabitur : qui dilatavit quasi infernus animam suam, et ipse quasi mors et non adimpletur, et congregabit ad se omnes gentes et coacervabit ad se omnes populos* » ; — est scil. animi elatio et tumor quasi ebrietas quaedam, quae primum exhilarat hominem, dein humi sternit et ridendum omnibus exponit (*Men.*) ; ita animi superbia mentem primum fallaci laetitia implet et omnia audendi libidine ; mox perturbat et obnubilat ; dein ad ruinam et derisionem adducit. « Quomodo vinum contra potantem facit, et postquam surrexerit, neque pes neque mens suum officium tenent, omnisque laetitia et mentis exhilaratio vertitur in ruinam, sic vir superbus non decorabitur » (*S. Hier.*). Comparatio eo magis est apta, quia, ut ait *Curtius*

---

1. Volunt aliqui, LXX legisse non עפלה, sed עלפה ; cf. Is. 51, 20. Ion. 4, 8 ; verum id non necessarium esse ad versionem explicandam, lege apud *Ros.*

2. Legerunt ergo נפשׁו ; alia vero mutatione non opus est, cum ישׁרה *sensum* eundem *consequentem* includat.

3. Verbum עפל Num. 14, 44 reddidit *S. Hier. contenebrari* ; et ex eadem notione versio in nostro loco videtur esse exorta (cf. *Schegg* ad h. l.). Videtur עפל explicasse — אפל ; cf. Mich. 4, 8. Is. 32, 14. 4 Reg. 5, 23.

(5, 1) : « Babylonii maxime in vinum et quae ebrietatem sequuntur effusi sunt » (cf. Dan. 5. *Keil*, *Reinke*) et quia insatiabili cupiditate et siti inexplebili laborantes omnium gentium opes devorare studebant. Id sequentibus comparationibus *inferni* et *mortis* declaratur ; *infernus* enim nunquam dicit *sufficit* (Prov. 30, 16. *Cyr.*), neque mors unquam cessat grassari. Unde *Theod. M.* : « quasi infernus adversus omnes vim suam extendit passim interficiens et mortis imitator nullam occisorum satietatem cepit, captivans plurimos et ubique omnes sub suam potestatem redigens ». Ultimum membrum explica ex hebr. vel per tempus praesens vel per tempus praeteritum; dicitur enim, qua ratione dilataverit quasi infernus animam suam i. e. cupiditatem et devorandi libidinem (cf. Is. 5, 14); ita quoque *S. Hier.* interpretatur : « in similitudinem inferi et mortis non saturatur occisis et omnium gentium deceptione laetatur et ad se populos congregat ».

Textus mas. non habet comparationis particulam, quam cum *S. Hier.* etiam *Chald.* exhibet, sed אַף כִּי *quin immo vinum est perfidum ; homo superbus — et non permanebit* ; neque LXX neque *Syrus* particulam comparationis expresserunt neque vini perfidi mentionem ingerunt, sed habent illi : vir arrogans et contemptor, vir gloriabundus nihil perducet ad finem ; hic : vir temerarius et avidus non satiatur. Suspicantur aliqui, graecum interpretem non κατοιόμενος sed κατοινούμενος[1] *vino obrutus* scripsisse, quod utique magis cum hebr. conveniret (cf. *Ros.* et *Schleusneri* Thes. III p. 291, quem refert *Middeldorpf* cod. syr. hexapl. p. 551) ; sed interpres *Syrus* hexapl. priori lectioni adstipulatur, quam etiam *S. Hier.* sequitur vertens textum graecum : qui autem arrogans est etc. Nihilominus, ut sensus sit planus, comparationis particula necessario erit admittenda ; nam ad quid alias *vini* mentio fieret ? sed ebrietatis et superbiae est non una similitudo. *S. Hier.* verbum נָוֶה interpretatus est *decorus fuit* et ea notio verbo inesse videtur, cum Ex. 15, 2 in hiphil significatione *glorificandi* adhibeatur, vel verbum retulit ad נָאָה, נַאֲוָה ; ceterum נָוֶה notione *habitationis* frequenter occurrit. Unde vel ebrii ignominia vel casus et interitus praedicitur. LXX reddiderunt : οὐθὲν μὴ περάνῃ et *S. Hier.* scribit suam et LXX versionem coniungens : « vir superbus non decorabitur nec voluntatem suam perducet ad finem, et iuxta Symmachum οὐκ εὐπορήσει, hoc est, in rerum omnium erit penuria » ; *potantem* explicationis gratia versioni inseruit.

e) Vae latroni et superbo dominatori 2, 6-11.

Ex norma v. 4 proposita Chaldaeo interitus imminet. Utique poterit furere per aliquod tempus et esse in manu Domini *virga furoris sui et baculus* (Is. 10, 5), quo Iudaei et omnes gentes in circuitu percutiantur et in duram servitutem adigantur (cf. Ier. 25, 11) — at ruina eius certa est. Hanc igitur propheta prospicit eamque per modum dicterii et scom-

1. Ita legitur in editione basil. dum in edit. roman. aldin. argentor. κατοινούμενος invenitur ; cf. *Reinke*, Hab. p. 100. Sed versio quoque coptica nihil habet de vino.

matis e causis explanat, ita ut omnes oppressi festivo carmine Chaldaeo insultantes introducantur : v. 6 « *Numquid non omnes isti super eum parabolam sument et loquelam aenigmatum eius, et dicetur : vae ei qui multiplicat non sua? usquequo? et aggravat contra se densum lutum* » ; — cf. Mich. 2, 4. Is. 14, 4 ; notat *Calm.* : « parabolam et aenigma nuncupat Scriptura, quidquid sententiosae orationis est, sive ad mores informandos pertineat, sive ad irrisum, satyram, scomma aliudve genus spectet ». Merito vocant carmen hoc [1] vel sermonem derisivum (*Alb.*) vel proverbiale convicium (*Sanct.*) vel scomma (*Tir*).

Atque primo reprehendunt in eo insatiabilem avaritiam, latrocinia ubique exercita, spolia omnibus vi et violentia detracta. Verum *vae*; iustitia est enim regnorum fundamentum. Et multum et diu alios esse oppressos, vexatos illius rapacitate, declaratur exclamatione, qua indignationem et desiderium vindictae produnt : *usquequo*? vel quamdiu tam indigna conditio ferenda erit? « intexuit autem medio *usquequo*? ostendens illum nec aviditati nec crudelitati modum ponere et iniquitatis finem aversari » (*Cyr.*). At quo magis opes iniustae coacervantur, eo maiora pondera et onera sibi ipsi imponit Chaldaeus, quibus demum oppressus succumbet : igitur *contra se* accumulat thesauros ; « simulque considera, quam eleganter multiplicatas divitias *densum* appellaverit *lutum* » (*Hier.*), quo nomine et vilitas divitiarum et pernicies quam male partae secum ferunt designatur (cf. *Sanct. Lap.*).

In hebr. legitur ἅπαξ λεγ. עַבְטִיט. Ut *de Rossi* habet, multi codd. binis verbis efferunt עב טיט i. e. *nubes luti* (cf. טִיט Is. 41, 25 ; 57, 20. Ier. 38, 6. Nah. 3, 14. Mich. 7, 10 etc. — vocabulum satis frequens, cum 13 vicibus occurrat —) et ita legit et interpretatus est *Syrus* et etiam *S. Hier.* et aliqui ex doctoribus iudaicis v. g. *Ios. Kimchi*, *Ibn Esra* etc. Explicat *Chald.* pondus culparum. LXX locum reddunt βαρύνων τὸν κλοιὸν αὐτοῦ στιβαρῶς ; id quod *S. Hier.* exponit : « iniquitatis et praedarum onere quasi gravissima torque se deprimit ». Recentiores verbum elucidare student ex עבט (formatione analoga, uti כַּבְּרִיר etc.) eique notionem tribuunt vel *oppignerationis* i. e. bonorum pro pignore captorum, direptorum (cf. *Ges. Keil*) vel magis generatim *culpae* qua quis obnoxium se reddit (cf. *Fürst* C. et L. *Reinke*). *Houbigantius* ex lingua syriaca (?) explicat *spisse* στιβαρῶς. *Schegg* sensum utrumque

1. In hebr. tria nomina eodem ordine ponuntur : *parabola*, מְלִיצָה, *aenigmata*. Vocem mediam explicant vel *irrisionem*, *dicterium* cf. לִיץ — ita *Ges.* Thes. p. 751 — vel *orationem splendidam, dicendi luminibus ornatam* — cf. *Fürst* C. *Keil* ; vel orationem obscuram, aenigmaticam, lusu verborum vel sale conditam (ita *Reinke*, qui vocem referri mavult ad מְלִץ niphal *dulce esse atque gratum*). Uti *S. Hier.* ita etiam *Sym.*, si versioni cod. syr. hexapl. fides est adhibenda, duo ultima non ἀσυνδέτως, sed in unam notionem iuncta explanavit : αἴνιγμα προβλήματος. Ceterum cf. Prov. 1, 6.

amplexus prophetam vocem consulto elegisse censet : « si vox *pronuntiatur*, revera *nubem luti* significat, sed si *scribitur*, aliam habet notionem, cum Hebraei nomina composita non admittant nisi in nominibus propriis, scil. *pignorum captorum copia*; et propter hunc *duplicem* sensum qui inest, vates vocem adhibuit, ut sermo fieret aenigma »; quae si vera essent, tamen *duplex* sensus nunquam adesset; sed qui *audiret*, aliter intelligeret quam is qui *legeret* sermonem. Sed quis sibi persuadebit, eiusmodi ludicrum artificium captasse prophetam?

Iam primum illud *vae* describitur v. 7 « *numquid non repente consurgent qui mordeant te? et suscitabuntur lacerantes te et eris in rapinam eis* »? — i. e. capient vindictam adaequatam; ut Chaldaeus crudeliter egit, alios non solum spoliavit, verum etiam quasi fera bestia dentibus momordit, vexavit et dilaceravit, ita iusta ultione in eum quoque animadvertetur.

Primum verbum hebr. *mordentes te* alii ideo subtiliter dictum esse censent, quia verti quoque potest *feneratores tui*, et vocem referunt ad ultimum membrum versus antecedentis : tu pignora accumulasti et bona direpta coacervasti, iam venient, qui fenerantur. Sensus utique non ineptus, si *feneratores* intelliguntur, qui usuras imponunt, exigunt; sed pro hac significatione exspectanda esset forma verbi in *hiphil*; cf. Deut. 23, 20. 21. Forma, quae hic habetur in *qal* non significat nisi eos, qui aliis pecuniam mutuo dant vel ad usuram porrigunt. At haec notio non est apta, qua hostes et spoliatores designentur. Quare in priore sensu *mordendi, vexandi* erit sistendum, eo magis, quia ea notione verbum saepius invenitur adeoque usitatum est cf. Gen. 49, 17 Num. 21, 8. Am. 5, 19 et praesertim Mich. 3, 5. Atque ad hanc notionem etiam congruit verbum alterum, quod immediate subsequitur *agitantes, divexantes te* (hebr.). Sed fortasse dicet aliquis, verbum נָשַׁךְ etiam in *qal* apte adhiberi, eo scil. sensu, ut gentes quas spoliaverint Chaldaei, tamquam tales designentur quae suas opes quasi eis *mutuo dederint* et nunc censeantur venire, ut suum cum lucro repetant. At nescio quid subtilius ibi mihi videtur fingi, quod cum statim propheta *rapinae* et direptionis mentionem inferat, consistere vix poterit.

Haec iusta talio iam explicite asseritur v. 8 « *quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis, propter sanguinem hominis et iniquitatem terrae, civitatis et omnium habitantium in ea* »; — Chaldaeus v. 5 ad se congregaverat omnes gentes, eas conculcaverat; verum ex illarum reliquiis exsistent ultores; igitur *qui reliqui fuerint de populis* non sunt ii, qui extra tyrannidem Chaldaeorum erant positi neque ab eis unquam subiecti (uti volunt *Theoph. Sanct. Sa, Mar. Men. Trochon*), sed ii qui ex populis subiectis adhuc exsistunt et ultores evadunt (cf. *Hier. Cyr. Theod. M. Alb. Schegg, Reinke*). Nam Persas quoque et Medos subiectos fuisse Chaldaeis, ex Ier. 25, 9.

25 apparet; quare frustra contrarium *Hitz.* affirmat. Ultio autem haec capietur potissimum propter crudelitatem, oppressionem quam Chaldaei terrae Iuda et urbi Ierusalem et habitatoribus Israel intulerunt (cf. *Hier. Rib. Sanct. Lap. Tir.*). Ita Ier. 51, 11 : « suscitavit Dominus spiritum regum Medorum et contra Babylonem mens eius est ut perdat eam, quoniam ultio Domini est, ultio templi sui » ; idem dicitur Is. 43, 14 : « propter vos misi in Babylonem »... cf. 52, 5. 6; 45, 4 et quam maxime explicite Ier. 50, 11. 18. 29. 33; 51, 5. Alii tamen *terram, urbem* collective de omnibus regionibus accipiunt (cf. *Theoph. Mar. Schegg, Keil, Reinke* — cf. Ier. 50, 23; 51, 25); vide 2, 17.

Alterum *vae* contra dynasten Chaldaeorum dirigitur, qui opibus collectis confisus suae domus et familiae securitatem, stabilitatem, gloriam sibi pollicitus est ; v. 9 « *vae qui congregat avaritiam malam domui suae, ut sit in excelso nidus eius, et liberari se putat de manu mali* » ; — « avaritia pro divitiis sumitur avare conquisitis per metonymiam, quae causam adhibet pro effectu » (*Sanct.*); hebr. *qui lucratur lucrum malum domui suae* i. e. familiae regiae; hisce sperat se domum suam stabilem et invictam fundaturum, ita ut sicut nidus aquilarum in montium iugis et rupibus praealtis collocatus, in summa securitate longe ab omni impetu hostili remota consistat (cf. *Rib. Lap. Mar. Men.*). Nidus enim in altissima rupe positus inaccessus est, inde quam maxime tutus Tali vero fiduciae et securitati etiam adiungi animi superbiam et elationem, et res ipsa loquitur, et etiam Abdias innuit v. 3: « superbia cordis tui extulit te ... exaltantem solium tuum; qui dicis in corde tuo : quis detrahet me in terram ». Quare etiam hic cum *Theoph.* et *Sanct.* in nidi exaltatione et securitatem et animi elationem cernimus expressam. *S. Cyr.* nidum dicit innumeras arces et custodias, quas posuerint Babylonii ad invadentium conatus eludendos; ceterum cf. Num. 24, 21. Ier. 49, 16. Abd. 4.

Verum quo altius ascendit et quo magis se tutum cogitavit Chaldaeus, eo ignominiosior erit ruina, eo gravior casus (cf. *Theod. Theoph.*). Nam « ex tali apparatu dedecus et pudorem eum relaturum spe in contrarium cadente, propheta docet dicens » (*Cyr.*) v. 10 « *cogitasti confusionem domui tuae* » ; — « eleganter dictum ; cum tu per fas et nefas potentiam et divitias tuas augebas cogitans de regni tui perpetuitate, tunc non incolumitatem et firmitatem imperio tuo et posteris tuis cogitabas, sed confusionem et ignominiam » (*Rib.* sim. *Theod. M. Sanct.*). Quantopere autem ignominiam et opprobria commeritus sit, testimonia adsunt amplissima : « *concidisti populos multos et peccavit anima tua* » ; — erat enim Chaldaeus *malleus universae terrae* (Ier. 50, 23) et hac oppressione et caedibus innumeris reus factus est et culpis oneratus coram

Domino ; cf. 1, 11 ; unde dies ruinae eius est *ultio Domini* (Ier. 50, 15), quia Dominum provocavit, contra Dominum erectus est (Ier. 50, 24. 20).

Et quantopere peccaverit, ita ut ipsae creaturae insensibiles et inanimatae ultionem a Chaldaeo sumendam esse alta voce clament, declaratur v. 11 « *quia lapis de pariete clamabit et lignum quod inter iuncturas aedificiorum est, respondebit* » ; — patheticum sane est, quod ipsa inanimata intolerabilem crudelitatem accusant, quod ultionem clamitant ex aedificiis oppressione, rapinis, iniustitiis exstructis, quod indigne ferunt, se vi ablata et ad tyrannorum palatia erigenda esse adhibita (cf. *Theod. M. Alb. Barh. Rib. Sanct. Lap. Mar. Tir. Schegg*). *Clamabit, respondebit ei* (hebr.) pulchre multiplicem accusationem, cui omnia concorditer consonant, delineat. Alii lapides et ligna urbium destructarum et domuum palatiorumque incendio deletorum explicant, quae usta, semiusta et disiecta crudelitatem Chaldaeorum accusent et clamitent eorum furorem et insaniam (cf. *Hier. Cyr. Theoph. Men. Calm.*). At cum dicatur *lapis ex pariete clamare* etc. certo sermo est de aedificiis, quae adhuc stent et quorum lapides et ligna continuam extollant accusationem. Ceterum locus est persimilis ei ex Isaia (14, 7. 8), ubi terra quiescere et arbores laetari dicuntur de casu Chaldaeorum : « ex quo dormisti, non ascendet qui succidat nos » (vide, quae ad illum locum annotavi) ; iure quoque allegatur verbum Domini Luc. 19, 40 ad emphasin ostendendam : « si hi tacuerint, lapides clamabunt » (cf. *Hier. Theod. Alb. Sanct.*) ; insuper vide 2, 17.

Veteres omnes, LXX, *Syrus*, *S. Hier. Chald.* v. 10 legerunt קַצּוֹתָ a verbo קָצַץ *concidisti* vel *destruxisti*. Textus *mas.* praebet קְצוֹת infin. const. a verbo קָצָה, quod in *piel* invenitur et in *hiphil* Lev. 14, 41. 43. 46. Prov. 26, 6. 2 Reg. 10, 32. Potest textus *mas.* ita declarari, ut infinitivus dependeat a *cogitasti* et alterum hoc versus membrum sit priori conforme : *cogitasti concidere populos et* (in ea re) *peccavit anima tua*. Sed simplicior est lectio et facilior, quam veteres sequuntur.

In v. 11 adest ἅπαξ λεγ. כָּפִים ; quam vocem, ut *S. Hier.* refert, *Sym.* et *Theod.* et *quinta* editio transtulerunt σύνδεσμος οἰκοδομῆς ξύλινος vel σύνδεσμος ξύλου [1] ; ipse *S. Hier.* explicat : « lignum significat, quod ad continendos parietes in medio structurae ponitur et vulgo apud Graecos appellatur ἱμάντωσις » ; cf. *Calm.* LXX habent : καὶ κάνθαρος ἐξ ξύλου *et scarabaeus* (?— *S. Hier.*) *e ligno loquetur ea* ; Graeci intelligunt scarabeos vel tineas in lignis residentes ; at aliarum etiam versionum mentionem faciunt ; immo *S. Cyr.* ex illis concludit : « cogitare fas est, fortasse aedium cinctus et nexus sive contrabeationes aetate illa cantharos fuisse appellatos, quod impositum ipsis tectum quasi multis pedibus sustinerent » [2]. At *Theod. M.* graviter invehitur

---

1. *S. Cyr.* ab aliis interpretibus dici perhibet ἔνδεσμος ξύλου ; sed *Theod.* et *Theoph.* afferunt a *Sym.* verti σύνδεσμος ξύλινος — ξύλων apud *Theoph.*

2. Eadem *Theoph.* quoque recepit ; neque fortasse male, cum *cantherius* etiam apud Latinos appellentur tigna, quae tectum sustinent ; cf. *Vitruv.* 4, 2, 5.

in *Syrum* interpretem, apud quem *paxillum* legi audierat, eumque ignorantiae accusat, « qui saepe errorem suum pro linguae regula vult obtrudere, quantum mihi videtur, quid dicat, minime intelligens », et omnino vult LXX vocabulum hebraicum propria interpretatione nobis declarasse. *Chald.* vocem explicat per שִׁפָּא *segmentum*; cf. *Buxtorf*, Lex. chald. p. 2501; *Levy*, Chald. W. s. v. *Syrus* clavum vel paxillum exprimit; cf. סִיכְּתָא *Levy* l. c. II p. 161.

Praeterea haec e *S. Hier.* notatu digna sunt: « reperi exceptis quinque editionibus, id est, Aquilae, Symmachi, Septuaginta, Theodotionis et quinta, in duodecim prophetis et duas alias editiones, in quarum una scriptum est: *quia lapis de pariete clamabit quasi vermis in ligno loquens*, et in altera: *lapis enim de pariete vociferabitur et* σκώληξ *de ligno loquetur ea.* Sed et Aquila aliud quiddam quam nos diximus posuit, καὶ μάζα, id est, *et massa de ligno respondebit* »; id quod mox mystice explicat de doctrina haereticorum de ligno loquente; *vermem* de ligno loquentem quosdam e nostris ait illum esse dixisse, qui dicat in psalmo: *ego sum vermis et non homo* etc. — *Schegg* censet LXX vocem hebr. cum talmudica חִיפּוּשִׁית coniunxisse et secundum eam explicasse, quae utique *scarabaeus* vertitur: cf. *Buxtorf*, Lexic. talmud. p. 810.

ƒ) Vae oppressori, illusori, idololatrae 2, 12-20.

Sententia antecedens *quia lapis de pariete clamabit*... sequenti stropha, qua tertium *vae* continetur, magis declaratur et augetur; describitur enim Chaldaeus oppressor i. e. rex chaldaicus, qui omnium regum chaldaicorum personam gerere moresque exprimere a vate exhibetur — quare interpretes ea omnia de Nabuchodonosore praeprimis dicta esse censent —, quomodo in plurimorum ruinis et mortibus moenia, palatia, urbes aedificet (cf. *S. Hier.*); v. 12 « *Vae qui aedificat civitatem in sanguinibus et praeparat urbem in iniquitate* »; — i. e. « oppressionibus, expilationibus, caedibus pauperum, quos praeter ius et morem coegisti in tuis istis turribus, arcibus, hortis pensilibus aliisque insanis substructionibus noctu et diu desudare, suosque spiritus et sanguinem exhaurire » (*Tir.*); opibus rapinis, caedibus, tyrannide acquisitis aedificare est in *sanguinibus* aedificare; et ad talia opera miseros libertate spoliatos praeter ius adigere, est *in iniquitate* urbes et arces fundare et stabilire (cf. *Rib. Sanct.*); vide Mich. 3, 10. Ier. 22, 13. Notum est, Assyrios et Chaldaeos ad talia opera grandia perficienda populos devictos deportasse et miserrima servitute adstrinxisse (cf. *Rawlinson* l. c. II, 183. III, 55. *Delattre* l. c. 188).

At superba illa aedificia et monumenta ruinis, incendiis, exitio sunt devovenda; exstruuntur, non ut stent et maneant, sed ut collabantur et intereant! Haec est enim iusta ultio divina et iusta prostratio superbiae hominum, ut laboribus suis ingentibus nihil efficiant nisi ruinas et rudera: praeclara sane documenta imbecillitatis humanae; huccine tandem omnis recidit inflatio, huccine facinora magnifica, tanta cum pompa suscepta? Hanc veritatem ex veterum monumentis iam diu collapsis adeo perspicuam vates iam clarissime enuntiat eo tempore, quo quam maxi-

me florebant et tamquam mundi miracula animos hominum in sui admirationem rapiebant; Dominus enim superbiam et pompam humanam conculcare statuit, ut ea prostrata Dei cognitio humilibus oboriatur; nam ut Dei regnum stabiliatur, fastus humanus concidat oportet. Normam hanc divinam, quae ex 2, 4 sua sponte colligitur neque raro ab aliis quoque prophetis enuntiatur (cf Is. 2, 11-4, 6. Ier. 9, 23. 24. Mich. 5, 10), vates iam proponit: v. 13 « *numquid non haec sunt a Domino exercituum? laborabunt enim populi in multo igne et gentes in vacuum et deficient*, v 14 *quia replebitur terra ut cognoscant gloriam Domini, quasi aquae operientes mare* »; — hebr. *nonne, ecce,* [1] *a Domino exercituum et laborabunt* (i. e. u. laborent) *populi pro igne*? i. e. a Domino, cui omnes exercitus (et angelorum in coelis et militum in terris — cf. Os. 12, 5) subserviunt, ita statutum est, ut populi in exstruendis urbibus *pro igne* operam impendant, ut s.il. materiam et alimenta ignis congerant, aedificia igni et combustioni destinata et sic in vanum et pro re inani vires suas absumant et fatigentur. Verba hebr. eadem Ier. 51, 58 *S. Hier.* ibi vertit: « labores populorum ad nihilum et gentium in ignem erunt et disperibunt » et rite ea coniunxit etiam in commentario ad nostrum locum: « qui hoc fecerit urbi, quam in sanguinibus construxerat, postea quae a Domino inferantur, auscultat. Sequitur enim *numquid non haec a Domino sunt exercituum*? id est quae dicuntur [2]: *laborabunt populi*... frustra laborabunt et nitentur in nihilum »; sed *in igne* arctius explicat: Babylone incensa frustra laborabunt. Bene advertit *Sanct.*: « si vertisset vulgatus *in ignem*, esset expedita magis expositio, quod sane salva re grammatica fieri potuit; neque est maior ulla ratio, cur *vacuum* quod in posteriore parte ponitur, in accusativo ponatur, quam *ignis*, cum utrique praeponatur vox eadem בדי », et rite explicant alii quoque *in ignem*, i. e. igni materiam luculentam praeparant (*Lap. Mar. Tir.*). Optime quoque *haec* ad subsequentia referunt *S. Hier. Alb. Rib. Sanct. Sa, Men. Schegg, Trochon*; aliis ad antecedentia trahere placet (cf. *Cyr. Theod. M. Theoph. Tir. Calm.*); at magno cum incommodo, quia quae supplenda sunt, non ex v. 12, sed longius repeti debent; audi *Tir.*: « nonne haec omnia, quae iam dixi tibi adventura, sunt decreta et praeparata a Domino »?

Cur autem vani sint et irriti hominum conatus eorumque opera magnifica igne et vastatione absumenda, ratio affertur v. 14 *quia*... scil.

1. Textus *mas.* praebet הִנֵּה *en, ecce*; ita *Chald.* quoque. LXX, *Syrus*, *Hier.* legerunt הֵנָּה *haec, ea.*

2. Unde illud *enim* in *vulg.* ex mente *S. Hier.* ad nihil aliud inservit, nisi ut explicationem vestiat et introducat, quaenam sint *haec a Domino*.

quia regnum Dei quod vera Dei cognitione et gloriae divinae agnitione et propagatione potissimum constat, ubique est stabiliendum, propterea fastus humanus est conterendus; superbis enim Deus resistit. Simile dicit Daniel de regno messianico : « comminuet autem et consumet universa regna haec; et ipsum stabit in aeternum » (2, 44). Consideratur ergo ruina Chaldaeorum tamquam praeparatio quaedam divinitus instituta ad veri Dei cognitionem spargendam, quatenus scil. eo regno deleto simul unum ex illis impedimentis removetur, quibus veri Dei cognitio cohibetur. Haec autem iure cohiberi censetur, dum regnum idololatricum floret reliquosque populos sua potentia et praestigiis idololatriae morumque corruptioni mancipat et Dei populum dura premit servitute. Unde sua iam sponte consequitur, *si* verus Dei cultus sit per orbem universum propagandus, illud impedimentum esse auferendum; vel quia populi gloriam et deorum nationalium potentiam intime inter se connexam firma persuasione tenebant, deorum inanium impotentia regno monumentisque destructis erat ad oculum demonstranda. Ita demum ex Chaldaeorum ruina per prophetas saepe praedicta veri numinis potentia, providentia, maiestas agnosci potuit (cf. *Cyr. Theod. M. Theoph. Rib. Sanct. Lap. Mar.*).

Ea est operum divinorum summa, is finis et scopus, ut gloria Dei in universa terra reluceat : « vivo ego et implebitur gloria Domini universa terra (Num. 14, 21); sanctus Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloria eius » (Is. 6, 3). Haec vero gloria potissimum in eo consistit, ut homines eam agnoscant, Deum summo honore prosequantur eiusque cultui et amori et laudi se totos devoveant; quare abundantiam eius cognitionis propheta comparatione illustrat : *sicut aquae operiunt mare* (cf. Is. 11, 9) i. e. « sic gloria Domini terra universa complebitur, sicut aquae alveum et fundum contegunt maris » (*S. Hier.*). Unde propheta Habacuc quoque, sicut alii, universam terram Dei cognitione esse implendam et proinde arctis illis veteris foederis limitibus remotis omnes populos ad unius Dei cultum esse congregandos docet. Ad talem autem orbis instaurationem gradum fieri debere dicit Chaldaeorum regni destructione. Similis nexus saepius deprehenditur apud Isaiam, qui excidio regni chaldaici insignem Domini gloriam et novae theocratiae institutionem adnectit (cf. Is. 45, 6 seq. 44, 9 seq.). In ea vero theocratia insignem adfore cognitionem Dei, frequens est prophetarum doctrina, cf. Is. 54, 13. Ier. 31, 34. Os. 2, 16. 19. Mich. 4, 2.

Ad oppressionem et crudelitatem Chaldaeus adiunxit summam irrisionem, contumeliam, contemptum, fraudes turpes, quibus reliquos populos ignominiae habuit. Hanc vilem ac turpem agendi rationem propheta comparatione adhibita traducit et reprehendit : v. 15 « *vae qui potum*

dat amico suo, mittens fel suum et inebrians, ut aspiciat nuditatem eius » ; — i. e. qui fraudulenter odio pessimo impulsus potu inebriante amicum sensibus ac ratione spoliat, ut maximo eius dedecore insanam capiat laetitiam eumque summa obruat ignominia et opprobrio eo, quod morte ipsa homini cordato sit gravius. Metaphora denudationis designari solet vilis et abiecta conditio, extremum dedecus alteri illatum, summa despectio, vilipensio ei impacta, qua omnium risui et sannis exponatur (cf. Is. 20, 4 ; 47, 2. Ez. 16, 37. Nah. 3, 5). Et quo potus magis sit inebrians et quo citius amicum prosternat et ad turpem et insanum agendi modum compellat, ei admiscetur *fel*, vel *venenum*, i. e. condimentum aliquod, quo vinum funestius magisque pestiferum redditur vel dolorificum. Vertit *S. Hier.* verbum hebr. חֵמָה *fel* ; uti Deut. 32, 33 : fel draconum vinum eorum ; cf. Ps. 139, 4 : venenum aspidum sub labiis eorum ; praeterea frequenter significatione *furoris*, *indignationis* occurrit.

Ea metaphora delineatur, quomodo reliquas gentes Chaldaei tractaverint. Fraudibus scil. eas circumvenerunt, sicut qui potum veneno mixtum alii porrigit, eas spoliarunt, summa ignominia affecerunt, ad turpem vilemque conditionem abiecerunt abiectisque abusi sunt ad irrisionem et contemptum. Quam foede omnia iura humana proculcaverint hominesque ipsos in censu animalium brutorum habuerint omni dignitate humana in aliis conculcata, hac metaphora abunde demonstratur.

Versiculus iste in verbis מְסַפֵּחַ חֲמָתְךָ magnam expertus est versionum varietatem. Iam *S. Hier.* praeter versionem LXX sex alias diversas (*Sym. Theod. Aq. quintae edit.*, *in alia edit.*, *alibi*) recitat. Illas autem afferre supervacaneum duco [1]. Verbo ספח notio *admiscendi* facile vindicatur ex aliis locis, cf. Is. 14, 1. 1 Sam. 26, 19 et ea vel significatio *fundendi*, *infundendi* ei etiam a lexicographis tribuitur. Vocem חֵמָה plures explicant *fervorem, furorem* i. e. vel *infundis fervorem tuum* i. e. vinum tuum fervidum et inebrians, vel *admiscens* ad vinum *furorem tuum* ; at prior explicatio languet, quia idem iam primo membro dicitur et tertio iterum inculcatur ; sed quis triplicem tautologiam feret ? Altera est satis obscura ; nam quomodo vino admiscebis furorem ? Vel vinum et ebrietatem proprie dici vel metaphorice fateri debebis. Si prius, iam quaero : quomodo potui amico porrigendo admiscebis iram et furorem ? si alterum, tunc vinum, quo potas amicum, est ipse ille furor, quo eum prosternis, et erit sane molestum, quod locutio metaphorica et propria ita inter se commisceantur ad tautologiam efficiendam. Quare redire oportet ad versionem *S. Hier. mittens fel* vel *venenum*, quo quasi condimento potus reddatur magis noxius, magis

1. In textu *mas.* subitanea personae enallage : *admiscens venenum tuum*, satis dura est. Illud *tuum* praebent *Theod. quinta ed. Aq.*, dum *Sym.* ἑαυτοῦ habet, et aliae versiones (LXX, *Syrus*, *Chald.* et duae a *S. Hier.* allatae) nullum pronomen ibi exprimunt.

inebrians. Hac solum versione aptus elicitur sensus et apta etiam gradatio : porrigere potum, sed veneno mistum, ad plenam usque ebrietatem

Excogitarunt ad h. l. Iudaei fabulam, quam iam ridet *S. Hier.*; fuisse scil. Sedeciam a Nabuchodonosore eo modo inebriatum et coram convivis turpiter nudatum et illusum; id quod alii Iudaeorum primoribus quoque accidisse volunt (cf *Cyr. Theoph. Barh. Sanct. Lap.*).

Pro tam vili crimine iustae instant talionis poenae v. 16 « *repletus es ignominia pro gloria; bibe tu quoque et consopire! Circumdabit te calix dexterae Domini et vomitus ignominiae super gloriam tuam* »; — i. e. voluptate adeo crudeli et turpi, qua subiectos vilipendisti, non gloriam, sed summum tibi ipsi opprobrium attulisti et si vile illud spectaculum tibi gloriae fore putasti, vehementer errasti. Sensus est idem qui v. 10 exprimitur. Ignominia eadem statim ei denuntiatur et in hebr. quidem forma ad talionem prorsus facta : *bibe tu quoque et cernere praeputiatus* vel *nudator* [1] i. e. « vehementer et ad stuporem usque punieris, ita ut omnes tuae foeditates denudentur omnibusque ridendae ostendantur » (*Lap.*). Iam enim calix furoris Domini est in dextera Domini eumque ebibere cogetur Chaldaeus usque ad faecem et adeo large et copiose bibere debebit furorem, ut sequatur, quod ebrietatem consequi solet, « vomitus ignominiosus et effluat super gloriam tuam, ut scil. vestes tuas gloriosas omneque tuum decus vomendo conspurces » (*Lap.*). Solet enim poena magna, qua homo perculsus quasi stupefiat et terrore tamquam vertigine et insania corripiatur, ebrietatis vel calicis vini furoris similitudine describi (cf. Is. 19, 14; 51, 17. 22. Ier. 25, 15 seq. 49, 12; 51, 7. Ez. 23, 22). Quare *calix* est poena decreta (*Theod. M.*) vel, ut habet *S. Hier.* : « circumdaberis suppliciis dexterae Domini et cum ignominia vomitus tui omnia quae absorbueras, egeres et de sublimi gloria ad ultima deduceris mala ». Hebr verte : *vertet se ad te calix* [2] i. e. « quod aeque atque cyathus in symposio ad omnes compotores per circuitum transit, sic divina sese ultio gerat » (*Theoph.*); alluditur « ad veterem conviviorum morem, ubi calix per convivarum manus porrigebatur » (*Calm.* sim *Sanct.*); sed potius respice quod Ier. 25, 26 proponitur, fore scil ut *postquam* omnes de calice furoris Domini biberint, etiam rex Babylonis bibere cogatur.

---

1. I. e. הֵעָרֵל niphal a עָרֵל *praeputiatus, nudatus est*; ita legit et interpretatur *Chald.* quoque. Sed LXX. *Syrus, S. Hier.* parva literae unius transpositione legerunt הֵרָעֵל *vertigine corripere*; cf. Nah. 2, 4. Adnotat *Houbig.* de textu hebr. : « haec scriptura melior, quam quod legit Vulgatus, *consopire*, quia dictum fuit antea de *nuditate* aliorum, quam Chaldaei aspexerant, non autem de sopore »; sim. *Lap.* et cf. Lament. 4, 21 *ad te quoque filia Edom) perveniet calix, inebriaberis atque nudaberis.*

2. Ita *Syrus, Chald.* De hac notione verbi סָבַב plura vide exempla *Ges.* Thes. p. 933.

Cur extremae ignominiae poena iure infligatur Chaldaeo, ulterius ex eo declaratur, quia summa protervia in homines et res inanimatas grassatus omnia vastitate et caedibus et impietate opplevit : v. 17 « *quia iniquitas Libani operiet te et vastitas animalium deterrebit eos de sanguinibus hominum et iniquitate terrae et civitatis et omnium habitantium in ea* » ; — facilior est versio, quam *S. Hier.* in commentario affert : *et vastitas animalium opprimet te*, vel quam ex LXX praebet : *miseria bestiarum terrebit te*. Proinde sensus est : iniquitas, quae contra Libanum patrata est, vel *violentia* (hebr.), qua Libanum Chaldaeus vastavit et exscidit, obruet et perdet eum ; item vastatio et strages, quam in animalia edidit, in ipsum recidet eumque poenae obnoxium reddet. Atque istae iniuriae eo magis repetendae sunt et vindicandae in eo, quia hominum caedibus et terrae sanctae et civitatis Ierusalem conculcatione et depopulatione priores iniquitates et approbavit et auxit ; illud *propter sanguines hominum* (ita eandem phrasim hebr. *S. Hier.* v. 8 vertit, eodemque modo reddidit textum graecum διὰ αἵματα) etc. aliam reddit rationem, cur Chaldaeus poenas luere debeat. Ceterum de violentia in Libanum commissa cf. Is. 14, 8 ; Chaldaeus ad aedificia indigebat lignis, cedros Libani sane magni aestimabat ; unde montem Libani satis fuisse arboribus spoliatum, facile intelligitur. Ea occasione etiam animalia Libani venationibus et crebris caedibus fuisse vexata vel etiam silvis excisis fere destructa pariter liquet. Cum mentio facta sit Libani, *terra* et *civitas* non in universum, sed de Palaestina erit intelligenda ; vide v. 8. Ita *Hier. Theod. M. Rib. Men.*

In interpretatione *vulg. deterrebit eos* molesta adest personae mutatio, quam versiones aliae veteres non habent, sed retinent *te* LXX, *Syrus*, *Chald.* Textus *mas.* יְחִיתַן cum *suff. fem.* ן [1], quod *S. Hier.* sicut masc. ם vertit. Probabilissime pro ן erit cum veteribus modo nominatis legendum ךָ. Recentiores aliqui hanc lectionem adoptant, uti *Hitz.* ; alii explicant : *et vastitas animalium, quae ea terruit* (*Keil*) vel *qua territa sunt* (*Schegg*). At sententiam relativam supplere durum est ; nec id admittit membrorum parallelismus hoc loco adeo perfecte expressus ; insuper quam languidum est ad insolentiam chaldaicam describendam dicere : animalia territa esse vel totam vastitatem vel vastationem eo contineri, ut territa sint ? Explicatio non placet utpote fere ridicula. Quare non dubitamus asserere, in textu hebr. esse rescribendum יְחִיתֶךָ (*hiphil* anomalum verbi חָתַת pro יָחֵת).

Multi interpretes *Libanum* non proprie intelligunt, sed vel de templo in Ierusalem, quippe quod ligno cedrino sit exornatum (*S. Hier. Rup. Alb. Haimo, Rib. Sa, Men.*), vel urbem Ierusalem, in qua fuerit *domus saltus Libani* 3 Reg.

1. Forma haec usurpatur pro יְחִיתוּ ; cf. *Olshausen*, Lehrb. d. hebr. Spr. p. 469.

7, 2; 10, 17. 21. 2 Par 9, 20 (*Theod. Theoph. Calm.*), vel utrumque (*Sanct.*), vel terram Palaestinam, utpote ad Libanum sitam (*Mar. Tir*), vel haec tria simul (*Cyr.*). Et consequenter etiam *animalia* aliter accipiuntur. Qui de templo *Libanum* interpretantur, ad victimas et sacrificia transferunt animalia vel populi multitudinem occisam intelligunt (cf. *S. Hier.*) vel sacerdotes et levitas (*Rib.*); alii Persas Medosque cernunt (*Cyr. Theoph. Lap. Tir.*); alii Chaldaeos ipsos (*Sanct.*) vel generatim feros hostes (*Theod. Theod. M.*). At nulla est ratio recedendi a sensu obvio, facili, proprio et ad inauditas confugiendi metaphoras (cf. *Reinke, Trochon*).

Ultima et simul intima ratio, cur Chaldaeus cum imperio suo interire debeat, est eius idololatria. Idolis enim suam acceptam refert magnitudinem, idolorum cultum sustinet, propagat, celebrat; quare veri Dei honor praeprimis requirit, ut talis deorum cultor deiiciatur, neque aliter regnum Dei stabiliri potest. Horum conscius propheta victoris in morem interitum idololatrae annuntiat, primo loco stupiditatem idololatriae cum irrisione perstringens v. 18 « *quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile et imaginem falsam? quia speravit in figmento fictor eius, ut faceret simulacra muta* »? — interrogatio ironica est; *quia* fictor idoli tanta sollertia idolum efformat, debet ei tamen afferre utilitatem; quae est ergo ea utilitas? Eodem modo potest ex hebr. alterum efferri membrum : *conflatile et doctor mendacii* (quid prodest?), *quia speravit*... Idolum *doctor mendacii* [1] aptissime vocatur, cum idololatria stupido errori innitatur et turpissimos errores fraudesque ubique spargat. Ipso nomine innuitur, quid intersit inter Deum, qui est ipsa *veritas*, et idolum docens mendacium; cur idololatria corruere *debeat*, optime exprimitur hac appellatione *docens mendacium*. Ridet vates stultitiam, qua fictor suo figmento maiorem quam sibi ipsi potentiam adscribit, ridet sedulitatem, laborem, quo incumbit, ut efformet *muta* idola, simulacra mortua. Adest, uti *Lap.* adnotat elegans in hebr. paronomasia : אִלְּמִים אֱלִילִים (cf. 1 Cor. 12, 2 εἴδωλα τὰ ἄφωνα). Verba explanat *S. Hier.* : « sculpturam possumus in lapidibus et in marmoribus accipere; conflatura vero in his metallis intelligitur, quae solvi possunt atque conflari, verbi gratia auro, argento, aere, plumbo stannoque ».

Iam respondet, quid prosit idolum, et incredibilem stupiditatem ulterius carpit; v. 19 « *vae qui dicit ligno : expergiscere! surge, lapidi tacenti. Numquid ipse docere poterit? Ecce, iste coopertus est auro et argento et omnis spiritus non est in visceribus eius* »; — i. e. nullus spiritus, vita nulla est in idolo; totum *numen* in eo consistit, ut sit li-

1. *S. Hier.* videtur legisse non מוֹרֶה *doctor*, sed מראה *visio, species, forma*

gnum auro vel argento coopertum. Quare qui a tali numine auxilium opemque efflagitat, suo se errore inexcusabili damnat; unde *vae*; cf. Is. 44, 9-20. Ier. 10, 3. Baruch 6, 3. Ps. 95, 5; 113, 3; 134, 15. Sap. 13, 10; 14, 1; quo sensu accusatio vera sit: qui dicit *ligno*, vide quae ad Is. 44, 23 annotavi (Erklaerung des Proph. Is. p. 523).

Hisce idolis mutis et idololatris opponit vates maiestatem Domini qui in coelis vivit, coram quo orbis universus prae reverentia silet: v. 20 « *Dominus autem in templo sancto suo; sileat a facie eius omnis terra* »; — post muta idola, coram quibus stupidi procidunt, magnifice ac sublimi modo vates *Dominum*, Iahve, Deum *qui est* exhibet *in templo sancto suo* i. e. in sanctuario coelesti (cf. *Hier. Cyr. Haimo, Rib. Sanct. Lap. Sa, Men. Calm. Schegg, Reinke*). E sede gloriae suae, cuius vestigium fert coeli stelliferi splendor ac pulchritudo, talem Dominum ostendit, qui maiestatem suam ita pandit eximiam, ut eam profundo silentio potius, quam exili praeconio veneretur orbis (*Lap.*); « prae stupore enim, timore ac reverentia solemus tacere et tacendo nostram testari insufficientiam, impotentiam et indignitatem, maxime respectu immensae maiestatis, sapientiae, sanctitatis et potentiae divinae, in cuius conspectu tremunt cardines coeli et totum hoc universum si cum ipso conferatur, nec guttula quidem est cum vasto oceano collata » (*Tir.*). Atque, ut *Calm.* advertit, « silentium obsequii indicium est, subiectionis, servitutis; in orientalium regum aedibus altum silentium, modestiam, gravitatem, immobilitatem servant milites et praefecti, ut imaginem aliquam silentii, de quo Habacuc, videas ».

Cum dicat vates *sileat*... iam maiestatis divinae gloriosam ac stupendam annuntiat manifestationem, qua Deus muta idola, fastum humanum est deiecturus et gloriae suae triumphum acturus. Unde hisce apte praeparatur prophetiae pars altera ita, ut simul quadam iam adumbratione praeoccupetur. Id *Chald.* quoque indicat hac paraphrasi: « Dominus voluit gloriam suam collocare in templo sanctitatis suae et consumentur a conspectu eius omnia idola terrae ».

Vocem הַס alii volunt interiectionem esse onomatopoeticam (cf. *Olshausen*, Lehrb. d. hebr. Spr. §. 93), qua silere iubetur, uti apud Plautum *St* et apud nostrates *st*, *pst*; ex qua interiectione demum verbum derivatum sit הסה, cf. Num. 13, 30. Neh. 8, 11 (cf. *Ges.* Thes. p. 387. *Fürst* L. *Keil, Reinke, Schegg*), unde induratis literis ortum sit alterum verbum חשה. Alii e contra explicant הַס imperativum piel apocopatum pro הַסֵּה a verbo הָסָה et הָס imperativum esse volunt *in pausa* Iud. 3, 19. Am. 6, 10; 8, 3 (cf. *Ros. Fürst* C.). Invenitur הַס praeter nostrum locum etiam Soph. 1, 7. Zach. 2, 13; similiter interiectionis vel exclamationis loco adhibetur הָבָה. LXX reddiderunt εὐλαβείσθω. *Syrus* contremiscat.

ALTERA PARS.

CANTICUM HABACUC CAP. 3.

ARG. — In prooemio cantici *tria* vates enuntiat : se ad Domini verba quae audierit expavisse profitetur ; instanter rogat, ut Dominus opus suum mox adimpleat ; eum obsecratur, ut in iudicio exercendo misericordiae sit memor (v. 2). Iam in ipso cantico Deum describit opus illud exsequentem et iudicium in adversarios exercentem, quo piis ac fidelibus post calamitates salus oboriatur. Unde duo illa cernuntur expressa, quae in prooemio indicavit : Dei opus iudiciumque et misericordiae exhibitio. Ea autem hunc in modum proponuntur : magnifica theophania Deus ex Theman et de monte Pharan splendore immenso circumdatus, quo statim coelum et terra illustrantur, apparet cum suis iudicii administris, qui ante eum partim incedunt, partim eum sequuntur (3, 3-5). Ad talem iudicis Dei conspectum et gentes terrore percelluntur et montes collesque discinduntur (3, 6. 7). Hanc iudicis maiestatem fluvii et mare perhorrescunt — sit terrore plena hostibus, piis autem promissionum effectrix ! — coram illa terra diffluit, montes contremiscunt, undarum fluctibus in immensum succrescentibus omnia implentur ; sol et luna tenebris obvolvuntur ; solum Domini tela, quibus hostes prosternit, fulgore suo chaos illud et caliginem collustrant, dum terra conculcatur et gentes in ira Dei conteruntur (3, 8-12).

Dominus enim in salutem sui populi egressus est ; quare adversarios penitus destruxit, eorum potentiam delevit et insolentiam, qua populum Dei disperserant et oppresserant, simili modo, ut olim Aegyptiorum fastum in mari rubro exstinxit (3, 13-15). Hoc autem iudicium Dei propheta cum magno animi timore et audit et exspectat, cum sciat, ante illud varias populo suo instare calamitates et afflictiones per hostium incursum afferendas (3, 16. 17) ; at fiducia et spe in Dominum fretus nihilominus exsultat et laetatur certo sciens populum a Deo iri salvatum et in terrae possessione fore beatum (3, 18. 19).

Constat igitur canticum a) *prooemio*, in quo summa totius cantici brevi proponitur (v. 1. 2) ; b) *descriptione theophaniae*, qua Deus et maiestatis gloriam et vindictae terrorem manifestat ; ad utrumque facit illa rerum omnium commotio gentiumque stupor (v. 3-7) ; c) *ipsius iudicii in adversarios futuri delineatione*, quam duplici modo propositam videmus : 1) *symbolice*, scil. illa fluminum marisque agitatione, terrae discis-

sione, montium tremore, fluctuum inundatione, tenebris, fulminibus telorum Domini (v. 8-11); 2) *magis proprie*, ad quod transitus fit v. 12; caput impii dicitur conteri, eius fundamentum subverti, sceptra eius diris devoveri, insolentiam egregie retundi (v. 13-15). Notatu dignum est in utraque parte mentionem fieri salutis populo Dei praestandae v. 9. 13. Ita scil. media in iudicii exhibitione propheta memor est eius, quod efflagitavit : *cum iratus fueris, misericordiae recordaberis*. Denique d) docetur *qua animi dispositione* populus tale Dei opus exspectare debeat : *timore*, quia etiam populo Dei castigatio et calamitas instat (v. 16. 17); laetissima *salutis spe* per Deum futurae (v. 18. 19).

Unde canticum hoc quam maxime ad 2, 4 referri et sensum eius versus explicare perspicuo patet.

a) Titulus et prooemium 3, 1. 2.

Carmen hoc quod in multis psalmorum similitudinem sequitur et exprimit, etiam in ipsa inscriptione ad psalmorum ordinem quam proxime accedit : « *Oratio Habacuc prophetae pro ignorantiis* » ; — eandem *orationis* inscriptionem gerunt psalmi quinque : 16. 85. 89. 101. 141, quibus ferventes deprecationes precesque ad Deum fusae continentur. Neque hae ab hoc carmine alienae sunt, quod quamvis maximam partem exhibeat descriptionem divini iudicii, tamen, ut *Sanct.* notat, orando orditur et orando terminat propheta cantilenam; insuper ipsa iudicii descriptio petitio est *obiectiva*, qua propheta divini iudicii exsecutionem exoptat et urget. Ceterum *oratio* תְּפִלָּה ampliore quoque notione adhiberi, vel inde concluseris quod in fine psalmi 72 (hebr.) omnes psalmi a primo usque ad illum communi appellatione *orationes David* (hebr.) nominantur. Et revera, cum *oratio* ex communi definitione sit *elevatio mentis ad Deum*, omnem divinorum operum considerationem, delineationem, laudem recte vocari orationem in aperto est positum. Quare tam insignis Dei iudicis apparitio et exhibitio, qualis in hoc carmine proponitur, iure suo *orationis* nomine appellari posset, etsi precationibus non vestiretur. Difficilius explicaveris *pro ignorantiis*, vel ut *S. Hier.* vertit *pro ignorationibus*. Sunt, qui prophetam pro suis ignorantiae peccatis orationem fundere censeant : « nunc agit poenitentiam et plangit, quod temere sit locutus (scil. 1, 2. 13), petitque veniam, ut misericordiam consequatur, quia ignorans fecit » (*S. Hier.* sim. *Sanct.*). Alii tamen hanc explicationem vituperant, cum propheta iis in verbis non erraverit, et orationem fieri docent, ut Deus impleat quod promisit neque propter Iudaeorum peccata bonum promissum differri sinat (*Rib. Lap. Sa, Gord. Ians.*).

Hebr. עַל שִׁגְיֹנוֹת *S. Hier. explicavit* a שָׁגָה *erravit oberravit* Versionis rationem reddit *S. Hier.* : « Aquila et Symmachus et quinta editio sicut nos *pro ignorationibus* (ἐπὶ ἀγνοημάτων) transtulerunt ; solus Theodotio ὑπὲρ τῶν ἑκουσιασμῶν ; id est *pro voluntariis* [1] *et pro his qui sponte delinquunt.* Hoc propterea, ut intelligamus (exceptis Septuaginta) nullum *orationem cum cantico* transtulisse » ; habent enim LXX προσευχή... μετ' ᾠδῆς. At quid hebr. sibi velit, valde est dubium. Nam שִׁגָּיוֹן non occurrit nisi in inscriptione Ps. 7, ubi LXX habent ψαλμός. Recentiores quoque in varias abeunt sententias, uti fit in re, quae explorari nequeat. Alii enim etymon retinentes cantionem explicant *erraticam* vel *dithyrambum* ; alii vocem comparantes cum שְׂגָא (cf. Iob 36, 24) et cognata voce syriaca *hymnum* vel *oden* explicant vel *carmen lugubre* ; alii, cum dicatur עַל, de instrumentis musicis cogitant, vel de certa quadam melodia, secundum quam carmen sit canendum (cf. *Ges.* Thes. p. 1362 cum nota, quam adiecit *Roediger*, Addenda et em. p. 113. *Reinke*, Mess. Weiss. III. p 395, et Hab. p. 126 ; *Delitzsch*, Commentar über die Psalmen ; ad Ps. 7. *Hupfeld-Riehm*, die Psalmen, ad Ps. 7). Variarum quoque sententiarum iam mentionem faciunt *Rib. Lap. Sanct. Mar.*, afferentes explicationem vel de instrumentis musicis, vel de cantilena, ad cuius modos cani debeat, vel de carmine pleno deliciarum etc.

Primum quod vates consilio divino per revelationem sibi patefacto obviam fert, est prout decet naturam fragilem et humilem, quae divino alloquio indignam se agnoscens maiestatem Dei eiusque consilii sublimitatem et terrorem veneratur, timor quidam et obstupefactio reverentiae commixta. Cum enim ii, ad quos Dei sermo vel apparitio fit, sacro quodam timore percelli soleant (cf. Is. 6, 5 hebr. Ez. 2, 1. Dan. 7, 15. Luc. 1, 29), iste timor ex audito nuntio de divino iudicio non modice augeri censendus est ; quare vates noster : v. 2 « *Domine audivi auditionem tuam et timui* » ; — i. e. effatum, nuntium a Domino communicatum. Ita dici oraculum antecedens de ultione et vindicta divina, qua Deus per Chaldaeos in Iudaeos primum et dein in ipsos Chaldaeos animadvertet, omnino certum est et plurimorum quoque interpretum suffragio approbatum (cf. *Hier. Theod. Theod. M. Theoph. Haim. Sanct. Lap. Mar. Tir. Gord. Muis*).

Sed cum hoc iudicium via sit ad cognitionem laudemque Dei per orbem diffundendam (2, 14) et ad salutem afferendam (2, 4), vates non potest non intimis votis hoc Dei opus expetere ; unde magno cum fervore flagitat : « *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud ; in medio annorum notum facies ; cum iratus fueris, misericordiae recordaberis* » ; — hebr. *in ira misericordiae recordaberis* ; quam instanter petat, repetitione indicatur. *Opus tuum* (cf. 1, 5) sane est id quod Deus

---

1. Coniectant alii legendum esse ἀκουσιασμῶν *involuntariis* (*Ges.* Thes p. 1362, *Drach* in notis ad Hexapl. fragm. *M.* 16 c, 2997) ; at *S. Hier.* mox repetit *pro spontaneis* esse translatum a *Theod.*

promisit (*S. Hier.*), quod in antecedentibus continetur et cuius adumbrationem vates in subsequentibus delineat : iudicium scil. Dei ex quo salus efflorescet, proinde deiectio adversariorum Dei et plena regni Dei restitutio, qua terra cognitione et gloria Dei repleatur et iustus ex omni miseria ereptus salvus laetusque vivat (2, 4. 14). Hoc opus *ut vivificet,* precatur vates i. e. ut hoc consilium divinum exsecutioni mandetur, et ita opere et vita exprimatur; vel forte etiam, ut opus Dei, regnum Dei inter Israelitas misere deiectum ac prostratum et inter gentes plane ignotum et quasi emortuum ad novam vitam novumque vigorem ac splendorem revocet et resuscitet, illudque omnibus ad salutem innotescere faciat. Brevi, orat vates, ut Dominus terram gloria sua impleat; idque ut fiat *in medio annorum.* Satis obscure hoc dicitur; fortasse referri debet ad 2, 3 *ad tempus illud constitutum* pro impletione visionis [1]; quod tempus ut acceleretur, efflagitat vates. A visionis enim tempore usque ad impletionem certum quendam terminum a Domino esse praefixum, ex 2, 3 patet; iam igitur petit, ut Deus non in extremo illo termino, verum *in medio annorum, intra annos* [2] scil. paucos opus suum manifestet. Id indicare videtur *S. Hier.* quoque : « tu enim dixisti, quia adhuc visus procul et apparebit in fine; vivifica ergo quod pollicitus es, hoc est, tuum imple promissum; non moriatur irritus sermo tuus, sed opere compleatur ».

Sed quia *opus* divinum severo quoque iudicio in populum Dei exercendo continetur, addit : *in ira misericordiae recordare* i. e. ne in furore puniat, sed ut castigationem miseratione temperet, impiis quoque ac scelestis gratiam et misericordiam tribuens, qua resipiscant. Bene notat *Rup.* : « non erimus sicut Sodoma; non efficiemur quasi Gomorrha, sed reliquiae salvae fient ex nobis » ; et *Theod. M.* : « tunc summa tua apparebit benignitas erga Iudaeae incolas, cum eos misericordiae tuae memor aerumnis subtrahes et praeter omnem humanam spem postliminio in patriam restitues ». Idem rogat propheta magis explicite, quod 1, 13 efflagitaverat, et quod in ipso carmine v. 9. 13. 15. 18. 19 prosequitur.

Quale *opus* intelligendum sit interpretes varie explicant. Sunt enim, qui *auditionem* non ad vaticinium antecedens sed ad res referant olim a Deo contra Aegyptios, in deserto pro populo gestas (cf. *Alb. Mar. Calm.*), unde consequenter *opus* explicant, ut Deus vetera illa prodigia pro populi liberatione et salute instauret (cf. *Calm.*). Alii *opus* explicant populi libertatem ; et « quia non aliter revocandus

1. Cf. *Keil, Reinke, Thalhofer.* Explicat *Schegg* : *mox* vivifica vel *nunc*, quia medium annorum tempus sit intermedium inter vaticinia et tempus messianicum.
2. Iam *Barh.* explicat post annos.

erat populus ad libertatem seu ad civilem vitam nisi exstincto Chaldaeorum imperio, ideo etiam orat Deum propheta, ut potentiam evertat babylonicam » (*Sanct.* sim. *Lap. Tir. Gord.*). Qui vero *auditionem* presse referunt ad 2, 3 et *venientem* intelligunt Messiam (cf. *Rib. Sa, Ians.*), *opus* vel Incarnationem Christi (*Rib. Ians.*) vel totius redemptionis mysterium vocari hoc loco censent (cf. *Est.*). Alii *opus* Dei generatim totum genus humanum dici volunt vel in specie Israelitas, qui ad veram coram Deo vitam sint revocandi (cf. apud *Rib. Ros. Muis*).

Neque minus illud *in medio annorum* interpretum ingenia exercuit. Pluribus placuit, hunc modum loquendi idem dicere quod *in praestituto tempore*, *in plenitudine temporis* (cf. *Haim. Ians. Rib. Sa*); alii dici volunt *in mundi tempore medio* (*Lap. Gord.*); neque ab hac sententia procul abest *Alb.* qui ita scribit : « medium annorum vocat, quia sicut a principio mundi sunt magna opera ostensa et in fine ostendenda in mundi condemnatione, petit quod in medio tempore in quo sancti tribulantur ab iniquis, vivificetur opus in destructione malorum et liberatione bonorum ». Explicat *Houbig.* : « intra hos annos, quos duratura est babylonica captivitas ». *Rup.* ex hoc loco colligit, Christum 33 annos natum mortem obiisse ; scil. in medio annorum vitae hominis, quae 70 annis fere circumscribatur ; *Est.* aliam affert explicationem non minus miram : in dimidio hebdomadis ex Danielis vaticinio. Sed haec satis superque sufficiunt. Loci obscuritas interpretum miris explicationibus satis patet. — Quod habent *Lap. Gord.* de medio mundi tempore, apte ad Christum refertur, qui etsi non chronologice (quod nescimus), at secundum se est revera centrum, ad quod omnia convergunt. Sed haec iam ab explicatione longius absunt.

Neque hoc loco omittendus est textus LXX, quem *S. Hier.* ita reddit : « Domine audivi auditum tuum et timui ; Domine consideravi opera tua et obstupui ; in medio duorum animalium cognosceris ; cum advenerit tempus, demonstraberis ; cum turbata fuerit anima mea in ira, misericordiae recordaberis ». Uti statim apparet, primum membrum duplicem exhibet eiusdem hebr. textus versionem aliqua paraphrasi admixta ; illud בקרב שנים prius vertitur *in medio duorum* (שְׁנַיִם duo, pro שָׁנִים anni) *animalium* δύο ζώων (igitur legerunt חַיּוֹת vel הַיֹּתִי ? pro חַיֵּיהוּ) ; dein ἐν τῷ παρεῖναι τὸν καιρὸν, quod proxime accedit ad בְּקָרֹב cf. Ez. 11, 3. Praeterea pro *hiphil* תודיע legerunt *hophal* cf. Lev. 4, 23. 28 ; id *Syrus* quoque. Ex vetere latina versione iste locus in liturgia ecclesiastica servatus est, scil. « in quarto responsorio in natalitiis Christi feriis, in sexto responsorio in festo Circumcisionis et clarius in missa Parasceves in tractu post prophetiam primam » (*Sanct.*). Sed quid hoc sibi velit « in medio duorum animalium cognosceris », miris modis ingenia exercuit. Varia iam refert h. l. *S. Hier.* : intelligi Patrem, qui in medio Filii et Spiritus S. cognoscatur [1] ; opinionem vulgi autem id explicare de Salvatore, qui inter duos latrones crucifixus agnitus sit ; « qui autem melius, hoc dicunt, quod in prima Ecclesia quae de circumcisione

---

1. Eam interpretationem *S. Cyr.* cum indignatione reiicit ; esse ἀμαθὲς, ἄτοπον etc. ita explicare.

fuit et de praeputio congregata, duobus populis se hinc inde cingentibus, intellectus sit Salvator et creditus. Sunt qui duo animalia duo intelligunt Testamenta, novum et vetus ». *Tertullianus* duo animalia explicat Moysen et Eliam, inter quos Christus apparuit transfiguratus (c. Marc. 4, 22. *M.* 2, 415). Eam explicationem etiam commemorat *S. Augustinus*, sed in medio relinquit, utrum hanc an illam de duobus Testamentis vel duobus latronibus amplecti malis (Civ. D. 18, 32. *M.* 41, 588). *Methodius* (sermo de Sim. et Anna, *M.* 18, 357) et *S. Cyr.* duo intelligunt Cherubim in arca, inter quae propitiatorium vel oraculum (arcae operculum) erat, ubi saepius gloria Domini residebat — quae explicatio optimum sane sensum exhibet (sim. *Theoph.*). Varias opiniones *Theod.* quoque affert : alios enim intellexisse angelos et homines, alios Cherubim et Seraphim, alios Iudaeos et Babylonios. Ultimae sententiae adstipulatur *Theod. M.*-Medos et Persas, vel Darium et Cyrum significari volunt *Lap. Tir.*, regem Chaldaeorum et regem Persarum *Sanct.* ; duas vero acies populorum, Iudaeos scil. et decem Israelitarum tribus *Ag.*

Aliis demum summopere placet, quod in liturgia canitur de Christo in praesepi : « in medio duorum animalium iacebat in praesepio et fulgebat in coelo... o magnum mysterium... ut animalia viderent Dominum natum iacentem in praesepio » et locum interpretantur de duobus animantibus ad praesepe adstantibus et saepe etiam ad Is. 1, 3 remittunt (cf. *Rib. Lap. Gord.*). Sed iam *Sanct.* obiicit, neminem veterum explanatorum hanc sententiam commemorare. Allegantur quidem pro illa *Origenes, Ambrosius, Gregorius Nyss... Hier.* ; sed perperam ; neque enim bovem et asinum Domino nato adstitisse docent, sed Is. 1, 3 *mystice* explicant v. g. asinum i. e. animal immundum, gentiles scil. cognovisse et agnovisse natum Dominum, neque vero bovem i. e. animal mundum, Iudaeos ; ita *Origenes* (hom. 13 in Luc. *M.* 13, 1832), ita qui presse eum sequitur *Ambrosius* (in Luc. 2, 7. *M.* 15, 1568) ; ita fere etiam *Gregorius Nyss.* (in diem natalem Christi [1], *M.* 46, 1144) et eodem modo intelligi vult *S. Hier.* (ep. 108 n. 10. *M.* 22, 884 ; uti etiam ex eius commentario ad Is. 1, 3 elucet ; *M.* 24, 26), neque *S. Petrus Chrysologus* (serm. 156. *M.* 52, 614) aliud asserit, quam Dominum in hominum habitaculum non admissum in iumentorum praesepi iacuisse. Quantum scio, bos et asinus primo ad praesepe sistuntur in Pseudo-Matthaei Evangelio [2], cap. 14 : « Maria ingressa stabulum posuit puerum suum in praesepio, quem bos et asinus adoraverunt. Tunc adimpletum est, quod dictum est

---

1. At sermo iste inter dubia opp. refertur. Eodem modo explicat quoque *S. Gregorius Naz.* or. 38, 17 (in Theophania ; *M.* 36, 332).

2. Unde simul colligitur, quam *vere* scripserit *Calvinus* : « Papistae finxerunt boves et asinos in praesepi Christum, cum nasceretur, adorasse. In quo egregios se esse asinos ostendunt. Atque utinam ipsi asinum quem fingunt imitarentur, hoc est, saltem asini essent Christum adorantes ac non calcitrantes adversus eius maiestatem ». Atque eum imitatus scribit *Foerster* : « monachi rudes et indocti textum hunc accommodarunt (Is. 1, 3) ad traditionem, quod Salvator noster inter bovem et asinum sit natus et in praesepi reclinatus, sed plane ἀπαιδεύτως et contra scopum ». Atque talia transscribere non puduit *Naegelsbach* in comment. ad Isaiam eaque hodiedum venditare suae sectae hominibus tamquam « dogmatische und ethische Grundgedanken » ! ?

per Isaiam prophetam dicentem : *cognovit bos*... (Is. 1, 3). Ipsa ergo animalia, bos et asinus, in medio eum habentes incessanter adorabant eum. Tunc impletum est quod dictum est per Abacuc prophetam dicentem : *in medio duorum animalium innotesceris* » (Evangelia apocrypha, edidit *Tischendorf*, Lipsiae 1853, p. 77). Eodem modo hi duo textus iunguntur in Libro de promissionibus et praedictionibus Dei, incerti auctoris opere ; postquam enim Is. 1, 3 et Hab. 3, 2 ex LXX allatum est, pergitur : « firmat haec Lucas evangelista » et sequitur Luc. 2, 6. 7. 11. « testatur et Paulus (2 Cor. 8, 9) ; fatetur et Sibylla : cum iacet incultus densis in vepribus orbis » (*M.* 51, 820).

Atque ut plenus habeatur huius loci expositionis conspectus, restat dicere, graecos aliquos interpretes eiectis animalibus introduxisse ζωῶν *in medio duarum vitarum*. Ita ἕτεροι apud *S. Cyr.* ; ita *Theod.* explicite statuit : « mihi videtur non ζῶα, sed ζωὰς dixisse prophetam, praesentem scil. vitam et futuram, quarum in medio iustus iudex apparet » ; sim. *Theoph.* Etiam *S. Cyrillus* hierosolymitanus duas vitas legit, quas explicat de vita Christi ante mortem et post resurrectionem (Catech. 12, 20. *M.* 33, 752), et *Eusebius*[1] humanam ac divinam (*M.* 22, 445). Graecum textum de duobus animantibus *Barh.* quoque respicit et explicat de angelis et hominibus, quibus innotescat Deus tamquam curam gerens servorum suorum, et de Babyloniis et Hebraeis.

Demum afferre iuvat, *Aq. Theod. Sym.* plane cum textu hebr. consentire, et *Aq.* quidem molestum illud *in medio annorum*, quod retinet *Theod.*, removere et scribere ἐν τῷ ἐγγίζειν τὰ ἔτη, ζώωσον αὐτὸ ; dum habet *Sym.* ἐντὸς τῶν ἐνιαυτῶν ἀναζώωσον αὐτὸν (interpretationes has affert *Eusebius*, dem. evang. 6, 15. *M.* 22, 444). Mihi videtur, satius esse ad sensum facilem et obvium habendum legere non קֶרֶב sed cum *Aq.* et altero in membro cum LXX quoque infinitivum verbi קְרֹב *appropinquare.* Retinent *in medio annorum* cum *S. Hier.* etiam *Syrus* et *Chald.*

b) Theophania describitur 3, 3-7.

Opus illud quod Deus promisit et vates modo efflagitavit, iam describere aggreditur. Quod cum sit iudicium Dei in malos et salus piis praestanda, ita proponitur, ut Deus ipse maiestate sublimi ac terrifica venturus exhibeatur schemate eodem, quo olim ad legem populo dandam descendit. Dicitur enim Deus venire, egredi, descendere etc. cum singulare aliquod potentiae vel providentiae eius facinus editur. Et cum magnalia Dei olim in Aegyptiorum perniciem punitionemque et in Israelitarum salutem patrata non sint nisi initia quaedam ac praeambula ad grande Dei opus, quo regnum suum Deus supernaturale inter homines

1. Et *Eusebius* quoque explicite statuit, non *animalia* esse legendum sed duas vitas · οὐ γὰρ παροξυτόνως... ἀλλὰ ζωῶν περισπωμένως etc. *M.* 22, 444.

constituat, omnia quae ad hoc regnum instituendum referuntur iure merito eodem schemate eademque figura proponuntur. Ita enim non solum Dei potentia apte oculis subiicitur et magna reverentia Dei animis infunditur, sed etiam, quod potissimum est, quaecumque Deus per temporum intervalla ad suum regnum stabiliendum, vindicandum, propagandum vel fecit vel facturus est, uno conspectu et in praeclaro symbolo adumbrantur et sensu plenissimo *opus Dei* nobis quasi una imagine proponitur (cf. quae ad Mich. 1, 3 dicta sunt).

Vates quod poposcerat iam visione prophetali impleri cernit : *opus tuum vivifica* ; iam aspicit Deum apparentem, qui uti est in se lux et gloria, ita gloriam et lucem comites habet : v. 3 « *Deus ab austro veniet et Sanctus de monte Pharan. Operuit coelos gloria eius et laudis eius plena est terra* » ; — hebr. *Deus a Theman veniet* ; verba aperte alludunt ad Deut. 33, 2 ; quare inde explicatio erit petenda. Moyses tribubus benedicturus a Dei magnalibus sermonem orditur : « Dominus de Sinai venit et de Seir ortus est nobis ; apparuit de monte Pharan » i. e. cum gloria ad nos descendit in Sinai ; circa montes Seir i. e. terram Edom nobis iudex iratus sed etiam salvator misericors apparuit, mittens serpentes ignitos sed remedium quoque concedens (Num 21, 4) ; multiplici ratione in Pharan et gloriam suam et terrorem manifestavit : ignem in castra misit, viros septuaginta spiritu prophetico implevit ; murmurantibus misit coturnices ; rebelles prostravit et generationem contumacem mortis sententia in deserto obeundae punivit apparente gloria Dei super tectum foederis cunctis filiis Israel (cf. Num. 10, 11 ; 13, 1 ; 14, 10 etc.). Hisce enim praeclarae Dei manifestationes continentur (cf. *Rib. Tir.*), quibus Deus iudex et salvator egregie describitur. Quare vates novam Dei manifestationem, qua iudicis et salvatoris opus est continuaturus idem Deus, delineare aggressus Deum dicit vetera illa et iudicia et beneficia instauraturum et se denuo populo suo talem praestaturum, qualis olim fuerit. Quod ut *plastice* exhibeat et re olim gesta per similitudinem eiusdem divinae operationis designet, *Deum ex Theman*, quae est regio meridionalis Edom vel Seir (cf. Iob 2, 11. Am. 1, 12. Ier. 49, 7. 20. Ez. 25, 13) denuo venturum dicit et ex *Pharan*, quae est regio deserta inter Edom et Palaestinam meridionalem, multorum Dei magnalium testis. Veniet *Sanctus*, qui propter infinitam sanctitatem foedus suum irritum fieri non sinet, sed qua sanctus et adversarios conteret et gloriam suam in populo sancto relucentem desiderat (cf. 1, 12).

Simul ac Deus apparet, qui lucem inhabitat inaccessibilem, eius gloriae maiestatisque manifestatrix cernitur summa quaedam lucis splendorisque claritas, qua subito totum universum, coelum sursum et terra deorsum, collustratur. Sane aptissima simul et magnifica immensae maie-

statis exhibitio ! « Sic igitur tamquam fulgentissimum ac lucidissimum sidus exortus est, cum ab austro veniens de splendore summo subito radios suae lucis immisit, adeo ut coelos decor eius seu splendor operiret et terram impleret. Admirabiliter autem et cum emphasi dictum est *operuit*... voluit excellentiam splendoris hac figura significare ac tantum lucis attulisse Deum venientem, ut etiam solis et astrorum lucem operiret ac tegeret » (*Ag.*); et *laudis* i. e. magnificentiae, splendoris, decoris eius *plena est terra* (cf. *Sanct. Sa, Muis*); fulgore divino omnia relucent, quo apparentis sublimitas demonstretur et id imagine proponatur, ad quod omnia Dei opera tendunt, ut terra impleatur gloria Dei. « Operum suorum magnitudine coelum terramque replebit, in tantum, ut omnes ad hymnum convertantur, sapientiam et magnitudinem gestorum admirantes » (*Theod. M.*). Deus autem eo aptius exhibetur venire a parte meridionali tamquam ultor et salvator, quia turbo chaldaicus ingruit a septemtrione, cui igitur Deus ex opposito et ex regione foederis cum populo initi obviam occurrit (cf. Iud. 5, 4).

Occurrit in textu hebr. post *Pharan* vox סֶלָה, LXX διάψαλμα, de cuius notione neque apud veteres neque apud recentiores certi aliquid constat. Refert *S. Hier.* interpretatum esse *Sym.* in aeternum, *Theod.* in finem, *se* semper, *quintam demum editionem* ipsum hebraicum reliquisse. Fusius ea de re agit *S. Hier.* ep. 28 (ad Marcellam *M.* 22, 433). Varias quoque opiniones congerunt *Rib. Sanct. Lap. Muis* ad h. l. *Calm.* in dissertatione 4. in psalmos; *Delitzsch* ad Ps. 3; *Hupfeld-Riehm* (Die Psalmen I § 10, 2); esse vocem *notam musicam* plerique asserunt, sed qualem? alii *pausam* indicari statuunt, alii e contra vocis elevationem signari, alii esse immutationem quandam cantus vel variationem, alii interiectionem quandam indicari pulsationis seu instrumentorum musicorum, ad quod διάψαλμα — quod interpositum canitur etiam referunt, vel significari pro cantu et musicis instrumentis maiorem quandam vocis et musicae sacrae elevationem et vigorem.

Neque de vocis etymo satis constat. Alii סלה *tollere* in medium proferunt; alii שָׁלָה *quiescere* afferunt (cf. *Fürst* C.). Vox in 71 locis psalmorum occurrit et ter in nostro cantico v. 3. 9. 13. Vide *Reinke*, Hab. p. 136. 151. Neque graeci in voce διάψαλμα explicanda inter se conveniunt. Iam *S. Hier.* advertit : « quidam *diapsalma* commutationem metri dixerunt esse; alii pausationem spiritus; nonnulli alterius sensus exordium. Sunt qui rythmi distinctionem et quia psalmi tunc temporis iuncta voce ad organum canebantur, cuiusdam musicae varietatis existiment silentium ». At simul addit : « nobis nihil horum videtur ». Varia quoque adnotant et referunt psalmorum interpretes : *S. Hilarius, Eusebius, S. Gregorius Nyss.*, quae cum eorum locus proprius sit in commentario ad psalmos, hic omittimus. — *Syrus* in translatione textus hexaplaris retinuit vocem graecam; *Syrus* et *Chald.* non expresserunt h. l.

S. Hier. vertit תֵּימָן appellative cf. Ex. 26, 18. 35; 27, 9. Ios. 13, 4. Iob

9, 9 ; 39, 26. Is. 43, 6. Zach. 6, 6 etc. *Theman* regionem exprimunt LXX, *Aq. Sym.* ; « solus Theodotion quid significaret *Theman* interpretatus est dicens : *Eloim ab austro veniet et Sanctus de monte Pharan, in finem* » (*S. Hier.*) ; sim. *Chald.* At propter *Pharan* in membro parallelo nomen regionis retineri debet.

Huius fulgoris divini claritatem, cuius splendore mentem propheticam quam maxime delectari pronum est, ulterius admirabundus vates describit v. 4 « *splendor eius ut lux erit ; cornua in manibus eius ; ibi abscondita est fortitudo eius* » ; — hebr. *et splendor sicut lux* (*sicut sol* cf. Iob 31, 26 ; 37, 21. Is. 18, 4) ; *radii e manu eius* i. e. Dominus apparens fulgidissimi solis in modum lucem et splendorem in se ostendit et sicut a sole radii quaquaversus diffunduntur, ita *e manu* Domini fulgores emicant. Cur *e manu*? Volunt idem esse quod a latere eius, vel circumquaque radios emicuisse (cf. *Schegg*, *Reinke*, *Keil*) ; sed tunc iure exspectares *e manibus eius*. Forte Dei apparitio, cum facies Dei cerni nequeat, cogitanda erit eo modo, quo Moysi sublata Dei manu aliquid divini splendoris est ostensum (Ex. 33, 23). Apparet igitur splendor quasi sol, in quo nucleus quidam emittens luminis radios insignior cernitur, qui e manu Domini emicare dicitur, quia Deus in luce inhabitans inaccessa sublata manu aliquid fulgoris divini in mundum emittere censetur ea ratione, qua Moysi aliquam gloriae suae adumbrationem manu sublata ostendit. *Ibi* i. e. in luce inhabitat maiestas divina *abscondita*, quia tali luce est circumfusa, ut ipsa in se ab homine mortali vel ab angelo suis tantum viribus instructo videri nullo pacto queat ; unde amictus lumine sicut vestimento (Ps. 103, 2) luminis fulgore ab humanis oculis absconditur. Certe praeclara est haec supremi numinis notio ! ut quicumque splendor cernatur, eum non esse nisi externam quandam obvelationem intelligatur, qua divina gloria in se inaccessa homini abscondatur ; cf. Ex. 24, 17 : « erat autem species gloriae Domini quasi ignis ardens super verticem montis ».

Vocem hebr. קְרָנַיִם [1] esse intelligendam de radiis emissis, iam docent *Ag. Sanct. Mar. Muis* aliique et elucet quoque Ex. 34, 29, quo in loco LXX habent de Moyse δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρωτὸς τοῦ προσώπου αὐτοῦ (et sim. *Chald.* et *Syrus*). Ita nostro loco *Chald.* quoque : scintillae a quadriga gloriae eius prodierunt. Ceterum *cornua* plerique de potentia et viribus explicant (cf. *Theod. M. Sanct. Lap. Men. Tir. Gord.*) ; alii de miraculis (*Theod. Theoph.*) ; alii de regnis (*Cyr.* : « in manibus, in potestate habet contrariarum virtutum tyrannides,

1. Legit *Syrus* קרית : in civitate manuum suarum collocabit robur suum. Ergo cum LXX legit quoque שָׁם, uti etiam teste *S. Hier.* legerunt *Aq.* et *Sym.* pro שָׂם, quod *Theod.* et *S. Hier.* et *Chald.* exprimunt ; « magis in praesenti loco *ibi* legendum est » (*S. Hier.*).

sive regna, sive vires » ; sim. *Alb.*) ; antiqua est et pervulgata sententia, intelligi tropaea crucis (*Cyprianus*, testim. adv. Iud. 3, 21. *M.* 4, 715. *Augustinus*, Civ. D. 18, 32. *M.* 41, 589. *Hier. Rup. Rib.*), quae Salvator manibus gerat. Rem ita declarat *Rib.* : « cornua habebit, quibus ventilet et disperdat et vincat omnes inimicos suos, sumpta metaphora a tauris et ferocioribus bestiis... itaque *cornu* insigne potentis bellatoris et victoris est atque instrumentum victoriae Cornu autem Christi adversarias potestates ventilantis et profligantis est sanct crux et per eam sibi omnia subiecit, sicut ait Ioan. 12. *et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* Quare cum dicat *cornua in manibus eius*, victoria per crucem et passionem futura praedicitur ». Sed haec est *accommodatio* verborum, non expositio. De ea plura vide apud *Gerhohum et Sanct.* in explicatione allegorica ; apud *Lap.* in explicatione mystica. Eam indicat *S. Hier.* scribens ad Paulinum : « Abacuc, luctator, fortis et rigidus stat super custodiam suam et figit gradum super munitionem, ut Christum in cruce contempletur et dicat : *operuit coelos gloria eius... cornua in manibus eius...* » (ep. 53, 8 *M.* 22, 547). Regni Christi insigne et notas significari *Eusebius* censet, « quibus cornibus invisibiles atque adversantes potestates repellens et victas obtinens abigit » (dem. evang. 3, 15. *M* 22, 445). *Tertullianus* quoque cornua explicat « crucis extima ; nam et in antenna navis, qua crucis pars est, hac extremitates eius cornua vocantur » (adv. Iud. 10. *M.* 2, 626) ; sed non de nostro loco loquitur, verum Deut. 33, 17 typice de Christo exponit, uti fere etiam *S. Iustinus* (c. Tryph. 91. *M.* 6, 692).

Hucusque theophania est descripta, quatenus maiestatem divinam *in se* repraesentat atque delineat. Iam in ea Deum vindicem, ultorem, iudicem exprimi ostenditur v. 5 « *ante faciem eius ibit mors et egredietur diabolus ante pedes eius* » ; — hebr. *ante faciem eius incedit pestis et egreditur flamma ad pedes eius* (post pedes eius) i. e. comites habet pestem et ignem ; lux illa divina ignis est et incendium, quo Deus malos absumit, est enim Deus in ira sua *ignis consumens* (cf. Deut. 4, 24 ; 9, 3 : « scies ergo, quod Dominus Deus tuus ipse transibit ante te, ignis devorans atque consumens, qui conterat eos et deleat atque disperdat » ; 32, 22). Ita Deus iudex describitur Ps. 96, 3 : « ignis ante ipsum praecedet et inflammabit in circuitu inimicos eius » ; cf. Ps. 17, 9 ; 28, 7 ; 67, 3 ; 78, 5 ; 88, 47. Atque ad Dei arma etiam pestilentia pertinet : « mittam pestilentiam (דֶּבֶר) in medio vestri » Lev. 26, 25 ; cf. Num. 14, 12. Deut. 28, 21. 2 Reg. 24, 13. 1 Par. 21, 12. 2 Par. 7, 13. Ier. 29, 18. Ez. 14, 19 ; 28, 23 — quibus in locis *S. Hier.* verbum textus nostri non *mortem*, sed *pestilentiam* reddidit, quam Deus se immissurum esse minatur. — Ex interpretatione *S. Hier.* diabolus tamquam minister et instrumentum ultionis divinae in medium prodit. Qui quamvis tali munere fungatur, tamen hoc loco a propheta non nominatur ; idque ostenditur etiam eo, quia ipse *S. Hier.* nobis narrat, qua ratione ad versionem il-

lam devenerit : « hebraice dicitur *reseph*; tradunt autem Hebraei, quomodo in Evangelio princeps daemonum dicitur esse Beelzebub, ita Reseph daemonis esse nomen, qui principatum teneat inter alios et propter nimiam velocitatem atque in diversa discursum avis et volatile nuncupetur, ipsumque esse qui in paradiso sub figura serpentis mulieri sit locutus et ex maledictione, qua a Deo condemnatus est, accepisse nomen; siquidem *reseph* reptans ventre (!) interpretatur ». At haec sunt commenta rabbinica, quae alibi in ea voce interpretanda *S. Hier.* minime sequitur; vertit enim Deut. 32, 24 et Iob 5, 7 *avis*; Cant. 8, 6 *lampades*; Ps. 76, 4 *volatilia* (*vulg.* 75, 4 *potentias*); Ps. 78, 48 *volucres* (*vulg.* 77, 48 *ignis*). Vera vocis significatio esse videtur *ignis*, *flamma*, et quae inde deducitur febris ardens, pestis qua corpus inflammatur [1]. — Simili schemate Deum olim suum Israelitis auxilium promisisse, bene ad huius loci illustrationem monent interpretes v. g. Ex. 23, 27 : « terrorem meum mittam in praecursum tuum et occidam omnem populum, ad quem ingredieris... emittens crabrones prius »; cf. Deut. 7, 19. 20. Ios. 24, 12. Sap. 12, 8 (*Ag. Lap. Sanct. Men. Muis*).

LXX legerunt דָּבָר : « soli LXX et Theodotio *sermonem* pro *morte* interpretati sunt » (*S. Hier.*). In altero membro duplicis iam lectionis mentionem fecit *Theod.* et *Theoph.* Genuina est εἰς πεδία quam ab aliquibus in παιδείαν mutatam constat. Coniicit *Ag.* LXX legisse non רשף, sed לשפי i. e. egredietur in solitudinem cf. Is. 49, 9. Ier. 12, 12 etc.

Talis igitur Deus cum appareat, universa creatura commoveatur oportet. Pertinet haec commotio ad terrorem maiestatis divinae describendum atque praeterea in divinis manifestationibus, quae fiebant contra Aegyptios et in monte Sinai non pauca neque parva eiusmodi commotionis referuntur indicia (cf. Ex. 15. 19, 16. 18. Deut. 4, 11. Ps. 77, 13 seq. 113, 3-8). Quare duplici ratione *effectus* Dei apparentis qui in creaturis imprimatur, describitur : v. 6 « *stetit et mensus est terram; aspexit et dissolvit gentes, et contriti sunt montes saeculi, incurvati sunt colles mundi ab itineribus aeternitatis eius* » : — bene *Theoph.* : « omnipotentiam Dei ostendit, ut quae nemini sufferenda sit; simul enim stetit et concussa [2] est terra; intuetur et simul liquefiunt cerae instar

1. *Ignis* notionem versiones veteres praebent Cant. 8, 6 et Ps. 78, 48; et *Chald.* ad nostrum locum : et prodiit in flamma ignis verbum eius. Ceterum rabbinos inter se commutasse רמש et רשף opinatur *Trochon.*

2. LXX enim habent : ἔστη καὶ ἐσαλεύθη ἡ γῆ· simil. *Chald.* : stetit et commovit terram; etiam plerique recentiores textum hebr. eodem modo explicant, formam derivantes a מוד—מוט (cf. *Houbig. Del yeil, Reinke*); at radix מוד non est usitata, neque parallelismus

omnes gentes et montes franguntur a vi potentiae eius »; cf. Ps. 98, 1: « Dominus regnavit, irascantur populi; qui sedet super Cherubim, moveatur terra ». *Stetit* i. e. sola sua praesentia et apparitione, *aspexit* i. e. solo intuitu omnia tremore afficit, uti Ps. 103, 32 dicitur. « qui respicit terram et facit eam tremere; qui tangit montes et fumigant » vel Eccli. 16, 18: « ecce coelum et coeli coelorum, abyssus et universa terra et quae in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur; montes simul et colles et fundamenta terrae, cum conspexerit illa Deus, tremore concutientur ». *Mensus est* i. e. oculis terram lustrat; uno aspectu immensa terrae spatia et quae in iis continentur complexus ipsis oculis et vultu maiestatem Dominatoris prae se fert. Est descriptio ad hominum mores efformata, qui ipso intuitu imperandi vel puniendi auctoritatem exprimunt et subditos ante imperium vel castigationem ipsis oculis terrefaciunt. Unde verbum hoc apte gradum facit ad ulteriores divini terroris effectus exhibendos, qui in creaturis inanimatis et in hominibus fiunt.

Montes saeculi i. e. antiquissimi, qui a mundi exordio per longissimum tempus (*ab aeterno* hyperbolice) firmi steterunt et inconcussi; quare *temporis* mentio auget vim sermonis, eodemque sensu *colles mundi* (*aeterni* hebr.) dicuntur, « quorum ea est firmitas, ut sicut a creato mundo permanserunt immoti, sic etiam videntur in omnia saeculorum saecula permansuri » (*Sanct.*). Contremiscunt vero et quasi liquefacti diffluunt *ab itineribus aeternitatis eius* i. e. « Deus tunc egredi dicitur, quando aliquid producit extra, quod homines capere sensu possunt » (*Sanct.*); uti olim scil. Deus egressus est ad iudicia infligenda, ita nunc simili modo habitu iudicis et vindicis surgit; id textu hebr. indicatur: *itinera antiqua sunt ei* (עוֹלָם; quam vocem S. Hier. modo aliter vertit *colles mundi* pro *colles antiqui* vel *aeterni* [1]). Quibus verbis innuit propheta, instare opus Dei unum ex magnalibus, qualia olim peracta sint; unde terrorem maiestatis divinae non solum a creaturarum commotione, sed etiam e rerum olim gestarum memoria et ab antiquis iudiciis et castigationibus illustrat, exhibens Deum venientem, qui cuncta terribilia quibus olim mundi peccatores contremiscebant, suo quasi sinu afferat.

Et cum Deus a parte meridionali veniat, maiestatis eius terrore, quo

---

eam exigit notionem; insuper מדד significatione *metiendi* crebro adhibetur, quare ab usu frequenti non est recedendum, qui etiam hoc loco aptum sermonis nexum habet. *Syrus* vertit ut *S. Hier.*

1. Bene notat *Rib.*: « aeternum dicitur saepe quod ab initio mundi vel a longo tempore coepit ». Explicat *S. Hier.* itinera aeternitatis, quia Deus aeternus ad nos venire dignatus sit; sim. *Rib. Ag.* Ceterum ad versionem *S. Hier.* nota עולם notionem *mundi* non habere nisi apud posteriores, non vero in s. literis; etiam non Eccl. 3, 11, quem locum aptius intelliges: *aeternitatem* (desiderium aeternitatis) *dedit in cor eorum.*

gentes contremiscunt (v. 6 hebr. *trepidare fecit*), praeprimis gentes austri incolae percelluntur; unde v. 7 in hebr. *sub labore* (molestia, aerumna) *vidi tentoria Chuschan, turbantur aulaea terrae Midian* i. e. Aethiopes et Madianitae pavore corripiuntur; talis enim Domino apparente fit in rerum natura commotio, ut Aethiopum tentoria quasi onere gravi imposito comprimi et gemere et pariter vela vel aulaea tentoriorum apud Madianitas contremiscere videantur, et ea ratione Dominum sentire venientem a vate in visione prophetali conspiciantur. Eodem modo intelligenda est versio latina v. 7 «*pro iniquitate vidi tentoria Aethiopiae, turbabuntur pelles terrae Madian*»; — i. e. sub afflictione vidi tentoria (et cum latini de iniquitate rerum, temporis, loci i. e. de difficultate etc. loquantur, explicatio non adeo *a verbis* recedit, quamvis aliena sit *a sensu* quem *S. Hier.* exprimere [1] voluit); *pelles*... ipse *S. Hier.* declarat: *pavebunt tabernacula terrae Madian*. Hisce quae v. 6 de gentibus in universum dicta sunt, speciali exemplo descripta illustrantur. Idque apte fit non solum ob regionis situm, sed etiam quia Aethiopes (Cusch), qui cum Aegyptiis saepe sociantur (cf. Is. 11, 11; 20, 4; 43, 3; 45, 14. Ier. 46, 9. Nah. 3, 9 etc.) et Madianitae (cf. Num. 25, 6. Iud. 6, 2 seq.) hostes erant populi Dei, in quos igitur iudicium Dei devolutum iri facile perspicitur.

Legitur h. l. in hebr. *Cuschan*, quare non desunt, qui cum *Chald.* verba accipiant de Chusan Rasathaim, rege Mesopotamiae (cf. Iud. 3, 8. 10 — ita *Barh. Arias, Clarius, Mar. Ros.*), sed cum LXX, *S. Hier.* et plerisque interpretibus Cusch i. e. Aethiopes retinendi sunt, ad quos et regionis situs et tabernacula nos ablegant (cf. *Keil, Schegg, Reinke*).

Restat, ut pauca de aliis, quae feruntur, explicationibus addamus. Alii enim, pauci quidem, in hoc carmine fere nihil aliud deprehendunt nisi praeteritorum prodigiorum memoriam, quae olim Deus in commodum Israelis gesserit et quae nunc a propheta sine certo rerum vel temporum ordine celebrentur; ita v. 3. 4 laudari legislationem in Sina; v. 5 tangi Aegyptios peste afflictos, seditiosos et rebelles e populo variis suppliciorum generibus ablatos, Chananaeos territos et e sedibus suis eiectos; v. 6 innui terrae Palaestinae expugnationem [2] ac inter tribus populi divisionem, terrorem quoque, quo Chananaei fuerint perculsi (cf. Ios. 2, 9); in montibus autem contritis exhiberi impedimenta itineris per desertum feliciter ope Dei superata, quo tempore scil. Deus populum per inaccessas

---

1. Scribit enim: «Aethiopes tetri..... daemones intelliguntur, quorum fit tabernaculum quicumque in hoc saeculo propter honores et divitias laboravit, quod significanter sub uno verbo iniquitatis ostenditur.... isti pro laboribus suis efficiuntur hospitium daemonum et qui templum Dei esse debebant. fiunt tabernaculum Aethiopum».

2. Vel *stetit* i. e. diu mansit cum populo in deserto (*Mar.*); alii *montes, colles* explicant praesides, principes, reges (*Rib. Sanct. Sa, Ag. Muis*), philosophorum fastum (*Ians.*), templa idolorum in collibus sita (*Theod.*) etc.

solitudines et montes asperrimos duxerit; v. 7 proponi ultionem de Midianitis captam (Num. 31, 2) et Arabes ad mare erythraeum territos (Ex. 15, 15). Ita *Calm.*

Alii, iique frequentiores, ad ea addunt, commemorari praeterita, ut spes et desiderium et petitio ostendatur fore, ut Deus iam similia pro populi salute patret (cf. *Mar. Lap. Men. Tir. Gord. Muis*). Attamen non enarrari praeterita, iam *Sanct.* monuit ex eo, quia in textu dicitur *Deus veniet*; et revera absolutum illud ac primo loco positum יָבוֹא, quod LXX ἥξει, S. *Hier.* rite vertit *veniet*, non potest cum *Syro* et *Chald.* de praeterito exponi (uti volunt *Mar. Men.* « futurum pro praeterito »); sed potius ea verbi forma etiam subsequentibus facem praefert. Quare in his sententiis non praeterita exhiberi dicenda sunt, sed futura, vel melius ea, quae vates in visione prophetali praesentia cernit, ita tamen ut sententiis et verbis ad magnalia olim patrata fiat allusio et nota similitudinis cum facinoribus olim gestis exprimatur (cf. *Sanct.*). Atque id quidem aptissime. Ita enim cum vates iisdem verbis rebusque utatur ad Dei opera futura adumbranda, ipsa hac affinitate luculenter docet, esse unum idemque opus Dei grande, quod per varia temporum spatia magis magisque explicetur et ex iisdem normis divinitus praestitutis perficiatur.

Alii demum res et beneficia futura indicari rite censent, at verba immediate et directe ad unum Christum eiusque opus referunt: venturum Christum ab austro i. e. non sine gloria in carne venturum, sed iterum cum splendore et claritate adfuturum tamquam legislatorem, uti olim in Sina (*Ag.*) vel: uti olim per figuram manifestam apparuit in Seir et Pharan (scil. in serpente erecto, in spiritu senioribus dato), ita iam veniet ad nos manifestus (*Rib.*); vel: veniet a fervore caritatis et splendore veritatis (*S. Augustinus*, Civ. D. 18, 32. *M.* 41, 589); vel: veniet a Bethlehem, qui sit vicus in australi parte situs; quae explicatio iam legitur apud *S. Irenaeum*[1] (adv. haer. 3, 20, 4. 4, 33, 11. *M.* 7, 945, 1080); eam ab Hebraeo quodam se audivisse *S. Hier.* testatur; ei adstipulantur *Theod. Theoph. Sa, Ians.*, eam proponi etiam *S. Cyr.* commemorat; eius meminerunt *Ag. Sanct. Lap.*

Qui de Christo interpretantur (*Hier. Theod. Haim. Rup. Gerh. Rib. Ians. Ag. Sa*), *splendorem* intelligunt vel Christi gloriam (cf. *Cyr. Theoph.*) vel eius doctrinam omnia collustrantem (*Theod. Rib. Ians. Sa*); v. 5 victoriam Christi de morte et diabolo expressam cernunt; v. 6 terram inter Apostolos divisam gentesque et immundos spiritus (i. e. *montes* et *colles* cf. *Cyr. Alb.*) subiectos vel reges et principes Evangelio mancipatos; v. 7 impios iri punitum, qui servos Christi sint persecuti et similia.

Alii demum haec ita accipiunt, ut ea de Cyro tamquam typo et adumbratione Christi praedicta esse velint; ita potissimum *S. Cyr.* et *Alb.* et *Sanct.* qui singulis versibus praeter historicam addit allegoricam explicationem; et eam explica-

---

1. Textum allegat in priore loco: « Deus ab Africo veniet et sanctus de monte Ephrem », in altero: « de monte umbroso et condenso » quae est lectio LXX. De lectionum origine et varietate plura affert *Rib.*

tionem generatim etiam ii amplectuntur, qui facinora praeterita eum in finem celebrari censent, ut hisce spes de futura liberatione gloriosa incitetur (cf. *Lap Men. Tir. Gord.*)

Immediatum ac directum de Christo vaticinium hoc carmine non contineri, verba ipsa et contextus satis clare docent. Multa posse ad Christum *accommodari*, iam *Sanct.* monuit. Ob oculos autem habenda est *universalis* carminis sententia, qua iudicium divinum in impios funestum, salutare in pios delineatur; quod iudicium *unum* considerari potest in visione et descriptione prophetica et *multiplex* atque *varium*, prout per temporum intervalla opere exprimitur. Unde a vero non aberrabimus neque ab indole visionis propheticae recedemus, si dixerimus, ex occasione iudicii particularis in impios Iudaeos et Chaldaeos devolvendi (2, 4) vatem eam imaginem proponere, qua omnes actus iudiciales generali adumbratione comprehensi repraesententur. Idque eo comprobatur, quod sicut Deus non sine rerum creatarum commotione olim iudicia exercuit particularia in Aegyptos, Iudaeos etc., ita ultimum atque universale iudicium maxima mundi perturbatione esse vestiendum atque peragendum ipso Christo docente didicimus. Neque aliquid aliud innuitur apud Aggaeum : *ego commovebo coelum et terram et mare et aridam* (Agg. 2, 7).

c) Symbolica iudicii descriptio 3, 8-11.

Huius iudicii imago expressa cernitur in totius terrae commotione [1]. Primo flumina et mare sentiunt iudicem; atque id eum in modum proponitur, ut similitudo quaedam adsit rerum ad mare rubrum et Iordanem olim gestarum v. 8 « *Numquid in fluminibus iratus es, Domine? aut in fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua? qui ascendes super equos tuos et quadrigae tuae salvatio* » ; — qua in comparatione et interitus malorum et piorum salus optime illustratur et indoles iudicii venturi terrifica in impios, in bonos salutifera (2, 4) praeclare delineatur. Bene enim rem tangit *S. Hier.* : « sicut Iordanem et mare siccasti rubrum pro nobis dimicans — non enim fluminibus et mari iratus es, aut quidquam insensibilia offensionis contrahere potuerunt — ita nunc quadrigas conscendens tuas arcumque corripiens salutem dabis populo tuo » ; vel, ut habet *Alb.* : « hoc in aquis fecisti, ut tuis auferres impedimenta transitus et hostes involveres in mediis fluctibus » (cf. *Rib. Lap. Sa, Mar. Tir. Gord. Muis*). Neque a re alienum est, quod alii de aquis

1. Cf. Nah. 1, 3 seq. et quae ad Mich. 1, 4 adnotata sunt.

Nili in sanguinem versis et corruptis adiungunt (cf. *Cyr. Alb. Sanct.*). Similia in psalmis quoque usitata sunt v. g. « et increpuit mare rubrum et exsiccatum est » Ps. 105, 9 ; « mare vidit et fugit ; Iordanis conversus est retrorsum » Ps. 113, 3 et seq. Repetitis interrogationibus [1] et exaggerationi et elegantiae consulit vates (cf. *Muis*). *Deum ascendere super equos*, figura est e rebus gestis petita : « Deus quasi strenuus dux seu imperator expedivit equos suos et quadrigas ad servandos Israelitas profligandosque Aegyptios, quando currus, equos equitesque suos curribus, equis equitibusque Pharaonis contulit » (*Muis*). Equi autem Dei sunt « nubes quibus quasi inequitans Deus fulgetra et tonitrua iaculabatur in Aegyptios, iuxta illud Ps. 103, 3 *qui ponis nubem ascensum tuum* » (*Lap. Mar. Men.*), ad quod bene refertur, quod Ex. 14, 24 habetur : « ecce respiciens Dominus super castra Aegyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum » (cf. 15, 3-5. 8. 10. 19) et Ps. 17, 12 ; 76, 17-21. Hisce vero suis attulit salutem (cf. Ex. 15, 13. 17. Ps. 76, 16. 21) ; unde *quadrigae tuae salvatio* : apparet enim Deus bellico apparatu instructus, isque apparatus dicitur *salvatio*, « quia salutem et incolumitatem et gloriosam victoriam affert his, quorum causa comparatus est » (*Sanct.*). Vel si imaginem ad omnia bella extendimus, quae Deus tamquam optimus bellator et imperator pro suis gessit, allusionem cernere possumus cum *Lap.* ad arcam testamenti ; « huic enim quasi currui bellico gloriae suae Cherubinis stipatus insidebat Deus » (*Lap.*) et in ea potissimum pignus salutis et foederis continebatur. — Iudicium Dei etiam propterea apte maris fluminumque percussione describitur, quia revera ostensurus est Deus talia irae suae signa in fine saeculorum ; cf. Luc. 21, 25 : « in terra pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum » (vide *Rib. Sa*).

Pergit propheta in allusione instituta, hostium interitum et salutem piorum accuratius declarans v. 9 « *suscitans suscitabis arcum tuum, iuramenta tribubus quae locutus es* » ; — i. e. Deus bellator arcum suum tendit et vehementissime confodit hostes sagittis ; « et per arcum omnia intelliguntur instrumenta bellica » (*Alb.*) et h. l. contra Aegyptios turbines, tonitrua, fulmina (cf. Ex. 14, 24. *Tir. Men. Muis*). Atque haec praestans simul *suscitat* et implet promissa data et iuramento confirmata,

---

1. Ex ratione visionis symbolicae *Gerhohus* modum interrogationis ita explicat : « ubi Daniel vidit in visione, quod quattuor venti coeli pugnabant in mari magno et quattuor bestiae grandes ascendebant de mari diversae inter se et deinde throni positi sunt et Antiquus dierum sedit et interfecta est iudicio eius bestia illa magna, aliarum quoque bestiarum potestas ablata, admirari poterat ipse Daniel et eodem modo interrogare : numquid in leonibus iratus es, Domine, aut pardis et ursis furor tuus et in ventis et in mari indignatio tua » (*M.* 194, 1035) ?

quae patriarchis et tribubus populi olim dederat. Dicuntur *iuramenta*, quia id quod Dominus de perfecta liberatione suorum pollicitus est, saepe est repetitum (Gen. 22, 16. Ps. 88, 50; 131, 11. Mich. 7, 20. *Rib.*). — Quam apte delineetur indoles iudicii, quod Habacuc efflagitat, audi *Ians.* : « insigni prosopographia bellatorem inducit, qui omni armorum panoplia instructus ad retributionem peccatorum et conterendos impios egreditur. *Suscitans* itaque *suscitabis* i. e certissime tandem suscitabis arcum tuum diutissime sepositum, in quo vasa mortis letaliaque peccatoribus supplicia praeparasti, ita ut simul suscites, id est, ad effectum deducas iuramenta... haec enim iuramenta, quamdiu devorabat hic impius iustiorem se, iacere et negligi a Deo videbantur, suscitabuntur vero cum in fine mundi veniet ad ponendam terram in solitudinem. Ad hunc autem diem cum sese accinget, armabit creaturam ad ultionem impiorum, ut pugnet cum illo orbis terrarum contra insensatos. Nam de praeambulis ad iudicii diem haec intelligit *Tertullianus* (c. Marc. 4, 39) ».

Ad textum hebr. nota : v. 8 legitur *quia ascendes*, ut etiam LXX ὅτι ἐπιβήσῃ i. e. ex eo quod vates Dominum videt bellico apparatu incedentem, uti olim instructus erat, concludit eum similia patraturum in perniciem impiorum et ereptionem bonorum. — Obscurus est textus v. 9 in hebr. : *nudus nudatur arcus tuus* i. e. depromitur et paratur ; ita aliqui vertunt, accipientes ערר—עוּר et comparantes Is. 32, 11 ; de עֶרְיָה cf. Mich. 1, 11. Alii usitatam significationem retinentes vertunt : *nudus excitatus est* i. e. ex obvelatione depromitur et intenditur. *S. Hier.* legisse videtur תעיר pro תעור et עריה ad eandem significationem retulit. Neque ab hoc multum abest *Syrus* : evigilans evigilabit arcus tuus. Alterum membrum etiam magis obscurum est: שְׁבֻעוֹת מַטּוֹת אֹמֶר ; *S. Hier.* vocem derivat a שְׁבוּעָה *iuramentum* et מַטֶּה notione *tribus* cf. Num. 1, 49 ; 2, 5. 7 etc. אֹמֶר *verbum, decretum* cf. Ps. 19, 4 ; 77, 9. Iob 22, 28 vel legit participium (?) ; *iuramenta tribuum* sunt promissa illis data. Ea explicatio sat facilis est, si verba spectas ; si sensum requiris, optime illam congruere fateberis : *suscitabis iuramenta*, ut explicetur membrum antecedens *quadrigae tuae salvatio.* Ita enim in v. 8 et 9 prius indicatur iudicium in malos, dein cum hoc iri coniunctum salutem bonorum. Simili modo rem concipit *Chald.* : « revelando revelatus es in potentia tua propter foedus tuum, quod cum tribubus Verbum tuum (*Memra*) iniit in saecula ». LXX omittunt verbum שׁבעות et מטות σκῆπτρα vertunt. In fragm. Hexapl. haec servata est versio : ἐχόρτασας βολίδας τῆς φαρέτρας αὐτοῦ satiasti iacula pharetrae eius (*M.* 16 c, 2981) et ita *Houbig.* etiam textum hebr. corrigi vult. Similiter Syrus : « saturabuntur tela ad iussum tuum gloriosum » in qua versione verbum שָׂבַע et etiam מָטָר *virga* facile deprehenditur. — Recentiores vertunt : *iuramenta* (*dirae*), *virgae verbi* i. e. virgae et castigationes verbo et iureiurando Dei praedictae sunt (*Hitz.* — uti Is. 11, 4 *virga oris sui*) ; vel : *iuratae sunt virgae verbo* (*Keil*) et explicat *Keil* formam שׁבעות *particip. pass.* uti Ez. 21, 28. Sed eo in loco negat verti posse : iureiurando obstricti (cf. Commentar über Ezechiel, Leipzig 1868 p. 184-185), et si etiam ita verti posset, nondum de virgis iureiurando obstrictis (?) sermo posset inferri. Etiam אמר esse *accusativum adverbialem*, probari nequit. Unde apparet, multo faci-

ius esse vertere ad verbum : *iuramenta tribuum, promissum* scil. *suscitabis* vel *suscitabuntur, evigilabunt,* uti *S. Hier.* intellexit, iuramenta scil. quae promissa Dei continent et confirmant (cf. Deut. 32, 40-42).

Iudicii terrores scissione terrae, inundatione, montium tremore, horrendo fluctuum sonitu et fragore ulterius depinguntur : « *fluvios scindes terrae* [1] *;* v. 10 *viderunt te et doluerunt montes, gurges aquarum transiit, dedit abyssus vocem suam, altitudo manus suas levavit* » ; — verte hebr. (in) *flumina findis terram* i. e. terra finditur, ita ut aquarum gurgites ex ea erumpant ; unde simile quid innuitur, quod in diluvio contigit : « rupti sunt omnes fontes abyssi magnae » (Gen. 7, 11) vel quod habetur Ps. 76, 17 : « turbatae sunt abyssi ; multitudo sonitus aquarum » (*Ag.*). Simul ac montes Deum vindicem conspiciunt, doloribus ac tremore corripiuntur ; cf. Ps. 96, 4 : « vidit et commota est terra ; montes sicut cera fluxerunt a facie Domini ». Ad hanc montium concussionem accedit *gurges aquarum* qui irruit, vel ex hebr. *imber aquarum,* quo omnia inundantur. Igitur aquae e sinu terrae erumpunt, aquae e nubibus irruunt, uti in diluvio utrumque proponitur : « rupti sunt omnes fontes abyssi et cataractae coeli apertae sunt » (Gen. 7, 11). Modo consimili iudicium depingit *Isaias* : « cataractae de coelis apertae sunt et concutientur fundamenta terrae » (Is. 24, 18). Et dum profunda terrae scissa vim aquarum profundunt, simul cum fluctibus ingentem miscent fragorem ; et *altitudo* i. e. profundum abyssi (*Sa, Mar. Ians. Muis*) vel aquarum gurgites (*Sanct.*) *manus suas levavit* i. e. fluctus saevientes vi tempestatis in altum attolluntur. Tanta est rerum perturbatio, ut ima summis, terra et maria nubibus et coelo commisceantur. Textum hebr. commodius vertes : *in altum manus suas levat* scil. *abyssus* i. e. impetu aquarum et turbine fragorem edit fluctusque in altum tollit.

In ea maris nubiumque commistione coeli sidera caligine obtecta lucem non emittunt ; tenebrarum vero horror crebris fulgurum coruscationibus augetur : v. 11 « *sol et luna steterunt in habitaculo suo ; in luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastae tuae* » ; — sol et luna sese condunt in suis tabernaculis, e quibus egredi censentur, quando in aethere fulgent (cf. Ps. 18, 6). Dies enim Domini tenebris erit horribilis ; cf. Is. 13, 10 : « quoniam stellae coeli et splendor earum non expandent lumen suum, obtenebratus est sol in ortu suo et luna non splendebit in lumine suo » et Ioel 2, 2. 10. 31 ; 3, 15 : « sol et luna obtenebrati sunt et stellae retraxerunt splendorem suum » ; cf. Am. 5, 20.

1. Hoc membrum ad v. 10 pertinere et sensu suadetur et probatur סֶלָה quod in textu hebr. immediate antecedit. Eodem loco ponunt LXX διάψαλμα ; vide ad v. 3.

Soph. 1, 15. Marc. 13, 24. Hebr. verte : *ad lucem sagittarum tuarum discedunt* [1] (abeunt, quasi evanescunt), *ad splendorem fulguris hastae tuae*; fulmina dicuntur *sagittae Domini* cf. Ps. 17, 15; 77, 18; 143, 6. *Fulgur hastae* intelligi possunt globuli ignei vel maiora fulgetra, quemadmodum Aegyptiis tenebris occlusis *subitaneus ignis timore plenus* subinde apparuit (Sap. 17, 6) vel *grando et ignis mista* in eos immittebantur (Ex. 9, 24). Ita simul optime delineatur ignis ille conflagratorius in saeculorum consummatione, quo « coeli ardentes solventur et elementa ignis ardore tabescent » (2 Petr. 3, 12); in flamma ignis venturus est Dominus (2 Thess. 1, 8) et in igne revelabitur dies Domini (1 Cor. 3, 13). Simili descriptione iudicium Dei illustratur Sap. 5, 19-24; quo in loco Deus bellator optimis instructus armis et orbe terrarum et creaturis in terrorem adhibitis ultimum parat peccatoribus exitium (cf. *Sa, Ians.*).

Etiam in his explanandis magna cernitur interpretum varietas. Nam v. 10 aliis placet alludi ad aquas mirabiliter in deserto concessas (cf. *Muis*), aliis ad torrentem Arnon (Num. 21, 14. *Alb.*), aliis ad mare rubrum et Iordanem (Ps. 113, 3 *Calm.*) et reliqua quae vel in monte Sinai vel in expugnatione terrae gesta sunt (cf. *Men. Sanct. Tir. Muis*) ita, ut aliqui etiam *montes* explicent reges Chanaan (*Mar.*). Aliter, uti patet, exponunt, qui totum canticum de Christo dici censent; v. g. *Rib.* : « civitates impiorum subvertes; reges eorum dolebunt et trepidabunt; omnis eorum impetus et persecutio finita sunt, postquam te videre coeperant venientem ; tunc inferi laudaverunt te, etiam superi, angeli plausum suis manibus concrepabunt, ut victorem veluti gestu quodam et tripudio elevatarum manuum demonstrent ». Alia vide apud *Cyr. Hier. Theod. Lap. Sanct.* (in explicatione allegorica) etc.

In v. 11 multi mentionem fieri censent miraculi, quod petente Iosue accidit Ios. 10, 12. 13 *steteruntque sol et luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis* [2] (cf. *Alb. Sanct. Lap. Sa, Men. Tir. Gord. Muis, Calm.*). Alii allegorice explanant, in sole Christum, in luna Ecclesiam intelligentes ; ita v. g. *S. Augustinus* (Civ. D. 18, 32. *M.* 41, 590) secundum textum LXX : « elevatus est sol et luna stetit in ordine suo : h. e. ascendit Christus in coelum et ordinata est Ecclesia sub rege suo » ; aliter *S. Hier.*, aliter *Sanct.* etc. Historice *Alb.* explanat : *ibunt*, scil. Cyrus et Darius proficient ; i. e. ad lucem sagittarum suarum et fulgurantium hastarum quasi facum praelucentium ingressi sunt urbem Cy-

1. Hoc sensu הָלַךְ adhiberi, notum est; cf. Gen. 15, 2. 1 Sam. 10, 2; 14, 17. Iob 16, 6 etc. vide *Ges.* Thes. p. 379. Alii relativo pronomine suppleto vertunt : ad lucem sagittarum, *quae eunt*, emittuntur (*Hitz. Keil, Reinke*) ; sed hoc additum videri potest valde frigidum, neque parallelismo congruit, neque simplici sententiae.

2. Id paraphrasi sua *Chald.* explicite vatem loquentem facit ; sequuntur ex recentioribus *Braun, Allioli.*

rus et Persae eamque ferro et flamma vastarunt, perinde ac Iosue iisdem vastavit Amorrhaeos; ita quoque *Hugo*, *Lyranus* aliique apud *Lap. Tir.*

d) **Destructio hostium 3, 12-15.**

Praecedentia summatim complectens (cf. *Sanct.*) iudicium Dei iam proprio sermone tangit, idque in universum: v. 12 « *In fremitu conculcabis terram, in furore obstupefacies gentes* »; — hebr. *cum fremitu incedis in terra, in ira trituras gentes* i. e. Deus iudex maiestate plenus graditur in terra (cf. v. 6) et si vult, brevissimo momento gentes hostiles plane conterit atque comminuit (cf. v. 6. 7). Qualis sit Dei incessus et contritio gentium, propheta quasi rem praesentem exhibet: v. 13 « *egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo: percussisti caput de domo impii, denudasti fundamentum eius usque ad collum* »; — duplex est enim exitus iudicii cf. 2, 4. Uti olim Deus in Aegypto sese manifestavit ad populi sui salutem et ei liberationem attulit cum *christo suo* i. e. cum electo populi duce, Moyse (cf. *Alb. Lap. Men. Aq. Tir. Gord.*), ita Deus denuo egreditur ad populum suum ex oppressione et servitute Chaldaeorum (cf. 1, 5-11) eripiendum et hanc quoque liberationem efficiet *cum christo suo* i. e. electo aliquo principe scil. Cyro (cf. *Sanct. Lap. Men. Tir. Gord.*).

Ita multi. Verum cum hac explicatione id suppleri debeat, quod rei praecipuum est, neque hoc loco determinatum de *Cyro* vaticinium possit admitti (vide infra), praestat illud *cum* textus latini ita explanare, ut non societatem salvantis sed opem indicet ipsi salvando ferendam i. e. cum christo tuo i. e. rege theocratico ita ages, ut eum salves. Similem habes locutionem Is. 3, 14: « Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui » i. e. veniet non cum iis quasi comitibus, verum ut eos iudicet. Indoles effertur populi regnique iudaici *theocratica*; et haec est ratio, cur oppressis speranda sit salus. Deus enim foedus quod olim iniit, irritum fieri non permittet; quare Psalmista quoque eadem ratione saepius Dominum obsecratur propter *christum suum* cf. Ps. 83, 10; 88, 39; 131, 10; et vide 2 Par. 6, 42. — At quemadmodum salvatio Israelitarum interitum attulit Aegyptiis maris fluctibus oppressis, ita etiamtum fastigium *domus impii*, summum eius decus et ornamentum, regia Chaldaeorum potestas funditus evertetur, ipse rex interibit et cum eo universi imperii chaldaici gloria corruet et turpi ruina sepelietur. Idque metaphora domus explicat, quae uno quasi ictu ita destruitur, ut et fundamentum nudum, apertum cernatur et superior domus pars simul cum parietibus ac trabibus penitus disiiciatur [1]. Est igitur imperium chal-

---

1. *Denudavit* bene dicitur de fundamento penitus disiecto et destructo et de aedificiis

daicum imagine *domus* propositum, domus vero propter *caput* et *collum* ad hominis similitudinem depingitur.

Textus hebr. לְיֵשַׁע אֶת־מְשִׁיחֶךָ etiam verti potest : *ad salvandum unctum tuum* i. e. regem theocraticum ; ita textum intellexerunt LXX qui legunt plurali numero : τοῦ σῶσαι τοὺς χριστούς σου — uti etiam codices aliqui hebr. praebent apud *de Rossi* — ita teste *S. Hier.* verterunt numero singulari *Theod. Sym.* [1], ita *Syrus* quoque et *Chald.* Neque ea versio sperni debet [2]. Nam, ut *theocratia* salvari dicatur, optime explicita fit mentio regis theocratici eoque commemorato indoles theocratica, quae ad iudicium Dei bene percipiendum maximi momenti est, clarius et distinctius effertur. E contra *cum christo tuo* non caret difficultate. Quomodo enim explicabis? Qui non rem futuram hic praedici, sed praeteritam commemorari volunt, *Moysen* intelligunt ; at non est sermo de re iam gesta, neque unquam Moyses *unctus* dicitur, neque satis scio, an apte dicatur, Deum *cum* Moyse egressum esse ad populum salvandum. Qui de futuro explicant, fere Cyrum intelligunt ex Is. 45, 1 ; sed cum huius carminis indoles adeo sit generalis, vix probabile est, subito sine praevia praeparatione — quae adeo apud Isaiam eminet cf. 41, 2 seq. 25. 44, 27. 28 — vaticinium proferri adeo determinatum. Insuper dubitari potest, num Cyrus tamquam *socius* et *comes* Dei in populo liberando considerari possit, cum alias ipse Moyses non ut talis, sed ut *instrumentum* appelletur : per *manum Moysis et Aaron* cf. Ps. 76, 21. Num. 15, 23. — Alii nodum solvunt, interpretantes immediate de Christi adventu et Incarnationis mysterio (cf. *S. Hier. Rib.* et apud *Lap. Ag.*) ; immo referente *S. Hier.* « sexta editio prodens manifestissime sacramentum, ita vertit ex hebraeo : *egressus es, ut salvares populum tuum per Iesum Christum tuum* ». At de Christo salvatore hoc loco neque proxime neque unice esse sermonem, oratio contexta clare ostendit. — Reges theocraticos dici rite censent *Mar. Muis, Reinke, Loch* ; interpretes graeci *unctos* vel electos (*Theod. M.*) vel Spiritus S. gratia imbutos (*Cyr. Theod. Theoph.*) explicant.

Quod domus destructae metaphora vates modo proposuit, ruinam scil-

---

funditus eversis; « nam si fundamentales eruuntur lapides et nudantur fossae, in quas primum iacta sunt fundamenta, consequens est, ut tota corruat moles, quae primis illis saxis insidebat » (*Sanct.*). Cum vero dicitur *usque ad collum* verbum *denudare* potius zeugmatice ad *collum* referri videtur, eo sensu : domum ab infimis ad summa usque evertisti — et עָרָה habet notionem *effundendi, proiiciendi* v. g. vitam, sanguinem — neque enim placet, duas misceri metaphoras eversionis domus et hominis turpiter nudati et profligati.

1. *Aq.* ut ait *S. Hier.* transtulit *in salutem cum christo tuo;* textum graecum affert *Eusebius* (Dem. evang. 4, 16 ; *M.* 22, 317) : εἰς σωτηρίαν λαοῦ σου σὺν χριστῷ σου. Unde ambiguitas illa quae ex textu latino ab *Hier.* allato oriri posset, sublata videtur. Ex solo enim textu latino posset quis coniicere *Aq.* fortasse tamen intellexisse ad salvandum christum tuum. Notum est enim *Aq.* etiam vertisse Gen. 1, 1 » ἐν κεφαλαίῳ ἔκτισεν ὁ θεὸς σὺν τὸν οὐρανὸν καὶ σὺν τὴν γῆν ; sim. σὺν pro את etiam adhibet interpres graecus *Eccl.* v. g. 2, 17 καὶ ἐμίσησα σὺν τὴν ζωήν. 3, 10. 17.

2. Uti v. g. *S. Hier.* eam tamquam pauperem sensum et iudaicam aspernatur.

imperii chaldaici vel babylonici, iam alio modo magisque proprie effert ita, ut etiam ratio excidii reddatur: v. 14 « *maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius, venientibus ut turbo ad dispergendum me. Exsultatio eorum sicut eius qui devorat pauperem in abscondito* »; — Deus regna et provincias Chaldaeorum maledictione percutit; idem maledictioni devovet ducem vel principem militum, quem antea *caput* domus vel fastigium appellaverat; demum omnes interitui tradit, qui saevae tempestatis in modum irruunt in populum Dei (cf. 1, 6 seq.). Quanta cum crudelitate et iniuria acturi sint, explicatur exemplo iniusti oppressoris, qui cum latere se putet, *pauperem devorat*, iustum ac pium affligit, spoliat, interimit (cf. Ps. 9, 8 seq.). Et hac saevitia exsultant, quam maxime delectantur; cf. Is. 52, 4. 5.

Babylonios designari (cf. *Sanct. Lap. Men. Tir.*), ipsa oratio contexta docet; praesertim si quis 1, 6 seq. 2, 5 seq. ob oculos habuerit. *S. Hier.* impium intelligi ait Nabuchodonosorem vel omnem adversarium; prius dici eatenus solum potest, quatenus in eo rex babylonicus simpliciter repraesentetur omnis; alterum, quatenus in uno iudicio omne Dei iudicium delineetur. Qui de re iam gesta verba accipiunt, etiam in hoc versu interitum Pharaonis et exercitus Aegyptiorum celebrari perhibent, qui venerint ut turbo ad dispergendum Israel et ad devorandum afflictum populum (cf. *Alb. Ag. Calm.*); alii in re gesta saltem futuram liberationem adumbrari censent (cf. *Lap. Men. Tir.*). Sennacherib ita describi, opinatur *Muis.* Qui carmen immediate ad Christi tempora transferre solent, explicant vel de pharisaeis et scribis (*Cyr. Theoph.*) vel de incredulis (*Theod.*) vel de ipso Antichristo (*Rib. Ians.*).

Textus hebr. alio modo, uti iam notant *Pagninus, Sanct. Muis, Houbig.* aliique, verti debet: *perforasti virgis eius* (telis eius) *caput*... — ita verbum נָקַב vertit quoque *S. Hier.* 4 Reg. 18, 21 (et quoad sensum 4 Reg. 12, 10), Is. 36, 6. Iob 40, 19. 21; at nostro loco aliam *maledicendi* notionem selegit, cui tamen obstat usus praepositionis בְּ, uti rite advertit *Houbig.*, et revera nullo in loco ita adhibetur. Quare alia versio praeferri debet, cui LXX, *Syrus, Chald.* suffragantur[1]. Si dicitur *virgis*, vel *hastis* (cf. 1 Sam. 14, 27) *eius*, sensus est, Deum regi impio arma eripere et his armis bellatores transfodere, i. e. Babylonios suis ipsorum armis interire. Simile legitur Mich. 5, 6: *pascent terram Nemrod in lanceis eius.* Aliis id videtur dictum coactius; unde emendandum censent *hastis tuis* (cf. *Houbig. Bickell*[2]). Sed prior lectio est nervosior; eam *Syrus* quoque exprimit, dum in fragm. Hexapl. affertur: ἄλλος· ἐξεδίκησας μετὰ δυνάμεώς σου τοὺς ἀρχηγοὺς τῶν ἁμαρτωλῶν. Praeterea obscura est vox פרז; *S. Hier.* vertit *bellatores*, LXX δυναστῶν. ita *Syrus* quoque; *Chald.* exercitus; ἄλλος, ut modo audivimus ἁμαρτωλῶν. Neque recentiores consentiunt: *duces* vel praefectos

1. Quod *S. Hier.* מַטֶּה verterit *sceptrum*, de hac re reprehendendus non est, quia vox ea notione habetur Ps. 110, 2 et etiam Ier. 48, 17.

2. Carmina veteris Testamenti metrice. Oeniponte 1882. p. 214.

militum explicat *Ges.* (Thes. p. 1125); principes, *iudices* designari ait *Fürst* L.; *fortes* ex arabico exponit *Hitz.*; hominum *turbam*, quae agros et planitiem incolat, interpretantur *Delitzsch*, *Reinke*, *Keil*; pro hoc afferri potest notio verbi cognati פְּרָזָה Ez. 38, 11. Esth. 9, 19 (Zach. 2, 8 ?); pro priore Iud. 5, 7. 11; ubi *S. Hier.* vertit *fortes* (פְּרָזוֹן), dum locos apud Ez. et Esth. et פְּרָזִי Deut. 3, 5. 1 Sam. 6, 18 *absque muro* vel similiter interpretatus est.

Babylonici imperii casu servitus et oppressio populi Dei tollitur isque novae libertati et saluti redditur; quare eventus ille aegyptiacus quasi reviviscere videtur: v. 15 « *viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum* »; — « allusio est, uti liquet, ad traiectum maris rubri atque Iordanis, ubi duae occurrebant Iudaeis difficultates; altera ab aquarum profundo gurgite; altera a limo, qui summotis aquis remansit in alveo. Utramque sustulit Deus ... In aperto et sicco alveo maxima intelliguntur impedimenta sublata, quaecumque illa sunt; neque enim aliud requirit proverbialis forma. Equi dicuntur Dei quibus insidebant Persae, quos Dominus quasi ad auspicatum illud bellum conscripserat evocaveratque » (*Sanct.* cf. *Lap. Ag. Mar. Men.*). Et revera magna cernitur similitudo inter primam ab Aegyptiorum servitute liberationem foederisque institutionem atque alteram hanc exsilii solutionem foederisque instaurationem; quare sollemne est apud prophetas, uti exsilii poenam servituti aegyptiacae comparant, ita reditum ex captivitate priore illa liberatione illustrare; cf. Is. 52, 4. 12; 63, 11-19. Ier. 31, 2 seq. Ez. 20, 35. 36. Os. 2, 15. Zach. 10, 11. 12. In hebr. *calcas mare* (ingrederis in mare) — *equi tui* (*calcant*) *lutum aquarum multarum*[1] i. e. Deus bellator currui militari insistens (cf. v. 8), uti olim profectus est per mare rubrum ductor populi eique viam pandens, ita ex ruina imperii chaldaici viam salutis aperiet suis; cf. Ps. 76, 20: « in mari via tua et semitae tuae in aquis multis ». Ea comparatione simul innuitur, Dei magnalia quae olim pro populo patraverat pignora quaedam esse divinae miserationis, quae populo electo nunquam sit defutura; nam « sine poenitentia sunt dona Dei ». Considerat ergo vates unum Dei opus et consilium, quod in populi electione Deus manifestavit et ex quo fonte quasi

---

1. Id videtur simplicius et magis obvium, quam quod alii (cf. *Keil*, *Reinke*) volunt סוּסֶיךָ esse accusativum quo *tu calcas* magis determinetur. Sed tunc sane diceretur tu *cum* equis vel *super* equos. *Bickell* vertit: torculasti mare equis tuis (ut fieret) lutum aquarum multarum; sed si exprimeretur effectus illo quod Deus mare reddidit pervium et calcabile, certe non diceretur *lutum aquarum multarum*; in luto enim gressus non figuntur, sed merguntur et haerent. Ceterum דָּרַךְ cum בְּ est *ingredi* in aliquem locum (cf. Deut. 11, 24. Ios. 1, 3; 14, 9. Is. 59, 8. Mich. 5, 4) et eo sensu calcare, dum in significatu *torculandi* sine praepositione adhibetur; cf. Is. 16, 10; 63, 3. Mich. 6, 15. Lament. 1, 15. Neh. 13, 15.

inexhausto populo eadem semper beneficia promanatura sunt. Ita enim favores iam praestiti et pignora sunt et typi eorum, qui per saeculorum decursum ad piorum salutem concedentur. Quare non adeo procul recedes, si sensu *accommodato* addideris : Deum etiam Apostolis scidisse flumina et maria, cum illis totum mundum reddiderit pervium et praedicationi patefecerit (cf. *Cyr. Theoph. Rib. Lap. Men.*).

e) Dei iudicium cum timore ac spe exspectandum 3, 16-19

Haec visio et divini iudicii imago exhibita sacro quodam terrore mentem prophetae percellit; neque id mirum; si enim iam omnis manifestatio supernaturalis animo hominis non sine sacro quodam timore illabitur, immo quandoque prae nimia reverentia suspicionem mortis secum affert (Gen. 32, 30. Is. 6, 5 hebr.), tam terribilis iudicii denuntiatio, quae rerum omnium commotione adumbratur (v. 8 - 11), vatis animum et corpus magno horrore perfudisse certo censenda est. Unde v. 16 « *Audivi et conturbatus est venter meus, a voce contremuerunt labia mea* » ; — viscera *contremiscunt* (hebr.); totus cohorruit ita, ut animi intima commotio, qua expavit, corporis quoque tremore et quasi concussione panderetur; *ad vocem tinniunt labia mea* (hebr.) i. e. labia tremunt et tremula sonum edunt, crepitant; dictum est hyperbolice. Ceterum hoc epilogo vatem ad v. 1 redire monent : « versiculus iste idem sonat eandemque animi rationem renovat, quam in initio praemisit; exposuit, quid audiens timuisset et tunc demum quasi per illam bene ordinatae orationis partem quam rhetores complexionem vocant, ad primam propositionem redit » (*Rup.* cf. *Lap. Gord. Calm.*). Insuper prophetae non sunt sine miseratione, verum etiam hostium casus tristes et atroces magno compassionis sensu prosequuntur (cf. Is. 15, 5; 16, 9. 11. *Lap.*); hoc autem loco eo magis est pavoris occasio, quia etiam populo Dei magnae imminent calamitates (cf. 1, 6 seq. 3, 17). Et hisce se praecipuo tremore concuti vates profitetur secundum textum hebr. etiam in sequentibus : *invadit putredo ossa mea et subter me contremisco, quod tacite feram diem angustiarum, quando ascendet ad populum qui eum aggredietur* i. e. contabesco prae timore : « vel ossa mea quibus nihil durius in corpore, contabuerunt prae pavore ac moerore et *subter me* i. e. tam vehementer pavore concussus sum, ut solum ipsum meis sub pedibus moveri et contremiscere videatur; vel ita contremui, ut haud satis firmo pede ipsi solo insistam » (*Muis*), vel « ac si vestigiis meis firmiter haerere prae tremore non possem » (*Ag.*); idque propterea, quia imminet dies calamitatis, quem vaticinio sibi habet propositum et qui certo venturus est nulla iam deprecatione avertendus (cf. 2, 3). Hunc

igitur tacite ferre, silere, quiescere iubetur vates eo ipso, quia vaticinium ita effertur, ut nullum iam praesto sit eius mali remedium. Id vero praeprimis vatis (qui opponere murum debet pro domo Israel, Ez. 13, 5) animum pulsat, quod angustias venturas impotens quasi et inermis a populo depellere iam non potest.— Hebr. rite exponit ex veteribus *Muis*, et fere *Ag. Mar*.

Ad eum sensum, quantum fieri poterit, etiam *vulg.* verba erunt explicanda : « *ingrediatur putredo in ossibus meis et subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis, ut ascendam ad populum accinctum nostrum* » ; — « putredinem in ossa ingressam illam anxietatem animi et sollicitudinem ex illo auditu terribili accipimus, qua sollicitudine, tamquam verme ligni medullas exedente, tabefacta ossa sua dicit » (*Ag.*). Versionem suam ita enarrat *S. Hier.* : « libenter patior quod passus est Iob ; non solum carnes meas, sed medullas quoque ossium cupio tabefieri et stratum meum putredine corporis et innumeris scatere vermibus, ut postquam hic pro peccatis meis haec sustinuero, requiescam in die amara... et ascendam ad populum fortem, bellatorem atque pugnacem... *nostrum* audacter loquitur, ut iuxta Abraham, Isaac et Iacob et ipse dormiat in senectute bona plenus dierum et apponatur ad patres suos » ; sed statim aliam quoque subdit explicationem « ex persona populi » : libenter se subiturum captivitatem et quidquid ultimae futurum sit necessitatis, tantum ut eo tempore requiescat, quo Deus sit maledicturus sceptris imperii, ut postea cum Zorobabel et Iesu filio Iosedec et Esra et Nehemia in terram repromissionis revertatur.

Alii verba haec *vulg.* ita accipiunt, ut vates mortem a Deo efflagitet, ne videat populi captivitatem, sed « in suavi mortis somno quiescens ascendat et transeat ad coetum... virorum sanctorum ac fortium e populo, qui olim pro gente sua armis accincti insignes de hostibus victorias retulerunt » (*Lap.* sim. *Tir. Gord.*). Aliter *Sanct.* : « si tabes adveniat, quae corpus attenuet et exulceret, ita ut totus vermibus scateam, feram non solum patienti, sed etiam libenti animo, dum a tribulatione futura sit requies ac levatio et a servili timidaque fortuna eo deducar, ut accingar gladio ; quod conditionis est liberalis et ingenuae ».

Proxime ad sensum textus hebr. accedit *Syrus* : « invasit tremor ossa mea et genua mea tremuerunt, quia annuntiavit et ostendit mihi diem calamitatis, quae veniet super populum ». Versionem LXX ita affert *S. Hier.* : « custodivi et extimuit venter meus a voce orationis labiorum meorum ; et ingressus est tremor in ossa mea et subter me conturbata est fortitudo mea ; — sive ut alibi scriptum reperimus ἡ ἕξις μου, quod nos possumus dicere *habitudo mea* ; requiescam in die tribulationis meae, ut ascendam ad populum peregrinationis meae ». Haec versio supponit, LXX legisse שׁמרתי pro שׁמעתי ; eos צללו explicasse ad modum verbi aram. צלא *adorare* ve צלה, צלותא *oratio* ; et demum eos legisse in ultima voce ר pro ד i. e. יגורני qui pe-

regrinatur apud me pro *mas.* יגידנו. *Chald.* totum versum a Babyloniis dici exhibet; etiam ipse, ut LXX in ultima voce legit ר, uti etiam aliqui codices hebr. habent apud *de Rossi* (Scholia critica seu supplementa p. 91). *S. Hier.* legisse aliquibus videtur הגורנו a הגר *cingere* (*de Rossi*), et cum vertat *scateat* etiam pro *mas.* אֶרְגַּז legit ירגז. — Unde isto quoque locus nobis testimonio est, veteres eundem textum hebr. coram se habuisse, quem nos habemus, paucissimis illis exceptis, quae ex literarum ductu simillimo facile explicantur. Immo omnino dubitare licet, num *S. Hier.* prout *de Rossi* censet, הגר legerit; nam Gen. 49, 19 verba hebr. גָּד גְּדוּד יְגוּדֶנּוּ vertit: *Gad accinctus praeliabitur* וְהוּא יָגֻד *et ipse accingetur*; unde גדד *accingendi* significatione accepit; et ita versio eius facilius explicatur retenta lectione *mas.* Sed sensum verbi גוד vel גדד neutro loco rite expressit; is est *insistere, urgere*; vide nomen adeo frequens גְּדוּד *turma, agmen quod irruit* (cf. Os. 7, 1 *latrunculus*).

Diem tribulationis quem hostis populo est allaturus, imagine regionis sterilis et fame pressae proponit propheta, sicuti saepe faustus ac felix rerum status agrorum fertilitate et regionis amoenitate depingitur; adest enim arcta inter hominem et res creatas necessitudo, qua hominis et bona et mala in rerum creatarum conditionem redundant (cf. Gen. 3, 15, 6, 7. Lev. 26. Os. 2, 21. Ioel 3, 18. Am. 9, 13. Rom. 8, 21 etc.). Atque id eo magis nostro loco, cum invasione hostili regionis amoenitas sit conculcanda; v. 17 « *ficus enim non florebit et non erit germen in vineis; mentietur opus olivae et arva non afferent cibum; abscindetur de ovili pecus et non erit armentum in praesepibus* »; — i. e. tanta erit vastatio et regionis uberrimae destructio, ut terra illa melle ac lacte fluens iam deserti instar sit reputanda; « percenset autem illa quae palaestino solo familiaria sunt, ficum, vitem, olivam, quarum saepe in Scriptura s. nomen auditur » (*Sanct.*); *mentietur* i. e. « familiari locutione Hebraei (cf. Is. 58, 11. Ier. 3, 23. Os. 9, 2) et Latini vineam, agrum, collem mendaces nuncupant, ubi agricolae aut coloni spem fallunt » (*Calm.*). Et tanta est herbarum graminumque penuria adeoque vastata regio olim abundantissima, ut *deficiat e caulis pecus* (hebr.) et iam nullum supersit armentum in stabulis. Multo igitur maiorem fore indicat calamitatem a Chaldaeis afferendam, quam illam Assyriorum, in qua saltem, ut ait Is. 7, 21: « nutriet homo vaccam boum et duas oves ». Chaldaei enim civitate theocratica destructa populum in captivitatem abducent. Quare « in testimonium malorum futurorum » (*Barh.*) tam atrox rerum omnium defectus describitur, ut « malum ex effectu » quantum sit cognoscatur (*Gord.*). Neque opus est cum plerisque interpretibus ad *mysticam* explicationem (cf. *Hier. Cyr. Theod. Theoph. Haim. Rup. Alb. Rib. Ag. Sa, Tir.*) de bonorum spiritualium penuria vel synagogae pravitate etc. confugere; neque ea de Babylonia a Persis capta (*Lap. Men.*), sed de Palaestinae regione dicta sunt (cf. *Sanct. Mar. Muis*).

Si haec iusti timoris argumenta sunt et materies, cur iudicium Dei cum pavore exspectetur, tamen minime desunt illa, quibus animus vere pius magna spe et consolatione in Deum erigatur et firma fiducia meliora post calamitatem tempora sibi promittat. Ad haec vates iam laetis vocibus transit et quis sit rerum omnium pro Dei cultoribus exitus prosper atque festivus, sollemni modo cantat v. 18 « *ego autem in Domino gaudebo et exsultabo in Deo Iesu meo* » ; — verbum hebr. עלז maximum gaudium, *iubilationem* laetumque clamorem, גיל *exsultationem*, tripudium designat ; utrumque in hebr. nota illa exhortationis sui ipsius effertur, ita ut ad maximam animi laetitiam et ad publicam atque sollemnem eius significationem vates in sua persona pios omnes provocet. Dum omnia nutant, corruunt, tenebris obducta sunt, stabilis et immobilis adest suis *Iahve* qui ipso iam nomine immobilem fidelitatem et promissionum adimplendarum pignus prae se fert (cf. Os. 2, 22 ; 12, 5). Quare non in hominum auxilio, sed in uno *Iahve* esse sperandum profitetur vates; immo non solum sperandum, verum mediis in tribulationibus *esse iubilandum*, esse laetitia ingenti exsultandum *in Deo salutis meae* (hebr.) scil. qui est sponsor et auctor salutis meae et qui talem se ubique praestare vult, dummodo homo ab hoc salutis fonte non recesserit. Hebr. יֶשַׁע *salus* concrete cum quadam allusione ad *Iesu* nominis idem etymon liberius expressit *S. Hier.*, uti alias quoque *salvatorem, iustum* pro salute, iustitia ponit (cf. Is. 45, 8 ; 51, 5 ; 62, 2) ; « Iesus enim *salvator*, sive *salutaris* interpretatur, sed interpres maluit ipsum hebraicum verbum ponere, quia dulce et plenum gaudii nomen *Iesu* semper delectat audire », uti aeque pie ac suaviter dicit *Haimo*; et eam nominis Iesu expressionem meliorem vocat ac dulciorem interpretationem *S. Augustinus* (Civ. D. 18, 32. *M.* 41, 591). Ceterum *S. Hier.* non verba prophetae sed suum hoc loco posuisse interpretamentum quod ad veram textus mutationem accedat, neminem poterit fugere; quare inepte quis ex *hac* versione S. Hier. argumentum peteret *biblicum* pro divina Messiae natura.

Hunc *Deum salutis* ulterius celebrat et quanam in re salutem proxime contineri confidat, pluribus explicat v. 19 « *Deus Dominus fortitudo mea et ponet pedes meos quasi cervorum et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem* » ; — hebr. *Iahve*, *Dominus*, *fortitudo mea*: laeta animi exsultatione plures titulos Domini profert; quia quo maior imminet rerum adversa fortuna, eo magis est ad hominum mentes accommodatum, ut pluribus se argumentis confortent, ut quasi densioribus tenebris maiora ac plura lumina affundant. *Pedes cervorum* cf. Ps. 17, 34; faciet « celeres ad fugienda mala et ad transsilienda impedimenta quae prospero ac felici statui obiici possent » (*Men.*) ; vel ut *Sanct.* rem perpendit respiciens 1, 8: « contra horum velocitatem et

impetum data est prophetae ac populo, qui se totum divinae tutelae concredidit, cervorum celeritas, quam non assequitur Chaldaeorum cursus ; et ea etiam parte melior, quod ad alta etiam montium iuga per scopulos et salebras enititur, qua aspirare non potest equorum quantacumque pernicitas ». A persequentium periculo eos eripiet Deus et *super excelsa mea* i. e. ad regiones et terram promissam eos reducet, *et super excelsa mea incedere me faciet* (hebr.); id quod dicitur ad normam cantici Moysis, magni illius Dei beneficiorum libri : « constituet eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra oleumque de saxo durissimo » (Deut. 32, 13 ; cf. *Ag. Muis*).

Et secundum *vulg.* Deus, praeclarus adversariorum victor atque triumphator praedam hostibus ereptam i. e. populum electum suis in sedibus collocavit, in terra bona, in locis excelsis i. e. tutis atque munitis, dum illi theocratiae instaurationem festivis carminibus et laeto cantu gratiarum actionis et laudis celebrant. « Ea porro laetitia populus e Babylonia revertetur, ut sicut in exitu e patria, quam longa est via, querelis et planctu resonabat, sic etiam in reditu tota iubilantium choris et quodam quasi hymenaeo plausu compleatur » (*Sanct.*). Ita prophetia, quae a querela et disceptatione animi exacerbati inceperat (1, 2), in laudis iubilo et laetissima spe finitur (cf. *S. Hier. Rup.*). Sane praeclarum documentum, quo uberrima consolationis argumenta pro rebus asperis concluduntur. Neque id praetereundum est, adesse in hoc carmine insigne monumentum, quomodo sancti veteris Testamenti mediis in tribulationibus non tantum patientiam et spem retinuerint, sed in Domino Deo suo dulci caritatis affectu exsultaverint quoque et delectati fuerint, illius iam perfectionis quasi aemulatores, quam in novo Testamento consummatam admiramur, dum S. Paulum clamantem audimus : « superabundo gaudio in omni tribulatione » (2 Cor. 7, 4), dum tot sanctos *amore crucis* flagrantes veneramur.

Qui carmen hoc non de vatis tempore ac necessitate, sed de Christi mysteriis exponunt, *excelsa* coelum interpretantur coelestemque beatitudinis patriam (cf. *Hier. Rib. Ians. Sa*) vel vitam humana conversatione ac carnali negotio superiorem et coelestem (cf. *Cyr. Theod.*).

Ultima verba inscriptionem referunt, quae in aliquorum psalmorum titulis legitur ; cf. Ps. 4. 6. 54. 55. 67. 76 (hebr.). Proinde eodem, quo ibi, modo explicari debent. Fertur autem explicatio haud improbabilis : *praefecto cantus ad neginoth mea*, ad instrumenta pulsatilia mea i. e. ei committo hoc carmen, ut cantu liturgico ad sonum instrumentorum et concentum musicum (quem vates ipse composuit et ordinavit ?) decantetur. Hac igitur inscriptione carmen ad usum sacrum esse destinatum videtur designari. Atque ea verba iam non ad

canticum pertinere, sed explicanda esse, ut in psalmis, bene monent *Sanct. Mar. Muis*. Veteres latini multi legunt : deducet me *victori* in psalmis canentem (cf. *Haim. Ag. Rib.*). et cum *S. Hier.* in sua psalmorum versione semper transferat *victori*, ubi LXX εἰς τέλος, *vulg. in finem* habent, haec lectio *victori* etiam hoc loco cum cod. amiatino ponenda erit. LXX praebent τοῦ νικῆσαι ἐν τῇ ᾠδῇ αὐτοῦ· proinde legerunt לנצח idque ex aram. נצח *vincere* explicarunt. *Syrus* vertit : ut canam laudes eius. *Chald.* : coram eo ego fides pulso cum hymno meo. Sed nota, *Chald.* totum hoc carmen nimia libertate et saepe paraphrasi a re aliena prosequi. Qui Habacuc levitam fuisse volunt [1], sacrae musicae in templo deditum, ex suffixo primae pers. argumentum depromunt. Sed suffixum primae pers. solum adest in textu *mas.* et apud *Chald.*, minime vero apud LXX. *S. Hier. Syrum.* Immo sunt, qui illud י pro paragogico habeant (cf. *de Rossi*, Scholia p. 91).

Carmen hoc versibus compnitur heptasyllabis. Id demonstrarunt *Gietmann* et *Bickell.* Et prior quidem (cf. de re metrica Hebraeorum ; Friburgi Brisg. 1880 p. 77) integrum carmen 63 versibus heptasyllabis constans ita secundum metri rationem describit, ut a textu *mas.* recedat nullibi et solam pronuntiandi rationem in quinque vocibus leviter mutet. Quam parum hoc sit in tanta versuum multitudine per se patet. Mutationes quas facit hae sunt : v. 12 legit, ut iustus syllabarum numerus exsistat, *gevajim* pro usitato gojim ; verum eo in loco satius fuerat non formam inducere inusitatam, sed cum LXX et *Chald.* legere *in ira tua*, beappkha tadusch gojim (ita *Bickell* [2], et sic versus optime consistit). Dein v. 15 legit *Gietmann* pro *mas.* rabbim formam longiorem *rebabim*, de quibus formis vide quae disseruit l. c. p. 21 - 25. *Bickell* alia ratione et, ut videtur, meliore, unius syllabae defectum supplet : uti enim in priore versus parte dicitur ; viam fecisti *in* mari, ita in altera quoque parte habetur in *vulg.* apud *Syrum* et *Chald.* : *in* luto aquarum multarum ; si ergo *in* etiam in textu hebr. rescripseris (cum *S. Hier. Syro, Chald.*) optime iterum versus adest heptasyllabus : bechomer majim rabbim. Tertio loco mutat v. 16 legens pro vetachtaj formam pleniorem quam exstitisse opinatur vetachatajja ; etiam hunc defectum alia ratione sanat *Bickell* ; provocat enim ad textum graecum καὶ ὑποκάτωθέν μου ἐταράχθη ἡ ἕξις μου· unde rescribit versum : v'tachtaj ergaz, aschuri, et rationem affert : duarum vocum fere identicarum priorem omisit textus *mas.*, alteram (i. e. relativum אשׁר) versio graeca. Etiam textus *syr.* hanc partem exhibet pleniorem : et genua mea tremuerunt ; quare suppletio aliqua ex versione graeca et syriaca revera suaderi videtur. Quarto loco *Gietmann* v. 17 bis legit formam pleniorem : tepa-

---

1. Cf. *Keil, Zschokke* (historia s. A. T. 2 ed. pag. 275), *Reinke* (Hab. p. 5. 170), *Trochon.* Quin immo *Hitz.* vatem in carminibus musicis componendis multum operis posuisse vult ; vertit enim : cantori carminum meorum musicorum (Musikstücke). At בְּ habet significationem vel instrumenti vel concomitantiae ; nunquam vero pro genitivo usurpatur ; accedit quod dubitari potest an נְגִינָה sit « Musikstück » (pièce de musique) ; occurrit enim solum in notione *cantus fidium, instrumenti pulsatilis, cantionis, carminis irrisorii*, cf. *Ges.* Thes. p. 848 ; *Hupfeld-Riehm* (Psalmen, 2 ed. I p. 120) ; *Keil, Reinke, Trochon.*

2. In opere : Carmina vet. Testamenti metrice, p. 213.

rach (pro tiphrach)et ma' sajja (pro ma' se); ultimum evitat *Bickell* interponens articulum *haz*-zajit pro simplice zajit. Ponitur סֶלָה post versus 7; dein iterum post 21; tertio post 13. Si carmen strophis listinguere placet, has cum *Gietmann* assignare poteris; quinque septenis versibus constantes, quas excipit una sex consistens versibus heptasyllabis (v. 12. 13); sequitur una quinque versuum (v. 14. 15), duae senis constantes (v. 16. 17) et concluditur stropha quinque versuum (v. 18).

Cum igitur sine ulla *textus* mutatione carmen istud versibus heptasyllabis constare possit ostendi, dum idem vel simile quid frustra aliis in locis tentaveris, cur eam metri rationem textui revera inesse negabis?

Plures quidem mutationes *Bickell* inducit; at probe notandum est iis qui metricam rationem apud Hebraeos non adfuisse apud se statuunt et pro hac sua assertione mutationes a *Bickell* factas triumphatorum in modum ostentant, eas mutationes *non* proficisci *ex ratione metri* quod invito textui vi quadam sit impositum, verum partim ex eo, quia *Bickell* strophis aequalibus carmen voluit distingui, et partim ex causis a metro et strophis prorsus alienis, quia scil. hanc vel illam locutionem vel desiderandam esse vel abiiciendam vel mutandam e sensus concinnitate et apta rerum connexione sibi persuaserat. Ceterum adverti debet, plures mutationes a *Bickell* invectas in versione graeca fundamentum habere non spernendum. — In carmine describendo undecim statuit *Bickell* strophas senis versibus heptasyllabis constantes. Mutationes quas inducit praecipue hae sunt: in prima stropha versum addit ante illud *cum iratus fueris*: cum turbaretur super me anima mea (cf. Ps. 6, 4; 143, 4); v. 4 omittit *splendor eius ut lux erit*; nam « additamentum nihil prorsus significaret; nam splendor semper sicut lux est et vox *or* non nisi arbitrarie de sole intelligitur »; sed haec ratio rem non dirimit; sicut enim ad emphasin habendam synonyma iunguntur v. g. *tenebrae et umbra mortis*, ita cum varius sit fulgor et splendor vel ignis vel stellarum etc., nihil obstat quominus splendor lucis nomine et similitudine designetur tamquam gratus, iucundus, copia lucis praestans; ceterum cf. Prov. 4, 18. Esth. 10, 6; 11, 11. Alteram v. 4 partem legit: vesam chibbajon uzzo i. e. et (nihilominus adhuc) tegumento se involvit maiestas eius. In v. 7 legit Cusch pro *mas*. Cuschan; in v. 9 inserit verba aliqua: *stillant nubes ad* mandatum (*omer*); in v. 11 legi vult: *obscuravit lucem suam* sol et luna stetit in habitaculo; in v. 14 inserit: exsultatio eorum *sicut leonis*, ut devorent pauperem; v. 19 effert: Iahve, *Deus meus, petra mea et ipse* Dominator meus, fortitudo mea; ita ex uno versiculo heptasyllabo duos efficiens, ut ultima quoque stropha sex versibus heptasyllabis componatur.

SOPHONIAS.

PROLEGOMENA

De prophetae tempore et libro.

Manasses rex captivitatis et carceris miseriis edoctus abiecta idololatria ad Deum reversus etiam populum ad Dei cultum reducere conatus erat (2 Par. 33, 15. 16). Verum qui in regno successit, Amon, filius eius, non patris pietatem, at priorem impietatem non solum aemulatus est sed etiam longe superavit : *fecit malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater eius, et cunctis idolis quae Manasses fuerat fabricatus, immolavit atque servivit; et non est reveritus faciem Domini, sicut reveritus est Manasses pater eius, et multo maiora deliquit* (l. c. 22. 23. cf. 4 Reg. 21, 20 - 22). Amon solum quidem per duos annos regnavit; at sane tempus hoc satis superque erat ad populi idololatriae ex inveterata consuetudine addicti perversionem maxime augendam. Iosias filius eius, octo annorum puer, regnum capessivit. In tam tenera et imbecilli regis aetate idololatriae vitiorumque colluvies impune grassabatur ordinesque omnes et principes et sacerdotes pessimis moribus vivebant. Verum mox Iosias, pius impii patris filius, tamquam veri nominis rex theocraticus officio fungi coepit; primum ipse Dei cultui se sincere addixit et cum aetate, experientia rerum et auctoritate iam valeret, idololatriae et sceleribus animo invicto bellum indixit : *mundavit Iudam et Ierusalem ab excelsis et lucis simulacrisque et sculptilibus* (2 Par. 34, 3) ; ubique arae Baalim et cetera idololatriae et spurcitiarum instrumenta et fomenta destruuntur, neque tantum intra Iudaeae fines, sed etiam *in urbibus Manasse et Ephraim et Simeon usque Nephthali* (l. c. 6). Octavo enim regni sui anno iuvenis rex coepit quaerere Deum patris sui David et duodecimo anno mundavit Iudam et Ierusalem et alias regiones ; tertio decimo anno a Ieremia propheta, qui eo tempore ad munus propheticum vocabatur, in ea cultus morumque instauratione

auxilium nactus est sane potentissimum; anno octavo decimo libro legis invento foedus cum Domino sollemni modo innovatur cunctaque ad legis normam rite disponuntur (cf. 2 Par. 34, 8 - 35, 19. 4 Reg. 22, 3 - 23, 24. Ier. 11). Optimi sane regis pii conatus. Sed quis inveteratam Iudaeorum impietatem vinceret? Parum emendationis esse subsecutum, et Ieremiae continuae querelae et accusationes testantur et libri produnt historici, qui furorem Domini non esse aversum diserte narrant et firmum permansisse Dei consilium: *etiam Iudam auferam a facie mea et proiiciam civitatem hanc, quam elegi, Ierusalem, et domum, de qua dixi: erit nomen meum ibi* (4 Reg. 23, 27).

In diebus Iosiae regis surrexit Sophonias propheta, צְפַנְיָה quem Iahve abscondidit i. e. tuitus est [1] — quem Ps. - Epiphanius aliique e tribu Simeonis prognatum scribunt (cf. *M.* 43, 412).

Cum 1, 1 inter maiores eius חִזְקִיָּה *Ezecias* connumeretur, aliqui eum regio sanguine ab Ezechia descendere opinati sunt (cf. *Hitz. Keil, Zschokke, Vigouroux*). Verum gratuito id adstruitur. Sollemne enim est in libris historicis atque etiam propheticis, ut ii qui reges fuerint etiam nomine apposito designentur; id quod eo magis fieri debuit (et iure supponitur futurum fuisse, ut fieret), si quando nomen ipsum pluribus commune erat. Iam eodem Ezechiae nomine complures viri privati inveniuntur designari (cf. 1 Par. 3, 23. Neh. 7, 21). Praeterea Sophoniam ad genus regium ne ipse Ps.-Epiphanius quidem retulit, qui in fabulis afferendis minime est ceteroquin parcus; quare ex eius ea in re silentio omnino concludi licet, veteres in illam opinionem non incidisse, quamvis Ezechiae nomen ad illam homines curiosos facile invitaret. Unde eo tutius tamquam figmentum otiosorum rabbinorum contemnitur, uti iure contempserunt *Rib. a Castro, Lap. Calm. Reinke, Schegg, Trochon.*

Quaeri etiam solet, quo tempore regni Iosiae muneri prophetico vacaverit Sophonias vel ad quam epocham liber eius potissimum sit referendus. Quae res cum ex internis quae dicuntur libri indiciis solum explorari ac diiudicari possit neque ea certi aliquid et indubitati prodant, in varias sententias abeunt viri docti. Primos regni Iosiae annos ei assignat *Schegg* (i. e. inter Iosiae annum 1 et 15), quia graves prophetae denuntiationes in tempus posterius, quippe quo morum cultusque instauratio perficeretur, iam non conveniant. Eandem sententiam propugnant

---

1. Ita iure explicant *Ges.* Thes. s. v. *Schegg, Keil, Reinke, Trochon.* Variam explanationem proponit S. *Hier.*; in prologo ad Ioel: κεκρυμμένος κυρίου *arcanus Domini*: ad cap. 1 Soph. vero scribit: «nomen Sophoniae alii *speculam*, alii *arcanum Domini* transtulerunt; sive igitur specula, sive absconditum Domini interpretetur, utrumque prophetae convenit». Ad quod cf. צָפָה *speculari* et Ez. 3, 17; 33, 7; et צָפַן *abscondere*. Apud LXX Σοφονίας scribitur.

Ewald, Reinke; et munus saltem ante annum 18 Iosiae iniisse etiam *Calm.* ex eo colligendum esse censet, quod scelera et licentiam in magistratibus Iuda simul et idololatriam ubique regnantem acrioribus verbis reprehendit. Idem *Kaulen* quoque censet et censuit ante eos omnes *Rib.* Verum recte contra eum observavit iam *Lap.* : « haec ratio non concludit certo; nam Ieremias coepit prophetare anno 13 Iosiae et perrexit continue sub eo detonare contra idola, quia licet ea publice a Iosia essent abolita, privatim tamen adhuc a multis retinebantur et colebantur ». Alii demum Sophoniam post annum 18 Iosiae vaticinatum esse censent, quia non idola sed *reliquias* idolorum delendas esse dicat i. e. ipsa idololatria generatim sublata solum adesse innuat quasdam cultus superstitiosi particulas (cf. 1, 4) et quia veri Dei cultum iam exerceri asserat (cf. 1, 5; 3, 4) — unde librum esse compositum censent purgatione templi per Iosiam iam peracta. Ita *Keil.* Neque tamen haec rem evincunt. Nam si Deus minatur, se omnia vestigia idololatriae funditus esse eversurum, minime sequitur, solum exstare vestigia, sed idololatriam esse radicitus et stirpitus evertendam praedicit. Finge enim dici de urbe : ipsas quoque reliquias tuas et ruinas dissipabo; num ex his minis concludes, de ea urbe iam non exsistere nisi reliquias? Minime sane. Neque maioris ponderis est alterum. Nunquam enim idololatria ita praevaluit et ita omnes omniaque occupavit, ut non simul aliquo modo etiam veri Dei cultus exerceretur. Praeterea liber propheticus non unam aliquam exhibet concionem, sed ea quae propheta saepe et variis occasionibus populo proposuit, ad breve argumentum redacta nobis refert. Quare nihil obstat, quominus dicamus, Sophoniam et ante morum instaurationem praedicasse et post eam, vel eum regi opitulatum esse et in praeparanda et in exsequenda illa reformatione et demum summam concionum, minarum, promissionum hoc suo comprehendisse libello.

Hac consideratione adhibita apparet indicia illa quae aliqui tamquam omnino certa ex libello colligi posse asserunt, tamen merito in dubium vocari. Adde quod alii alia ut certissima deprehendi dicant. Maxima enim cum certitudine *Trochon* scribit : « à notre avis, il a prophétisé dans la période de réforme inaugurée par le roi de Juda. Il nous en donne des preuves convaincantes. Le culte public de Jéhovah existait alors (3, 4. 5). Mais le culte de Baal n'avait pas encore complètement disparu; il en était de même du culte des astres et de quelques autres pratiques idolâtriques (1, 4. 5). D'après 1, 4 comparé à 3, 4 il y avait encore des prêtres des idoles à côté des prêtres de Jéhovah. La réforme était donc commençée, mais n'était pas encore complète. Si nous trouvons suffisamment précis ces renseignements tirés de l'œuvre du prophète, c'est entre la douzième et la dix-huitième année du règne de Josias que nous placerons l'époque de son ministère ». — Sed alii in iisdem indicia deprehendunt reformationis

cultus morumque a Iosia nondum inceptae. Ita v. g. *Reuss* contendit : « les désordres auxquels il essaya de mettre fin par des mesures très énergiques sont dépeints ici comme existant encore dans toute leur étendue et les membres mêmes de la famille royale sont accusés (1, 8) d'y prendre part..... et ç'aurait été une injustice de sa part, si en formulant ses accusations, il avait passé sous silence les nobles efforts faits par le roi pour amener un état de choses conforme à ses propres désirs. Nous croyons plutôt que ce silence, combiné avec les reproches qu'il adresse aux princes, nous permet de songer de préférence à une époque où le roi était encore mineur et où le gouvernement a dû être entre les mains de ses parents ». Eidem sententiae etiam subscribit *Vigouroux* (Manuel biblique, II p. 651). Alii demum tot inveniunt in libello Sophoniae allusiones quae fiant ad Deuteronomium et modum loquendi qui supponat populum eas intelligere ; unde sermones hos habitos fuisse concludunt libro legis in templo invento, de quo 3 Reg. 22, 10 seq. anno decimo octavo regis Iosiae (cf. *Trochon* p. 348 seq.) — Alia quae prolata sunt consulto missa facio.

Tribus partibus libellus apte dividitur ; in prima minatur vates iudicium orbi et urbi ; in altera adhortatur ad poenitentiam et timorem Dei exemplis iudiciorum exhibitis, quae Deus in gentes exteras et suum populum est exerciturus ; in tertia demum instaurationem messianicam promittit, quae iudiciis illis in altera parte descriptis praeparatur.

Sermonem orditur propheta quasi ex abrupto : iudicium instare omnibus et speciatim urbi Ierusalem ; tres recenset ordines, qui tamquam victimae irae Domini sint mactandi : principes scil. primoresve, qui mores gentilium aemulentur aliosque opprimant ; mercatores usuris inhiantes ; demum omnes, qui vana fiducia abripiuntur genioque indulgent. Ipsum iudicii diem proximum esse dicit et valde terribilem, ita ut nemo effugere neque opibus terrenis salvari queat (cp. 1).

Iudicii descriptioni apte subiungitur adhortatio, quae praeprimis ad pios dirigitur, quo magis virtuti dent operam, ut divina protectione digni inveniantur. Haec autem adhortatio fulcitur longiore iudiciorum divinorum enumeratione, quae fient in Philisthaeos, Moabitas et Ammonitas, Aethiopes, Assyrios et in ipsam quoque urbem Ierusalem, in qua principes, iudices, prophetae iustas dabunt poenas. Hisce vero iudiciis id a Deo efficietur, ut Dei adoratio et cultus veri propagatio praeparetur. Unde calamitatum fine proposito in altera parte (2-3, 8), via sternitur ad tertiam (3, 9-20), qua instauratio messianica describitur ; fore scil. cultum Dei universalem ; populum rediturum esse ex dispersione deleta iniquitate, sanctum, iam non gloriae terrenae cupidum, sed humilem, in Deo sperantem, pace securum ; adfore gaudium et exsultationem, Dei in populo beneplacitum ; oppressores iri destructum, Dei populum fore gloria et honore insignem.

De dicendi genere Sophoniae ita censet *Zschokke* (l. c. 277) : « quamvis dictio Sophoniae praestantiam Isaiae et Habacuc non exaequet, tamen elegantia et vigore non caret, quemadmodum testatur frequens paronomasiarum usus. Lingua adhuc pura hebraica est, a chaldaismis immunis. Retractat quidem prophetas priores [1], nihilominus tamen sui iuris est ». Similiter iudicat *Vigouroux* (Manuel bibl. II p. 651) : « le style de Sophonie est pur, facile, vif, mais il manque un peu d'originalité ; il est plein de réminiscences et d'emprunts aux anciens prophètes ».

1. Cf. 1, 7 cum Is. 34, 16 ; 13, 3 cum Hab. 2, 20 — 1, 14. 15 cum Ioel 2, 1. 2 ; 1, 16 cum Amos 2, 2 ; praeprimis tamen Deuteronomium respiciebat. Plura affert *Vigouroux* l. c.

LIBER SOPHONIAE

PRIMA PARS CAP. 1.

Arg. — Minatur Deus iudicium universale, quo omnia perimat; in qua castigatione praeprimis Iudam et Ierusalem propter variae idololatriae scelus est percussurus (1, 2-6). Iam qualis futura sit castigatio, describitur : erit, quasi victimarum caesio; principes et primores, qui gentilium mores aemulantur aliosque opprimunt poenas dabunt; ubique ululatus et planctus erit; commercia cessabunt, mercatores peribunt; illusores et qui suis opibus confisi voluptatibus indulserunt punientur et spoliabuntur (1, 7-13). Talis autem punitio et proxima est et terrore plena; est enim dies ultionis Domini quam maxime terribilis; homines horrore obstupefient et caede creberrima prosternentur, neque ullum vindictae divinae effugiendae piaculum praesto iis erit in opibus (1, 14-18).

Titulus et inscriptio : « *Verbum Domini quod factum est ad Sophoniam, filium Chusi, filii Godoliae, filii Amariae, filii Ezeciae, in diebus Iosiae filii Amon, regis Iudae* » ; — i. e. « ministrum se esse docet huius prophetiae, non auctorem, cum dicit *verbum Domini* » (*Rib.*). Id *factum* est i. e. revelatio ei facta, sermo Domini ad prophetam factus est Deo videlicet mentem eius prophetico lumine illustrante (*Ians.*). De Sophonia vide Proleg. Quod longior quaedam maiorum series effertur, aliqui (cf. *Reinke*) nobilitati generis adscribunt — οὐκ ἄσημος ὢν (Σοφονίας) τὸ κατὰ σάρκα γένος iam *S. Cyr.* adnotat — sed certa ratio reddi nequit. Id unum notari iuvat, ex tali varietate innui, non unum esse omnium titulorum auctorem, quippe qui inscriptiones omnes ad unam eandemque fere normam exegisset, sed potius titulos singulos a singulis prophetis esse libris praepositos censeri posse; unde facile explicatur varietas illa. Plura genealogiae membra habes apud Zachariam et praeprimis apud Baruch (uti *Sanct.* advertit ad Zach. 1, 1 [1]).

1. Unde *Schegg* perperam miratur, neminem interpretum longiorem apud Baruch seriem adnotasse.

Meminit hoc loco quoque *S. Hier.* traditionis hebraeae, cuiuscumque prophetae pater aut avus ponatur in titulo, ipsos quoque prophetas fuisse; neque prorsus eam reiicere videtur. Pergit enim : « hoc si verum est, Sophonias propheta . . . nomine (canone? — ut alia fert lectio —), ut ita dicam prophetico et gloriosa maiorum suorum stirpe generatus est; habuit enim patrem Chusi, avum Godoliam, proavum Amariam, atavum Ezechiam : et talem quadrigam ipse velut extremus auriga complevit ». Sed hanc traditionem esse ad commenta rabbinica amandandam, quamvis aliqui eam tueantur, quos vide apud *Rib.* in proleg. 4, apud *Sanct.* (in Zach 1, 1), plerique iure censent.

a) Iudicium orbis et urbis 1, 2-6.

Ab universali iudicio, quo Deus orbem terrarum est puniturus, sermo propheticus quasi ex abrupto orditur. Sed cum ultionis capiendae mentio, qua Deus populos est ad iudicium vocaturus, iam saepius et apud prophetas facta sit et in psalmis (cf. Ioel 2, 31; 3, 14. Am. 1, 2-2, 3. Ps. 96, 7 etc.), nexus facile perspicitur et Sophoniae auditoribus certe familiaris erat. Statim iudicium cum emphasi tamquam omnium exterminium annuntiatur v. 2 « *Congregans congregabo omnia a facie terrae, dicit Dominus* » ; — i. e. omnia auferentur [1], delebuntur, consumentur interitu, ut iam *S. Hier.* et reliqui explicant. Verbi eiusdem repetitione vel exaggeratio vel vehementior significatio exprimi solet (*Rib.*); accedit hoc loco explicita assertio, talia a Domino esse decreta, fieri a Iahve, cuius nomen ipsum rei in effectum deducendae sponsio est maxima. Unde *S. Hier.* quoque notat : « quod autem in prophetis crebro dicitur *haec dicit Dominus*, propterea semper infertur, ne contemnantur quasi verba prophetarum, sed admoneantur iugiter Dei esse sermones, quos loquantur » (cf. in Ier. 23, 23 et in Zach. 1, 2. *Rib.*).

« Quod autem primum dixerat generaliter : *defectione deficiat a facie terrae* (ita scil. ex LXX), postea in partes divisit Scriptura divina » (*Hier.*) v. 3 « *congregans hominem et pecus, congregans volatilia coeli et pisces maris, et ruinae impiorum erunt; et disperdam homines a facie terrae, dicit Dominus* » ; — hebr. *auferam hominem et iumentum, auferam*... i. e. uti in diluvio olim vastitas et interitus omnia occupavit propter hominis scelera, ita altero Dei iudicio omnia affligentur; « iram quippe Dei etiam bruta sentiunt animalia et vastatis urbibus ho-

1. Hebr. אָסֵף hiph. a סוּף *rapere, finem facere, tollere*; ei apponitur infinitivus a verbo notione et sono cognato אָסַף *colligere, auferre, interficere* cf. Gen. 30, 23. Is. 4, 1; 10, 14 Iob 34, 14. Ps. 104, 29 etc.

minibusque interfectis solitudinem et raritatem bestiarum quoque fieri et volatilium pisciumque, testis Illyricum est, testis Thracia, testis in quo ortus sum, solum, ubi praeter coelum et terram et crescentes vepres et condensa silvarum cuncta perierunt » (*Hier.*). Nam, prout *Theod.* advertit, quemadmodum in hominis gratiam volatilia et aquatilia et iumenta facta sunt et in eius usum procreata, ita etiam propter impietatem hominum et iniquitatem maledicto subiiciuntur (cf. *Rib.*). Adest enim nexus quidam a Deo creatore inductus inter hominem et rerum universitatem, quem fatali modo iam Gen. 3, 17 pronuntiatum cernimus (cf. Os. 2, 21 ; 4, 3. Am. 9, 13) et qui per totam sacram historiam et prophetiam in hominis punitione aeque ac redemptione expressus deprehenditur. Quare istum loquendi modum neque cum *S. Cyr.* [1] et *Theod. M.* [2] ad meram hyperbolen referemus, neque cum *Sanct.* animalia illa iam nullum usum esse homini allatura explicabimus, neque cum aliis homines vocabulis animalium designari interpretabimur, sed, uti novos coelos novamque terram exspectamus, ita Dei iudicium in res quoque creatas animadversurum esse credimus ; id enim in novi quoque foederis revelatione clare proponitur (cf. 2 Petr. 3, 10).

Divinum iudicium in hominum *scelera* esse devolvendum, statim aperte declaratur, cum dicitur *et* (*auferam*) *offendicula cum impiis et exscindam hominem*... (hebr.) i. e. scandala, abominationes, idola, omnemque impietatis et idololatriae apparatum et cuncta iniquitatis monumenta, quae improbi tanto cum studio erexerant, funditus Deus evertet et delebit(cf. *Calm. Reinke*).

Tali imagine ad terrorem facta propheta et divinae maiestatis potentiam delineat et iudicio particulari quod iam est expositurus maiorem conciliat fidem maioremque horrorem audientium animis incutit. Quis enim tali Deo resistet, qui uno impetu universa abripit? quis eum non verebitur eiusque ultionem non gravissime sentiet, qui cuncta uno ictu disperdet? Quare post talem praefationem maiore iam pondere animos percellit iudicii illius denuntiatio, quod ipsos qui audiunt, immediate et proxime tangit et iam nominum verborumque familiaritate efficacius auribus insinuatur : v. 4 « *et extendam manum meam super Iudam et super omnes habitantes Ierusalem ; et disperdam de loco hoc reliquias Baal et nomina aedituorum cum sacerdotibus* » ; — Dominus *extendere manum*

1. « Non enim ullo pacto dicimus, si quidem recte sapimus, universorum Dominum et brutis et piscibus et volucribus irasci » (*S. Cyr.*).

2. « Hyperbolice quidem hominibus et iumentis volucres quoque et pisces copulavit ; vel etiam tropice, ut loqui solet, ita ut volucres dicat eos qui principatu super reliquos efferuntur, pisces vero eos, qui plebeii valde humiliter repunt » (*Theod. M.*).

dicitur, si de magnalibus vel tremendis agitur Dei facinoribus (cf. Ex. 3, 20; 7, 15 de plagis aegyptiacis; Deut. 4, 34; 5, 15; 7, 19; 9, 29; 11, 2 de miraculis in egressu ex Aegypto etc.); quare *grave* iudicium indicatur, quo graviter percutiantur; « extensio quippe manus gestum percutientis ostendit » (*S. Hier.*). Quod nunc mentio fit Iudae et Ierusalem, ipso sermonis nexu et progressu ad particularia descendente ostenditur, in antecedentibus sermonem institui de iudicio quodam generali neque *terram* v. 2 esse nihil aliud nisi regionem iudaicam, quamvis interpretum veterum plerique in ea fuerint sententia (cf. *Cyr. Theod. M. Barh. Rib. Sanct. Sa, Mar. Tir. Gord. Lap.* — de finitimis saltem gentibus explicat *Calm.* de orbe terrarum *Schegg, Reinke*). Habitatores Ierusalem nominatim efferuntur, quamvis in Iuda iam sint inclusi, « quoniam illis magis Deus irascebatur, quod ipsi maxime detestari deberent omnem idolorum cultum, ut qui in urbe sua templum et sacerdotes et legisperitos haberent » (*Rib.*), ibi enim Deus oculos suos et cor se positurum spoponderat (cf. 3 Reg. 9, 3. 2 Par. 7, 16); quare res est omnium maxime indigna, ibi idola coli. Unde minatur, non solum cultum, verum omne quoque eius vestigium funditus iri deletum (cf. *Rib. Sanct. Lap. Calm.*).

Fuerunt, qui ex *reliquiis* Baal quae delendae sint concluserint sermonem habitum esse instauratione a Iosia iam feliciter fere peracta; sed v 5 videmus aliam rerum conditionem, vigentem scil. et maxime etiam florentem idololatriam; quare ne prophetam secum ipso committamus, explicemus oportet illam loquendi rationem *emphatice* : cultum etc. Baal ita iri deletum, ut ne minimum eius supersit vel relinquatur vestigium; quo dicendi genere animus iure indignabundus et consilium omnino firmum et determinatum exprimi solet. Idem dic de *nominibus* aedituorum; tanto enim odio se habere cultum illum Deus profitetur, ut ipsa vocabula quasi stirpitus se deleturum minetur (cf. *Theod.*); omnem scil. sacrificulorum memoriam esse auferendam. Sunt *aeditui* (ita quoque Os. 10, 5 — *haruspices* vertit vocem *S. Hier.* 4 Reg. 23, 5) כְּמָרִים sacerdotes, « quos posuerant reges Iuda ad sacrificandum in excelsis per civitates Iuda et in circuitu Ierusalem » (4 Reg. 23, 5), quibus in impio cultu sacerdotes quoque aaronitici se socios adiunxerunt (cf. 3, 4. Ier. 2, 8). Quare non mirum est, si in ipsa plebe late serpserit improbus cultus : v. 5 « *et eos qui adorant super tecta militiam coeli et adorant et iurant in Domino et iurant in Melchom* »; — i. e. qui astra colunt; « coeli militiam astra vocamus, quia eo modo in coelo videntur esse disposita, quo in acie milites eleganter instructa » (*Sanct. Lap.*); tecta Iudaeorum plana erant, vel ut verbis utar *S. Hier.* : « in Palaestina... non habent in tectis culmina, sed domata, quae Romae vel solaria vel Maeniana vocant,

i. e. plana tecta, quae transversis trabibus sustentantur » (ep. 106) ; in tecto isto plano saepe aderat ὑπερῷον conclave superius, in quod sese recipere solebant ad animum colligendum, vel recreandum, aut luctus vel orationis vel secretae collocutionis gratia (cf. Iud. 3, 20. 2 Reg. 19, 1; 4 Reg. 23, 12. Iudith 8, 15. Dan. 6, 11. Tob. 3, 12 etc.). Cultum ita exercitum etiam Ieremias perstringit 19, 13 ; altaria in tectis erigebant ibique sacrificabant. Solis, lunae astrorumque cultus iam ab antiquis temporibus apud Israelitas quandoque exercebatur ; cf. Deut. 4, 19 ; 17, 3. 4 Reg. 17, 16 ; praeprimis florebat sub Manasse 4 Reg. 21, 3 — cf. Ier. 8, 2. Vide *P. Scholz*, Goetzendienst p. 412 seq.

Alia impietatis species in iis cernitur, qui cultum veri Dei et abominandam superstionem foeda societate iungebant, qui scil. Domino sacrificia offerebant et adoratione coram illo se prosternebant eique fidem ac devotionem suam spondebant (cf. hebr. הַנִּשְׁבָּעִים לַי׳ [1]) et simul cultui Moloch addicti per idoli invocationem iuramenti fidem obligare solebant. Unum enim venerationis genus propheta effert. *Melchom* idem est ac Moloch ; erat *Melchom* (Milkom) idolum Ammonitarum (cf. 1 Reg. 11, 5. 33 hebr. 4 Reg. 23, 13. Ier. 49, 1. Am. 1, 15) — unde ipsa nominum varietate apparet, quam multiplex idololatria in Iuda viguerit ex gentibus vicinis undique corrasa.

Textus *mas.* h. l. et saepius (cf. Ier. 49, 1. Am. 1, 15) legit מַלְכָּם *rex eorum*, quam lectionem aliqui, ut *Keil*, defendentes Baal ita dici volunt. Verum quidem est Baal *regem* quoque fuisse vocatum ; sed h. l Melchom praeferri debet, quia cultus Melchom revera erat in Iuda et propheta, qui ea enumeratione *multiplex* idololatriae vitium perstringere voluit, certe non censendus est altere idolo omisso alterum bis nominasse. Consentit *Syrus*. LXX ex plerisque editionibus habent κατὰ τοῦ βασιλέως αὐτῶν ; aliae edd. ferunt τοῦ Μελχόμ ; hancque lectionem sequuntur *Theod. Theod. M.* atque hic quidem in alteram lectionem multis invehitur eosque temeritatis et impietatis arguit qui in Scripturam graecam h. l. *regem* inferre ausi sint ; id ad errorem Syri interpretis (?) refert eaque occasione utitur ad LXX versionem multis commendandam. — Ex recentioribus *Hitz.* quoque lectioni *vulg.* adstipulatur.

Praeter idololatras sacerdotes et laicos, quorum varios ordines modo descripsit vates, etiam eos dicit iudicio iri abreptum, qui a Domini obedienta et cultu recesserunt vel divinum obsequium plane non curant : v. 6 « *et qui avertuntur de post tergum Domini et qui non quaesierunt Dominum nec investigaverunt eum* » ; — « auferet Dominus sive disper-

1. De nexu qui forte adsit inter sacrum numerum septenarium et notionem iurandi vide quae ad h. l. disputat *Reinke*, Proph. Zephania p. 59.

det ἀπὸ κοινοῦ subauditur » (*Hier.*); « *averti de post tergum*, quod hebraicum redolet idioma, nihil est aliud quam Deum praecedentem aut viam ostendentem non sequi » (*Sanct.*) et ab ipsius se obsequio omnino subtrahere. Ceterum homines describuntur, qui toti rebus fluxis immersi nulla divinorum cura, religionis studio nullo tanguntur, quos *indifferentes* vocitamus. Nil novi sub sole!

b) Omnes ordines iudicio sunt castigandi 1, 7-13.

Tali comminatione audita terror omnium animos occupet necesse est et formidine plena exspectatio; ita v. 7 « *Silete a facie Domini Dei! quia iuxta est dies Domini, quia praeparavit Dominus hostiam, sanctificavit vocatos suos* »; — *silete* cf. Hab. 2, 20; « in hebraeo interiectio est imperantis silentium » (*Hier.*); quo silentio timor, stupefactio, reverentia intelligitur et tumultui idololatriae scelerumque silentium et cessatio indicitur, quia iam instat *dies Domini,* qui « maxime apud prophetas ille dicitur, in quo Deus sumpto de peccatoribus supplicio suam potentiam et maiestatem ostendit et nomini suo illam conciliat gloriam, quam blasphema peccatorum lingua detraxerat » (*Sanct.*); dies igitur iudicii est i. e. dies excidii regni iudaici, dies captivitatis (cf. *Cyr. Rib. Ians. Lap.*). Ad terrorem incutiendum apta est mentio hostiae caedendae; impios enim et malos Deus ultioni suae ac iustitiae mactaturus est tamquam hostiam furori suo iam dudum paratam (*Calm.* cf. *Cyr. Theod.*). Nam impiorum caedes dicitur Domini sacrificium — vide Is. 34, 6. Ier. 46, 10. Ez. 39, 17 — quia illorum mactatione iusta quaedam satisfactio divinae iustitiae quodammodo offertur et, ut *Ians.* advertit, quasi publico sacrificio terra expiatur. Ad hanc victimam caedendam Deus *sanctificavit* i. e. sibi a reliquis separavit et elegit et ad tale munus et servitium sibi praestandum assumpsit *vocatos suos* i. e. eos quos speciali modo ut suae vindictae exsecutores invitavit et advocavit, scil. Chaldaeos [1], « quos et sanctificatos dicit, non quasi sanctitatis compotes sed decretos potius et accersitos a Deo ad Iudaeam incendio miscendam et ad eius incolas citra ullam misericordiam perdendos funditus... quamobrem *sanctificatus* hoc loco non improbitatis depositionem nec Spiritus sancti communionem, sed ad confectionem talis negotii velut destinatos quosdam ac dispertitos significat » (*Cyr.* — sim. *Hier. Theod. Ians.*

1. Perperam aliqui volunt intelligi Scythas (*Ewald, Hitz.*) Asiam vastantes (*Herodotus* I, 105); sed dubium est, num illi Palaestinam sint ingressi, et qui Iudaeos puniant, Assyrii et Chaldaei semper describuntur.

Rib. Sanct. Lap. etc.). Et iure quidem; nam id generatim *sanctum* dicitur, quod aliqua ratione a profano separatur et ad Dei cultum et servitium seponitur et dedicatur, cf. Is. 13, 3. Ier. 22, 7; 25, 9.

Iam singulos ordines recenset vates qui in hac populi caede poenas dabunt; incipit a primoribus, qui ut dignitate, ita scelere quoque aliis praeibant v 8 « *et erit, in die hostiae Domini visitabo super principes et super filios regis et super omnes qui induti sunt veste peregrina* »; — i. e. super magistratus et nobiles eosque etiam qui sunt de regia stirpe (*S. Hier.*) et familia, ita ut *filii regis* sensu latiore dicantur [1]; in ipsa domo regia pernicies igitur longe lateque serpsit, id quod ex iniquitate Amon regis facile declaratur. Iosiae filii tempore oraculi editi vel nondum nati vel aetate minores erant (— post Iosiae mortem, qui per annos 31 regnaverat, Ioachaz erat 23, Ioakim 25 annos natus 8 Reg. 23, 31. 36 —). Vaticinium vero in iis quoque impletum est : uterque enim malum fecit coram Domino : Ioachaz vinctus est a Pharaone Nechao regnoque privatus; regnum Ioakim variis calamitatibus est turbatum (cf. 4 Reg. 23, 32; 24, 2); Iosiae nepos, Ioachin, in captivitatem babylonicam est abductus (l. c. v. 15); ultimus vero rex Sedecias postquam filios suos occidi viderat, oculis effossis et catenis onustus Babylonem est transportatus. *Vestis peregrina* eos indicare videtur, qui spreto more patrio gentium luxum, mollitiem, consuetudinem aemulabantur et pro vario partium studio modo Babyloniorum modo Aegyptiorum, quibus sese addixerant vel a quibus auxilium et opem sperabant, vestes et cultum assumebant, ut ipso vestimenti genere studia sua profana, antitheocratica, impia declararent (cf. *Theod. Theod. M. Barh. Ians. Sa, Lap. Men. Tir. Schegg*). Apte *Sanct.* comparationis gratia affert 1 Mach. 1, 12-16; adde Is. 3, 16-24.

Variae sunt interpretum de veste peregrina sententiae. Iam *Theod.* varia commemorat : esse secundum aliquos vestes latrocinio vel rapinis partas; secundum alios libidinem illam perstringi, qua viri mulieribus, mulieres virilibus induerentur vestimentis. *S. Hier.* eos intelligit, qui pro cultu Dei venerati sunt idola; *S. Cyr.* eos sacerdotes, qui ornatum sacerdotalem aspernati sacra peregerint in vestitu communi et profano; alii vestes contra legem (Lev. 19, 19. Deut. 22, 11) ex lana linoque confectas cerni volunt (cf. *Theod. Sanct.*). Demum *Mar.* advenas exponit et peregrinos in Ierusalem degentes, qui utique vestitum gerant peregrinum et urbis ruinae sint involvendi. Idolorum cultores *Chald.* quoque h. l. explicat : « qui perstrepunt ad colenda idola ».

Eidem iudicio subiacebunt superbi, oppressores v. 9 « *et visitabo super*

1. Quare frustra aliqui ex hoc loco illud tempus Iosiae colligi volunt quo filii eius, Ioachaz et Ioakim, iam saltem iuvenilem aetatem sint ingressi.

omnem qui arroganter ingreditur super limen in die illa, qui complent domum Domini Dei sui iniquitate et dolo » ; — i. e. qui in ipsum templum superbo apparatu et animo irreverenti et arroganti ingrediuntur et sacrificia offerunt ex rebus oppressione et fraude acquisitis (cf. *Ians. Rib. Lap. Men. Tir. Calm. Schegg*) ; qui igitur ut in Deum arrogantia et fastu peccant, ita alios iniustitia et dolo opprimunt.

Ita ex textu lat. Eodem modo textum hebr. intelligi posse, certum est. Iam *S. Hier.* adnotat : « in eo ubi nos interpretati sumus *qui arroganter ingrediuntur super limen*, potest intelligi secundum hebraicum *qui transsiliunt limen* », et scite advertit *Schegg*, hebr. דָּלַג ubique adhiberi ita, ut saltum dicat laetum non sine fiducia et superbia (cf. Is. 35, 6. Cant. 2, 8. 2 Sam. 22, 30) ; quare cum *S. Hier.* explicari potest : « adversum superbos, qui cum quodam tastu et dignitatis supercilio gradus templi et sanctuarii limen ascendunt ». Alterum membrum etiam a LXX ad domum Dei refertur, et אֲדֹנֵיהֶם ad Deum, qui sit iure praecipuo *Dominus eorum*, forma plurali pertinere dubio prorsus caret ; raro enim אֲדֹנִים plurali numero de pluribus dicitur, saepissime vero de uno (cf. Gen. 42, 30. 33), immo אֲדֹנָי vicibus 134 de Deo adhiberi Masorethae tradiderunt (cf. *Fürst* L.). — At non desunt et veteres, quos vide apud *Rib. Sanct. Lap. Sa*, *Mar. Men.* , et recentiores, qui hoc membrum de servis regis vel generatim de servis dominorum accipiunt, qui rapinis et fraude domum regis vel domum herorum suorum implent. Prius membrum intelligitur vel de violenta in alienas domus irruptione ad agendam praedam (*Keil*, *Reinke*, *Trochon*) — quae interpretatio saltem cum membro subsequente bene cohaeret — vel de imitatione superstitionis Philisthaeorum, qua templi limen calcare nefas censetur eo quod duae palmae manuum Dagon idoli olim inventae sunt iacentes abscissae super limen (cf. 1 Reg. 5, 4. 5 — ita apud *S. Hier. Alb. Rib. Sanct.*). Hoc etiam *Chald.* amplexus est, sed ad plura extendit scribens : « et animadvertam in eos qui ambulant in legibus Philisthaeorum ». Verum difficillime tibi persuaseris de rebus duabus adeo inter se diversis, de superstitionis Philisthaeorum imitatione et oppressione doloque, uno in versiculo ita texi sermonem, ut alterum adiungatur ad alterum *sine* coniunctionis particula ; sed *implentes domum* eos potius clarius designare voluisse vates est censendus, qui limen transsiliant.

Quare vel in priore *S. Hier.* interpretatione sistendum erit, vel membrum utrumque ad iniustos oppressores, qui in subditorum aedes irruant et domum regiam rapinis locupletent, referatur necesse erit. De oppressoribus etiam *Syrus* versum interpretatur. *Transsilire* explicat *Reinke* etiam de festinatione qua cum rapina in palatium regium properant ; id quod certe melius est quam quod *Hitz.* vult, morem Persarum, quibus limen regium sacrosanctum fuerit ideoque minime pedibus calcandum, ab istis Iudaeis fuisse imitatione expressum ; de qua re ne minimum quidem indicium apud Iudaeos adest.

Quando primores ac principes poenas dabunt, etiam vulgus iri afflic-

tum et totam urbem lamentationibus ac gemitibus redundaturam esse per se patet. Quare sua sponte sequitur v. 10 « *et erit in die illa, dicit Dominus, vox clamoris a porta piscium et ululatus a secunda et contritio magna a collibus* » ; — erat *porta piscium* ex *S. Hier.* illa, quae Diospolin ducit et Ioppen et vicinior mari inter cunctas vias Hierosolymorum. Utrum is fuerit eius situs necne, in dubium vocant. Ceterum portam in septemtrionali parte urbis orientem [1] versus collocatam esse certum apud plerosque est (cf. 2 Par. 33, 14. Neh. 3, 3; 12, 39. *Schenkel,* Bibellexicon s. v. Ierusalem III p. 227. 246). Ex ea parte Chaldaeos urbem esse ingressos, aliqui censent; neque id improbabile est, cum Sedecias cum suis per partem urbis meridionalem i. e. per viam horti regis fugam capesseret (cf. Ier. 39, 4). Quodsi ita est, aptissime describitur clamor et eiulatus ab illa parte oriturus. Sed simul ex variis partibus urbem eos occupasse (cf. Ier. 1, 15) etiam probabile est; unde pariter a secunda urbis parte ululatus auditur; vel saltem, cum in tali delineatione prophetica rei eventus ad amussim non sit exquirendus, vates calamitatem et eiulatum longe lateque per urbem serpere et undique perstrepere indicat. Erat *secunda,* uti videtur, pars quaedam urbis secundaria, urbs inferior quae vocatur, in colle Acra sita (cf. 4 Reg. 22, 14. Neh. 11, 9. *Iosephus,* Ant. 15, 11, 5? *Schegg, Keil, Reinke*). Tumultus bellicus, fragor ruinarum et strepitus clamoresque caedis, quae omnia *contritionem* magnam iam urbi inferri manifestant, audiuntur *a collibus,* in quibus magna pars urbis aedificata est et praecipua urbis decora et ornamenta constiterunt, uti in Sion et Moria aliisque.

Cum aedificiorum corruentium fragore, qui in altioribus collibus editus longe lateque perstrepit, ex inferiore urbis parte in valle depressa sita eiulatus permiscetur incolarum et mercatorum v. 11 « *ululate, habitatores Pilae; conticuit omnis populus Chanaan, disperierunt omnes involuti argento* » ; — vallem, quae Tyropoion vocatur et quae inter collem Acram in parte occidentali situm et inter Bezetham et Moriam in orientali parte usque ad fontem Siloe protenditur, hoc loco nomine *mortarii* designari, et veteres (cf. *Rib. Lap. Men. Tir.*) et recentiores aliqui (cf. *Schegg, Hitz. Keil*) sentiunt. *Chald.* vallem Kidron explicat; parum apte, quia ea vallis non ad ipsam urbem pertinebat. Ceterum incertum est, utrum hoc nomen in usu fuerit, an a propheta e loci regione et incolarum sorte sit formatum. Advertit enim *S. Hier.* : « pulchre Scriptura non dixit : qui habitatis in valle, qui habitatis in gurgustio, sed qui habitatis in *pila,* quod scil. quomodo frumenta feriente desu-

1. Sunt tamen qui occidentem versus eam portam collocandam esse censeant; cf. *Riess,* bibl. Geographie p. 37.

per vecte contunduntur, ita de porta piscium et de porta secunda et de collibus proruens in vos decurret exercitus » ; vel quia urbs per exercitum chaldaicum erat destruenda, conculcanda, in rudera convertenda (cf. *Ians. Rib. Lap.*) ; quare LXX secundum sensum verterunt τὴν κατακεκομμένην. Ea in valle fuisse forum rerum venalium et mercatorum domus amplas, non omnino inanis esse videtur coniectura, cum propheta statim subiungat : *quia exscinditur omnis populus Chanaan* (hebr.) i. e. mercatores Iudaei, qui mores Phoenicum aemulantur (cf. Os. 12, 8) ; « populum Chanaan appellavit populum Iudaeorum, iuxta illud : semen Chanaan et non Iuda » (Dan. 13, 56. *S. Hier. Barh. Alb. Rib. Lap. Calm.*). Vastitatem et excisionem etiam voce *conticuit* [1] interpres lat. designat ; « cum dicitur *conticuit*, triste quoddam et horrendum silentium intelligitur, quod vel misericordiam vel admirationem maximam excitat, cum e celebri et frequenti civitate ne unus quidem reliquus est, cuius vox audiatur » (*Rib.*). Gravius est vituperium, si ipsos Iudaeos Chanaanitas vocat propheta, quia eorum mores exprimunt (cf. *Chald.*), neque id est a more Scripturae alienum (vide praeter allegata Ez. 16, 3) ; quare audiendi non sunt, qui Phoenices in urbe habitantes h. l. intelligunt. Parum enim ad Iudaeorum animos timore salutari percellendos efficeret vates, si Phoenices esse destruendos vaticinaretur. Ad quem vitae ordinem accensendi sint isti Chanaanitae, altero quoque membro indicatur : *delentur omnes onusti argento* (hebr. cf. *Rib.*), qui pecuniam et divitias ita congesserunt, ut sub eorum onere premantur quasi et gemant ; tales certo designantur, qui toti pecuniae et lucro inhiabant, neque id frustra. Eos intelligit *S. Hier. involutos* [2], qui sibi in divitiis confisi tantas habebant opes, ut se quasi involutos et septos suis divitiis aestimarent.

Atque in tam atroci iudicio neminem vindictam divinam esse evasurum, sed Dominum ipsum omni cura et studio sceleratos et vitiis inveteratos esse ad condignas poenas revocaturum, declaratur v. 12 « *et erit, in tempore illo scrutabor Ierusalem in lucernis, et visitabo super viros defixos in faecibus suis, qui dicunt in cordibus suis : non faciet bene Dominus et non faciet male* » ; — sicut qui diligentissime aliquid quaerunt, Deus facibus et luminibus remotissima quaeque et maxime abscondita perlustrabit, ne quis reus effugiat vel absconsus maneat et inultus abeat. Quod *Iosephus* de altera expugnatione urbis narrat, de cloacis quoque et sepulcris et antris et speluncis extractos principes

---

1. Hebr. נִדְמָה cf. Os. 10, 7. Is. 6, 5 ; 15, 1 ; ceterum דָּמָה *siluit, quievit* Ier. 14, 17 ; eiusdem significationis est דָּמַם, דּוּם ; et cum דָּמָה *similem esse* quoque significet, etiam versio LXX ὡμοιώθη πᾶς ὁ λαὸς Χαναάν facile declaratur.

2. Cogitasse videtur *S. Hier.* de verbo טָלַל *obtegere* (cf. *Schegg, Reinke*).

et potentes et sacerdotes, plerique duce *S. Hier.* ad hunc locum illustrandum commemorant (cf. *Cyr. Ians. Rib. Sanct. Lap. Tir. Calm. Schegg, Keil*). Ad lucernae imaginem cf. Luc. 15, 8. Accuratissima haec disquisitio et *visitatio* i. e. animadversio et punitio erit in eos, qui *congelantur super facces suas* i. e. immoti atque imperturbati quiescunt ac diu iam in vitiis suis defixi haerent; quemadmodum scil. vinum, quod est in dolio imperturbatum et super faeces suas residens, purum ac perspicuum manet et suave efficitur et generosum, ita illi in magna tranquillitate et affluentia viventes nullaque adversitate agitati, impiam et iniquam suam indolem magis magisque excoluerunt (cf. *Rib.*) et tandem ad talem in malo perpetrando fiduciam et securitatem pervenerunt, ut omnem numinis de rebus humanis curam perfracte negarent; « hoc loco eos damnat, qui providentiam tollunt et casu res ferri dicere audent Deumque universorum affirmant neque beneficio neque pœna afficere quemquam » (*Theod.*), vel qui tali subsannatione vaticinia prophetarum irrident et traducunt; cum enim sacri vates nomine Dei minas et castigationes intentarent, pronum erat illusores cum risu eis oggerere, Dominum nec bene agere nec male, quippe cum vaticinia plerumque non tempus proxime instans sed remotum spectarent. Idque impii longa mora securi eo facilius blasphemabant, quia iam a priscis prophetis *dies Domini* annuntiatus erat (cf. Ioel 2, 1). Residere super faeces suas vitam dicere imperturbatam ideoque in malis perseverantem vitiisque inhaerentem, vide apud Ier. 48, 11.

Verum Deus divites illos iis ipsis puniet rebus, quibus peccarunt : v. 13 « *et erit fortitudo eorum in direptionem et domus eorum in desertum; et aedificabunt domos et non habitabunt, et plantabunt vineas et non bibent vinum earum* » ; — *fortitudo* i. e. opes et divitiae, quibus valent, ab hostibus auferentur ac diripientur, « destruentur cunctae domus eorum; neque aedificiis fruentur quae sedula cura exstruxerunt neque de arvis suis fructum carpent » (*Theod. M.*). Vates verbis minatur ex lege depromptis cf. Lev. 26, 31 ; Deut. 28, 30. 39 — vide Am. 5, 11. Mich. 6, 15. Unde simul cum ruina urbis vastitas totius regionis praedicitur.

c) Terror iudicii divini 1, 14-18

Duo v. 7 proposuerat vates, cur cum timore coram Domino sit conticescendum : altero iam exposito scil. quaenam sit victima irae Domini (v. 8 - 13) ad alterum nunc revertitur, scil. diem Domini esse prope eumque summe terrificum esse multis ostendit. Ita minis antecedentibus

maius additur pondus; v. 14 « *Iuxta est dies Domini magnus, iuxta est et velox nimis; vox diei Domini amara; tribulabitur ibi fortis* »; — in hebr. iungitur : *amare clamat ibi fortis.* Iudicium iam instat; nam dies ille Domini, qui demum ruinam urbi et populo attulit, iam cum Iosiae morte incepisse cum *Calm.* dici iure potest. Iam eius *vox* insonare auditur; « ita loqui solent prophetae, ut significent captivitatem aut calamitatem, de qua loquuntur, iam esse proximam, sumpta a venientibus metaphora, cum ita propinqui sunt, ut eorum vox aut sonus audiatur » (*Rib.*). Fragore et tonitru dies Domini et terror eius indicatur; idque vehementem in modum, ut fortissimi quique et viribus pollentes a magnis eiulatibus et acerbis clamoribus non possint abstinere. Si ita ipsi heroes timore et dolore concutiuntur, quid de reliquis erit? Quod iam clamore fortium insinuatur — diem Domini esse terrificum — praeclara amplificatione illustratur; v. 15 « *dies irae dies illa, dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis et miseriae, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulae et turbinis* »; — « geminatione nominum ostendit magnitudinem futurae calamitatis » (*Rib. Men.*). Ceterum dies ille primum summatim dicitur *dies furoris*, excandescentiae, qua scil. furor Dei in impios *redundat abundanter* (cf. עֶבְרָה redundantia irae) : in hoc autem furore Domini includuntur pro hominibus *angores*, *angustiae*, quibus constringuntur et opprimuntur; pro regionibus, quae simul cum incolis affliguntur : *devastatio* (*tumultus*) *et vastitas* (hebr.); summus vero horum malorum gradus quadruplici tenebrarum densissimarum mentione effertur (cf. Ioel 2, 2). Optime enim illi qui lucem Domini spreverunt et respuerunt, in tenebris et caligine versari et densa obscuritate affligi dicuntur (cf. *S. Hier.*); nam ut *Theod.* notat : « tenebras et caliginem et nubem et nebulam malorum appellavit impetum; quae cum advenerint, nec sol lucidus est videntibus, neque dies clarus, sed omnia caliginis plena videntur » (sim. *Theod. M. Ians.*).

Ex tanto malorum acervo unam in medium affert vates calamitatem, qua falsa impiorum securitas prosternitur v. 16 « *dies tubae et clangoris super civitates munitas et super angulos excelsos* »; — i. e. civitates arte et natura munitissimae, arces, turres, castra cum bellico tumultu et fragore, dum tubae hostium clangentium et perstrepentium undique exaudiuntur, ab hostibus expugnabuntur. *Angulos* de turribus explicant, quippe quae in angulis murorum aedificari solent ad urbis et murorum defensionem (*Rib. Lap. Mar. Sa, Men. Tir. Reinke, Trochon*) vel ut *Sanct.* habet : « cum angulus sit ea pars domus, quae duos parietes e diverso coeuntes adstringit et continet, necesse est ut pars sit omnium omnino firmissima... quare in regia aliqua et nobili structura angulos omnes muniunt et continent turres »; neque aliter explicat *angulos Ros.* :

« non solebant veteres ambitum muri directum ducere, ne ad ictum arietis esset dispositus, sed sinuosis anfractibus clausere urbes crebrioresque turres in ipsis angulis ediderunt, ut si quis ad murum ita constructum vel scalas vel machinas admovere vellet, non solum a fronte, sed etiam a lateribus et prope a tergo velut in sinum conclusus opprimi posset » ; sed an ea quae *Vegetius* (de re mil. 4, 2) disserit ad Iudaeos transferri tuto liceat, merito dubitaveris. Alii פִּנּוֹת interpretantur pinnas vel ramos eminentes murorum (cf. *Ges.* Thes. p. 1113. *Keil, Schegg*).

In hac urbium et arcium expugnatione et triumphis hostium angustiae illae et tenebrae, de quibus v. 15, homines occupabunt v. 17 « *et tribulabo homines et ambulabunt ut caeci, quia Domino peccaverunt. Et effundetur sanguis eorum sicut humus et corpora eorum sicut stercora* » ; — hebr. *in angustias agam homines*, arctum faciam hominibus (cf. Deut. 28, 52). Erunt ut *caeci* i. e. nescientes scil. prae metu, anxietate, stupore, quo fugiant aut se vertant, et in omne periculum impingentes ; « videtur enim timor et anxietas timidis, anxiis et perplexis eripere lumen, mentem et oculos, ut nesciant, quo fugiant ; q. d. Iudaei erunt attoniti, ut caecutire videantur et ambulare tamquam caeci, praesertim quia adimet eis consiliarios et viros sapientes, qui civitatis et civium sunt quasi oculi et mens, ut praedixit Isaias 3, 3 » (*Lap.* sim. *Rib. Sanct.*). Talem caecitatis poenam iam minatus erat Moyses (Deut. 28, 29), ad cuius verba hic quoque Sophonias alludit. Demum frequentissima caede prosternentur, victima scil. furoris Domini (v. 7. 8) ; *et effundetur sanguis eorum ut pulvis* (hebr.) ; pulveris vel arenae nomine copiam ac multitudinem exprimi aliqui censent (cf. *Sanct. Sa, Mar. Men.*) ; sed alterum membrum potius contemptum innuit, qui in pulvere quoque utpote re nullius momenti quae omnium pedibus conculcatur, egregie exprimitur (cf. *Lap.*). Tali cum contemptu hostes agent, ut qui superbia elati Dominum spreverint (cf. v. 8. 9. 12) iam ipsi maxima ignominia et despectu summo abiiciantur ; *sicut stercora* simul indicatur aliud opprobrii genus, corpora illorum caritura esse honore sepulcrorum, sed fore ut foede putrescentia in agros proiiciantur (cf. Ier. 9, 22. 2 Par. 36, 17).

Hostium impetum et furorem nulla auri vel argenti oblati copia frangere poterunt neque sibi impunitatem vel vitam mercari ; v. 18 « *sed et argentum eorum et aurum eorum non poterit liberare eos in die irae Domini* » ; — ne igitur ditissimi illi vana spe sibi blandiantur ; nulla erit opum utilitas ; nullo auri pondere vitam redíment (cf. Is. 13, 17. Ez. 7, 9) ; est enim dies maximi furoris, *excandescentiae* (cf. hebr. et v. 15) Domini. Ad confirmationem talis iudicii addit vates illud, a quo sermonem inceperat 1, 2, iudicium scil. universale : « *in igne zeli eius*

devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram » ; — est enim Dominus ignis consumens (Deut. 1, 24), ignis devorans atque consumens (Deut. 9, 3. cf. 32, 22), qui igne zeli, aemulationis, vindictae inimicos suos persequitur ; « zelus varia significat, sed praecipue affectum illum igneum, quo sponsus excandescit in sponsam adulteram » (*Sanct.*) ; tali aestu poenas repetet a populo infideli, adultero, foedifrago. Sed iudicii particularis terrorem horrore auget et confirmat universalis : consummationem faciet (cf. Nah. 1, 8) *et quidem subitam* (hebr.) i. e. subito, inexspectato ingruet iudicium et impia securitate sopitos egregie percellet (cf. Luc. 17, 26. 27). Concinne aeque et apte redit sermo ad id, unde exorsus erat : iudicium universale.

Quantopere haec ira Domini terram palaestinensem vastitate et ruinis percusserit et quem in modum igitur vatis verba ipso demum eventu probata sint, multis *S. Hier.* exsequitur ad hunc locum, ex quibus pauca accipe : « de civitatibus munitis et excelsis angulis Iudaeae, qui ad solum usque sunt diruti, puto oculorum magis esse quam aurium iudicium, nobis praesertim qui nunc in ista sumus provincia licet videre, licet probare quae scripta sunt. Vix ruinarum parva vestigia in magnis quondam urbibus cernimus. Silo, ubi tabernaculum et arca Testamenti Domini fuit, vix altaris fundamenta monstrantur. Gabaa illa civitas Saulis usque ad fundamenta diruta est. Rama et Bethoron et reliquae urbes nobiles a Salomone constructae parvi viculi demonstrantur. Legamus Iosephum et prophetiam Sophoniae illius cernemus historiam » etc.

ALTERA PARS CAP. 2-3, 8.

ARG. — Comminationi iudicii seria subiungitur adhortatio, ut omnes in suos inquirant mores, antequam iudicium devolvatur, praesertim ut pii omni studio Deum exquirant, quo divinam sibi promereantur protectionem (2, 1-3). Quam adhortationem quo melius animis recondant, iam varia iudicia Dei mox futura recenset propheta. Et primo quidem in Philisthaeos ; urbes eorum iri destructum, populum interemptum, regionem vastationi traditum, quae cessura sit in possessionem Iudaeorum (2, 4-7). Deinde eandem sortem annuntiat Moabitis et Ammonitis, quorum superbiam Deus sit puniturus et idololatriam deiecturus, ut undique veri adoratores eum colant (2, 8-11). Tertio similem vastitatem Deus inferet Aethiopibus et Assyriis et praeprimis Ninive, superba civitas, in extremam redigetur solitudinem (2, 12-15). Verum si Deus gentium scelera punit, eo magis persequetur ultione sui populi contumaciam et principum prophetarumque iniquitatem, qui coram facie Domini pessima perpetrant (3, 1-5). Talia autem iudicia et castigationes propo-

nuntur, ut Deum discant timere ; verum cum Domini spem fefellerint, eius experientur furorem (3, 6-8).

a) **Adhortatio ad poenitentiam 2, 1-3.**

Declarata belli importunitate et futurae calamitatis acerbitate, ut *S. Cyr.* advertit, commode sermonem transfert ad poenitentiam, quando verisimile erat eum facile persuasurum timentibus scilicet; « interdum enim animo obdurato et ad turpiora et exsecranda magnopere inclinato haud facile voluntatem saltem agendae poenitentiae concipimus, quo tamen saepe terror invitos compellit » (*S. Cyr.*). Quare eos vates adhortatur, ut ad se redeant, animos lascivia diffluentes colligant (ex hebr.), vel secundum *vulg.* ut ad preces et communem supplicationem sese colligant v. 1 « *Convenite, congregamini, gens non amabilis !* v. 2 *priusquam pariat iussio quasi pulverem transeuntem diem, antequam veniat super vos ira furoris Domini, antequam veniat super vos dies indignationis Domini* » ; — i. e. colligimini in unum, ut communibus studiis et precibus Dei iram avertatis eumque vobis placatum et propitium reddatis (*Rib. Tir.* sim. *S. Hier. Ians. Lap.*) ; *gens non amabilis* : est. *litotes* (*Sanct. Lap.*) ; scil gens quae amore Dei indigna est (*S. Hier. Alb.*), quae potius Deo exosa et odio dignissima est (*Rib.*). Adhortatio similis ei est, quam Ioel 2, 15 legimus ; « ita congregati clamaverunt Ninivitae (Ion. 3) et Iudaei » (Iud. 3, 9. 15. *Rib.*). Idque praestandum est, antequam *iussio* i. e. praeceptum vel decretum Dei de puniendis peccatoribus (*Alb.*) *pariat* i. e. adducat et efficiat *diem* calamitatis et miseriae, qui dies erit sicut *irruens pulvis* vel pulvis transiens. Eius comparationis vim varie explanant : cernunt in pulvere ingruente aliqui vim turbinis omnia miscentis, obnubilantis, diripientis et auferentis (*Lap. Tir. Calm.*) ; aliqui diei adventum inexspectatum, repentinum adiungunt : « transibit quasi pulvis i. e. veniet praeter spem, ut pulvis magna vi venti agitatus, qui violentus ruit et omnium oculos obcaecat » (*Rib.* sim. *Sa, Mar. Men.*) ; alii in pulvere cernunt facilitatem effectus : « ita facile veniet quasi pulvis pertransiens » (*S. Hier.*), alii captivitatem omnia auferentem : auferentur ab hoste babylonio, sicut a vento palea, aut pulvis a turbine dispergitur (*Sanct.*), tandem *Schegg* : uti ventus pulverem paleamque excitat, ita iussio Dei diem iudicii. Explanatio maxime obvia videtur in eo esse, ut dies iudicii a Deo adduci dicatur et facillime et cito, sicut ventus paleam et facile et cito dispellit (cf. *Ians.*). In ventorum flatu et impetu iram Dei habes adumbratam. Membrum hoc altero explanatur (*Alb. Rib.*) : *antequam veniat* etc.

Textum hebr. aliqui non de instituendis coetibus, sed de inquisitione in animos et mores accipiunt : *inquirite in vos ipsos et colligite* (cf. *Ros. Keil, Reinke*) ; verbum קוֹשֵׁשׁ significat *colligere* v. g. stipulam, ligna ; vid. Ex. 5, 7 12 Num. 15, 32. 1 Reg. 17, 10. 12 ; in *hithpael* hoc loco solum occurrit : *se colligere* : LXX et *S. Hier. Syrus, Chald.* de coetu colligendo interpretantur : συνάχθητε καὶ συνδέθητε. Recentiores *se colligere* i. e. in semetipsum descendere, in se recipere vertunt (cf. *Ges.* Thes. p. 1244) et addunt, hithpael et qal copulari ad vim augendam (cf. Is. 29, 9). Hoc bene dicunt ; verum iure *Schegg* veterum explicationem retinendam censet, quae facilius e significatione primitiva fluit, quam recentiorum, et tam unanimi veterum suffragio commendatur. Sed is congregandi notionem in eum sensum inflectit, ut sit congregatio fugae capessendae causa ; simile quid iam *Calm.* innuit. Alii notionem *hithpael* significatione *sese purgare, liberare a stipulis et quisquiliis* exprimi opinantur ; quare vertunt : *purgate vos ipsos et dein alios purgate* (cf. *Fürst* C.) ; alii ad dialectos cognatas confugere malunt ; at infelici conatu ; ita *Ewald* ex arabico (?) interpretatur : pallescite etc. — Graecum συνδέθητε explicat *Theod.* de curatione quae figurato per pharmaca et vincula indicatur (sim. *Cyr.*) ; *Theod. M.* legit συνδεήθητε *comprecamini*, quam lectionem inveniri etiam *Theod.* commemorat, sed prorsus reiicit.

Varie quoque explicant epitheton, quo gens designatur לֹא נִכְסָף. Verbum כָּסַף habet significationem *desiderare* cf. Iob 14, 15. Ps. 17, 12. ; eadem notio in *niphal* exprimitur cf. Gen. 31, 30. Ps. 84, 3 et secundum eam veteres etiam hic explicarunt : LXX ἀπαίδευτον ; idem *Syrus* ; quae versio forte declarari potest paraphrasi *Chald.* : « gens nolens converti ad legem » q. d. gens non desiderans legem ; *S. Hier.* certe interpretatus est : gens non desiderata a Deo, non dilecta, quae « amore Dei indigna » reputatur. Haec versio usu verbi commendatur neque est, cur eam relinquamus, quamvis recentiores aliter vim vocis efferant. Statuunt enim ex voce chaldaica כְּסַף (cf. *Levy*, Chald. W. I p. 377) et hebr. כֶּסֶף argentum [1] (a pallore dictum ?) verbi significationem primariam *pallescere* ; unde : *gens quae non pallescit* i. e. quia pudor et rubore et pallore proditur : gens quae non pudefit, gens sine pudore, inverecunda (cf. *Ges.* Thes. p. 703. *Fürst* C. *Keil, Trochon*) vel, quia timor quoque pallore vultus indicatur, gens, quae nullo timore coercetur, contumax (cf. *Fürst* L. *Reinke*) ; num inde originem habet illud ἀπαίδευτον LXX ?

Ceterum v. 2 ita commodius ex hebr. vertitur : *antequam decretum pariat* (i. e. antequam effectum sortiatur, edat id quod a Deo statutum est) — *veluti gluma* (*stipula*) *irruit dies* [2] — *antequam veniat* etc.

Etsi omnes, tamen praecipuo quodam iure et effectu alloquitur pios Dei cultores propheta, quos ad maius virtutum religionisque studium excitat, quo sibi divinam protectionem, *insigne* in publicis ac communibus rerum ruinis beneficium ac proin indebitum, fortasse *singulari* ratione promereantur ; v. 3 « *quaerite Dominum, omnes mansueti terrae,*

---

1. Vide *Strassmaier*, Verzeichniss der ass. u. akk. W. s. v. *kasap, kaspu* metallum album et nobile in sermone accadico dicit.

2. *Houbig.* in toto textu menda deprehendit. Sic emendat : antequam dispellamini, uti stipula, cum transibit dies. — Ceterum nec LXX nec *Syrus* textum hebr. legisse videntur eundem quem legit *S. Hier.* LXX πρὸ τοῦ γενέσθαι ὑμᾶς ὡς ἄνθος παραπορευόμενον· sim. *Syrus* ; ergo כמוֹ צִיץ ?

qui iudicium eius estis operati! quaerite iustum, quaerite mansuetum! si quomodo abscondamini in die furoris Domini »; — alloquitur vates afflictos, miseros, humiles, eosque mansuetos et erga Deum pios — hisce enim describendus est עָנָו *mansuetus* qui dicitur plerumque secundum *vulg.* — et cum ii iam Dei cultui operam dent, legem impleant, iustitiam sectentur, monentur, ut eum etiam maiore studio ac devotione quaerant, etiam impensius iustitiam colant, humilitatem, mansuetudinem rebus in asperis et piam animi demissionem exerceant (cf. *Est.*). Simul maiorem divini iudicii exspectationem et terrorem impiis iniicit; si enim de ereptione piorum dubitat, quid de peccatoribus futurum esse censendum est, quale supplicium et quam certe impios manebit (*S. Hier. Rib.*)? Bene *Cyr.* ad h. l.: « quaeritur a nobis Deus, si seclusa omni socordia ardenter optamus efficere quae illi accepta sint »; hoc studio ardentissimo id consequentur, uti sperare licet, quod Deus quandoque amicis suis concessit, ut scil. mediis etiam in calamitatibus publicis salvi consistant. Sed cum vates de ea re tamquam incerta loquatur et ex altera parte Deus toties sua virtuti promiserit praemia, haec praemia quia in hac vita non certo neque semper adsint, eo solo iam nomine in vitam post mortem necessario transferenda esse, ex hoc quoque prophetae loquendi modo omnes concludere debebant. Neque enim de praemio, sed solum de remuneratione terrestri et temporali vates loqui potuit cum quadam dubii specie; insuper furorem Domini non posse cadere in pios, nisi quatenus isti tamquam totius populi membra simul cum toto populo ex communi vulnere et afflictione publica laborant, per se satis liquet. At quo maiore fervore etiam temporalem afflictionem vel avertere vel imminuere suis precibus et virtutum meritis satagant, exempla quaedam iudicii divini in exteras gentes proponit, ex quibus inter alia hoc quoque addiscant: si Deus Philisthaeos aliosque qui eum non noverunt, tam severe puniturus est, quomodo vos, qui tam arcte mihi devincti iisdem sceleribus me irritatis, impune id vobis cessurum sperare potestis (cf. *Tir.* ad Soph. 2, 4)?

b) Iudicium in Philisthaeos 2, 4-7.

Nexum cum antecedentibus, quem alii aliter adstruunt (cf. apud *Sanct.*), ita commode apteque effert *Lap.*: « dat causam cur furorem Dei expavescere debeant ideoque studere, ut per opera poenitentiae et iustitiae eum a se avertant, quia scil. tantus erit furor Dei, tantum robur et impetus Chaldaeorum, militum eius, ut ipsi venientes in Iudaeam etiam vicinos Philisthinos, qui saepe Iudaeis sunt dominati, sint vasta-

turi ; q. d. multo ergo magis vos, o Iudaei, Chaldaeos formidare debetis » (sim. *Men.*) ; nam, ut adnotat *S. Hier.* : « tanta vastitas Iudaeae terrae veniet et tam sublimis victor huc babylonius ascendet exercitus, ut etiam potentissimas urbes Philisthinorum, quae vobis semper aequo certamine restiterunt, eadem captivitas apprehendat » (sim. *Ians.*) ; unde v. 4 « *Quia Gaza destructa erit et Ascalon in desertum ; Azotum in meridie eiicient et Accaron eradicabitur* » ; — easdem quattuor urbes Amos enumerat (1, 6-8) omissa quinta Geth ; in prima et ultima cernitur in hebr. facilis et apta paronomasia (cf. *Cyr. Alb. Rib.*), ac si latine diceres : Capua capietur ; Cremona cremabitur (cf. Mich. 1, 10-15). Iis annuntiatur derelictio (hebr. *Gaza erit derelicta*), vastatio, abductio in captivitatem, eversio et ruina ; *in meridie* i. e. cum plenam fortunae ac prosperitatis lucem sibi adesse opinentur, proin subito atque inexspectato, uti Ier. 15, 8 : « induxi... vastatorem meridie ; misi super civitates repente terrorem » (cf. 2 Reg. 4, 5. *Schegg, Keil*) ; alii *plena luce, manifesto, in aperto* explicant (cf. *Hier. Cyr. Theod. M. Rib. Mar.*) ; neque id alii interpretationi contradicit, sed potius ex priore consequitur. De impletione vide Ier. 47, 1. Zach. 9, 5. 1 Mach. 5, 68 ; 10, 84.

Ex urbibus principalibus calamitas et castigatio serpet in universam regionem et totam gentem ; ita post urbium praecipuarum ruinam maiori cum emphasi integrae terrae calamitas effertur v. 5 « *vae qui habitatis funiculum maris, gens perditorum ! Verbum Domini super vos Chanaan, terra Philisthinorum, et disperdam te, ita ut non sit inhabitator* » ; — *maris funiculus* est ora maritima, tractus maris non adeo latitudine, quam longitudine praestans, quare funiculo comparatus, idque eo magis, quia *funis* et *funiculus* ex more veterum, qui in dimetiendis distribuendisque agris funiculis utebantur, sors vel pars terrae alicui attributa nominari solebat (cf. *Theod. Theod. M. Alb. Tir. Calm.*). *Gens perditorum* i. e. « quia et ipsi qui iuxta mare habitant, perient atque tollentur » (*S. Hier.*). vel potius, ut interpretationi alias a *S. Hier.* propositae explicatio sit consona : quia ipsi erant perditores ac vastatores, iustas poenas oppressionum dabunt (cf. *Ians. Rib. Sanct. Lap.*) ; « quod terra Palaestinorum terra sit Chanaan, nulli dubium est.,. in tantam venies vastitatem, quae laetabaris in eversione Iudaeae, ut omnes tuae urbes munitissimae in ovilia sint pastorum » (*S. Hier.*).

Hebr. גוֹי כְּרֵתִים LXX vertunt πάροικοι Κρητῶν ; ita quoque *Syrus*. Adnotat *S. Hier.* : « ubi nos transtulimus *gens perditorum*, LXX dixerunt *advenae Cretensium* . . . pro *goi* legerunt *gar* et pro *chorethim*, quod dicitur *perditorum*, nomen Cretae insulae putaverunt. Denique et *Aquila* et quinta editio interpretati sunt ἔθνος ὀλέθριον et *Theodotio* ἔθνος ὀλεθρίας, *Symmachus* quoque ὀλεθρευόμενον, quae omnia cum interpretatione nostra faciunt ». Etiam *S. Cyr.* praeter lectionem LXX novit alteram ὠλοθρευμένον.

Verbum igitur explanarunt ex כָּרַת *exscindere*. Eandem etymologiam etiam *Chald.* sequi videtur: « populus qui peccat, ut deleatur ». Eadem vox legitur Ez. 25, 16, ubi *S. Hier.* vertit *interfectores*, LXX Κρῆτας et saepius in libris historicis: 1 Sam. 30, 14. 2 Sam. 8, 18; 15, 18; 20, 23 (*qeri*); 20, 7. 1 Reg. 1, 38. 44. 1 Chron. 18, 17 quibus in locis vox et a LXX retinetur (Χορεθί, Χερεθί, Χελεθί, Χερηθί) et a *S. Hier. Cerethi*. Nomen hoc Cretensium et immigrationem a Creta insula factam etiam complures e recentioribus affirmant (cf. *Schenkel*, Bibellexikon III p. 496. 601; IV. p. 644. *Riehm*, Handwoerterbuch d. bibl. Alterth. p. 240; *Vigouroux*, La Bible et les découvertes mod. 3. ed. III p. 344) aliis dubitantibus vel etiam negantibus (cf. *Herzog*, Realencyklop. f. prot. Theol. 2. ed. XI. p. 624 seq.).

Superbia Philisthaeorum prostrata et eorum gente deleta regio usibus pastorum inserviet et demum in possessionem Iudaeorum cedet, postquam exsilio soluto in gratiam cum Domino redierunt v. 6 « *et erit funiculus maris requies pastorum et caulae pecorum*, v. 7 *et erit funiculus eius qui remanserit de domo Iuda, ibi pascentur; in domibus Ascalonis ad vesperam requiescent; quia visitabit eos Dominus Deus eorum et avertet captivitatem eorum* »; — i. e. ora ista maritima *reli quiis* Iudaeorum (hebr.) cedet in possessionem; ibi pascent greges et ruinae palatiorum superborum iis stabula praebebunt, quibus vespere et per noctem greges tutabuntur. Consuetum est, regionis vastitatem, destructionem urbium, incolarum vel paucitatem vel internecionem ita adumbrare, ut pro urbibus et hominum commerciis greges et pascua proponantur (cf. Is. 7, 21. 22; 34, 13. Mich. 3, 12). Philisthaei igitur, Dei inimici, deiicientur et evanescent; eorum spolia cedent in utilitatem populi Dei; « quae igitur haec tanta virtus aut quomodo istud fiet?... desiit iis irasci, condonavit eis delicta et rursus, ut quondam, Israelitis militat victoriamque de adversariis citra laborem largitur » (*S. Cyr.*). Haec scil. est lex Dei et norma inconcussa, ut populus Israel post castigationem et captivitatem instauratus inimicorum suorum spoliis augeatur (cf. Is. 14, 1. 2; 49, 18). Uti reliqui prophetarum, ita Sophonias quoque exsilium et captivitatem praedicit et postea instaurationem fore indicat (cf. Os. 2, 18; 3, 5; 14, 5. Am. 8, 8 etc. Mich. 2, 12. 13 etc.), et praeterea omnem aliorum regnorum fortunam et ruinam ad Dei regnum stabiliendum et propagandum fieri haud obscure innuit (cf. 2, 11; 3, 9). Ceterum de impletione notat *Theod.*: « in libris Machabaeorum invenimus et Ionatham et Simonem Gazam et Ascalonem et Ptolemaida vi cepisse et sub potestatem suam redegisse. At certum et indubitatum finem prophetiae post Salvatoris nostri ascensionem videre est »; etiam Accaron et fines eius in possessionem venerunt Ionathan (1 Mach. 10, 89; cf. 1 Mach. 11, 60-63) — alia vide Abd. v. 19. Gazam expugnavit et destruxit Alexander Iannaeus (*Iosephus*, Ant. 13, 13. 3; Bell. iud. 1, 4. 2; cf. *Lap. Ians. Calm. Reinke*).

In hebr. v. 6 legitur נְוֹת כְּרֹת רֹעִים; quid sibi velit כְּרֹת varie explicant; aliis est infin. a כָּרָה *fodere* i. e. funiculus ille, ora maritima erit in campos, ubi fodiunt pastores (?), ubi effodiunt pastores caulas in cryptis subterraneis ad vitandum solis aestum (cf. *Ros. Keil*); alii vocem exsistere volunt כֵּרָה, כָּרָה cum significatione *cisternae, foveae* (cf. *Ges.* Thes. p. 712. *Fürst* C.); alii cum significatione *campi* vel pascuorum (*Fürst* L. *Reinke*), vel *pabuli, ferculi* (cf. 2 Reg. 6, 23 hebr. *Schegg*); unde ora maritima in campos, cisternas vel foveas erit pastorum, vel in locum ubi cibos parant pabulumve praebent gregibus. LXX habent καὶ ἔσται Κρήτη νομὴ ποιμνίων; idem *Syrus*; unde כרת nomen insulae interpretantes, uti Philisthaeorum partem Cretenses, ita eam regionem Cretam appellari censuerunt. *Chald.* vero « domum mansionis » explicat. In significatione *fossae* adstruenda recentioribus iam *Mar.* praeivit, eaque et usu verbi כָּרָה spectato et commoditate pastorum maxime commendatur. Ita ager iste plenus cisternis pastoritiis et septis ovium describitur. *S. Hier.* vocem istam vexatam non tangit: dubito, an legerit; scribit enim: « ubi nos diximus *et erit funiculus maris requies pastorum* et omnes interpretes huic translationi congruerunt, scribitur in LXX: et erit Creta pascua gregis et ovile pecorum ». Certe sine ullo sensus dispendio ea vox poterit omitti; at quominus *certo* e textu eiciatur, LXX obstare videntur et *Syrus*, qui sane vocem similem, sed alio loco collocatam legerunt.

c) Iudicium in Moabitas et Ammonitas 2, 8-11.

Ab occidentali parte vates oculos dirigit in orientalem, ad Moab et Ammon, qui antiquis inimicitiis populo Dei infensi nulla non opportunitate potiebantur Israelitas maledictis, conviciis, iniuriis proscindendi. Quare v. 8. « *Audivi opprobrium Moab et blasphemias filiorum Ammon, quae exprobraverunt populo meo et magnificati sunt super terminos eorum* »; — quae in obsidione et expugnatione chaldaica adversus populum Dei peccarunt, tempore nostri oraculi nondum contigerant; quare verba haec quae praeterita facinora commemorant, non cum *S. Hier. Rib.* aliisque ad cladem extremam urbis referenda sunt, sed cum *Calm.* ad pristina illa et antiqua odia, quibus Israelitas saepissime persequi et affligere studuerint (cf. Num. 22. Iud. 3, 12; 10, 7. 1 Reg. 11, 1 etc. 2 Reg. 10. 4. Reg. 1, 1; 3, 5; 13, 20). Ex qua indole facile colligi potuit, quid acturi essent in expugnatione chaldaica. « Cum enim duarum illarum gentium antiquum esset odium in genus Iacob, si quid gravius illi contigisset, cum plausu excipiebant et sibilo et quasi alienum malum in suo deputarent lucro, sibi de alienis gratulabantur incommodis » (*Sanct.*). Convicia autem in populum Dei iacta merito ad vindictam revocantur a Domino: *audivi*; nam « cum directe Israelitas peterent irrisoriae voces, tamen in Deum quem Iudaeorum intuebatur religio, oblique ferebantur, cum dicerent aut infidelem esse Deum qui noluerit, aut infirmum, qui nequierit populum cui talia iam olim promisisset, defendere » (*Sanct.*

Superbiam eam et insolentiam etiam ultimum membrum ex hebr. [1] significat : fastuose, insolenter locutus est contra terminos Iuda, uti scite iam adverterunt *Ians. Rib. Mar. Men. Tir.* et ita intellige etiam *magnificati sunt* i. e. extulerunt se, cum irrisione et arrogantia contra terram Iuda se gloriabundi extulerunt. Quod alii de occupatione terrae Iuda explicant, vel in universum, vel tempore captivitatis Manassis, vel post expugnationem a Chaldaeis factam (cf. *S. Hier. Theod. M. Sanct. Calm. Schegg, Trochon*), et revera accidit et iam ab Amos eis exprobratur (Am. 1, 13) ; verum hoc loco phrasis hebr. aliud indicat, ut bene advertit *Ians.* : « secundum phrasin hebr. in Scripturis frequentem : magnificaverunt os vel linguam suam i. e. magnifice superbeque locuti sunt super terram Israelis ; quid autem dixerint, pulchre declarat simili plane phrasi Ez. 35, 10 » ; idem pluribus demonstrat *Rib.*

Sed iam olim Abraham patri et patriarchae dictum erat : « maledicam maledicentibus tibi » (Gen. 12, 3) idque posteris eius repetitum (Gen. 27, 29. Num. 24, 9) ; quare Deus *fidelis* sollemni asseveratione se vindictam capturum spondet v. 9 « *propterea vivo ego, dicit Dominus exercituum, Deus Israel, quia Moab ut Sodoma erit et filii Ammon quasi Gomorrha, siccitas spinarum et acervi salis et desertum usque in aeternum. Reliquiae populi mei diripient eos et residui gentis meae possidebunt illos* » ; — iurat per vitam suam i. e. uti certum est me vivere meque vi et potentia valere immensa, me esse *vivum* Deum, cum idola sint mortua, sint nihil, ita fixum ratumque est, interitum ignominia plenum imminere illis ; « *Dominus exercituum*, qui possum implere quod comminor, et *Deus Israel* qui in populo meo ipse patior iniuriam » (*S. Hier.* sim. *Sanct.*). Sodomaeorum ac Gomorrhaeorum exemplum, quo eversionem ac vastationem funditus fieri saepius s. literae indicant (cf. Deut. 29, 23. Is. 13, 19. Ier. 49, 18 ; 50, 40. Am. 4, 11. *Rib.*) , hoc loco eo magis sese offerebat, « quia duo hi populi, Moab et Ammon, iuxta mare mortuum habitabant, atque ideo spectabant quotidie triste illud monumentum et bustum pulcherrimarum antea civitatum, quas lacus ille mortuus oppleverat » (*Sanct.*) ; atque comminatio haec eo maioris ponderis erit censenda, quia « recusare non poterant, quominus occursarent oculis etiam securis et invitis in foetore intolerabili, in pestilenti habitu, in ambustis saxis ... vestigia quaedam non obscura coelestis incendii » (*Sanct.*). Vastitas illa proverbiali figura exprimitur : regio olim fecunda

1. Cf. גָּדַל hiphil ; quandoque additur *os* Abd. 12. Ez. 35, 13 ; saepius solum verbum adhibetur cf. Lament. 1, 9 (*vulg. erectus est inimicus*) ; Ps. 34, 26 *magna loquuntur super me*, item Ps. 37, 17 et Ps. 54, 13 in *vulg.* rite exprimitur *magna loqui* — praeterea vide Iob 19 ,5. Ier. 48, 26. 42 (*contra Dominum gloriari*). Dan. 8, 4. 8 etc.

iam erit arida, sicca [1], ut vix spinae nascantur ; aliud sterilitatis indicium est *fossa salis* (hebr. *Lap.*) ; cf. Deut. 29, 23. Ps. 106, 34 : « posuit terram fructiferam in salsuginem » ; « quod sequitur *desertae erunt* (*urbes*) *usque in aeternum*, aut destructionem regni eorum interpretabimur (quia postea subversae a Chaldaeis, regnum suum perdiderunt et deinceps vel ab Antiochis, vel a Ptolemaeis tentae, novissime romano imperio colla submiserunt), aut certe ὑπερβολικῶς dici accipiendum est : *lolam* (לעולם) quippe *aeternitatem* sonat et saeculum, ex quo et pro uno saeculo et pro aliquanto tempore et una aetate accipi potest » (*S. Hier.*). Id quidem verum est ; sed propheta interitum inimicorum Dei ob oculos habens eorum potentiam et conditionem florentem ita iri prostratum vaticinatur, ut nunquam ad statum redituri sint pristinum, dum e contra populus Dei ex ruina et clade servatus (*reliquiae*, *residui*) in nova quadam theocratia a Deo sit collocandus et spoliis inimicorum et dominatione in illos donandus et exaltandus. Pauca quaedam huius occupationis et dominii vestigia et initia cernere poteris cum *Rib. Ians. Sanct. Mar.* in iis, quae de Iuda legimus 1 Mach. 5, 6 seq. et quae *Iosephus* refert (cf. Ant. 13, 13. 5 ; 15. 4), verum prophetam non tam ea minora spectare, sed tempus messianicum, quo populus Dei reliquorum dominium tenebit (cf. Is. 14, 1. 2 ; 49, 23 etc.), et imperium spirituale ob oculos habere, ex v. 11 extra controversiam ponitur.

Vastitas vero et destructio eis obtingent pro superbia et insolentia : v 10 « *hoc eis eveniet pro superbia sua, quia blasphemaverunt et magnificati sunt super populum Domini exercituum* » ; — vide v. 8 *magnificati sunt* ; acriter invehuntur alii quoque prophetae in superbiam et fastum arrogantiamque Moabitarum, cf. Is. 16, 6. Ier. 48, 29. Ez. 25, 81 Am. 2, 1. Convicia illa et contumelias in Dominum esse iactata et populi Iuda calamitates quasi Domini impotentiam esse irrisioni habitas, addito illo *super populum Domini ex.* clare effertur. Quare Deus suae gloriae vindex et ultor exsistet. Potentiam enim inimicorum prosternens idola quoque eorumque cultum destruet, ut sui cognitionem et cultum ubique propaget. Unde de hisce suppliciis divinitus inflictis quam maxime valent verba cantici Hab. 2, 3 : « cum iratus fueris, misericordiae recordaberis » et Tob. 3, 13 : « cum iratus fueris, misericordiam facies » ; v. 11 « *horribilis Dominus super eos et attenuabit omnes deos terrae et*

---

1. Hebr. verte : erit *hereditas urticae* vel *possessio urticae*. Ita explicant vocem — מִשְׁקְ(?) Sensum eundem exprimit *Chald.* « locus carduis derelictus » ; *Syrus* vero : « planta corrupta est ». LXX legerunt ד pro מ : דמשק Δαμασκός. *S. Hier.* vocem explicavit ex צמק arescere ? cf. Os. 9, 14 *ubera arentia* ; 1 Reg. 25, 18 ; 30, 12, quos locos *Schegg* comparat.

adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulae gentium »; — hebr. proprie *emaciabit*, impotentes ostendet, penitus perdet *omnes deos terrae*; gentium enim regna totidem sunt idololatriae ac superstitionis fomenta et fulcra; quare illis destructis idolorum numen inane demonstratum est. Omnia vero supplicia et iudicia ad id provide a Deo dirigi docet vates, ut per universum orbem veri Dei cognitio spargatur et religio. Id autem ita fore docet, ut *viri de loco suo* i. e. in suis singuli locis et regionibus *Deum adorent* suppliciter et sacri cultus officia obeant. *Insulae gentium* de regionibus longinquis longe lateque per maria dissitis dicuntur, cf. Gen. 10, 5. Ps. 71, 10. Is. 11, 11; 24, 15; 42, 4. Ier. 31, 10. Ez. 27, 3 etc.

Proinde apertum hic proditur vaticinium, Dei cultum, adorationem, sacrificia, quae in vetere testamento uno in templo hierosolymitano rite fiebant, iam novo rerum ordine fore omni in loco et consequenter vetus foedus esse abolendum, quod ad unum populum et sanctuarium unum referebatur; eius in locum successuras esse omnes gentes atque tot fore sanctuaria, templa, quot per universum orbem regiones inveniantur. Fore ut desinat unum illud sanctuarium aliaque aliis in terris rite iri consecratum, iam etiam Is. 19, 18. 19 indicatur et aperte describitur Mal. 1, 11. Qui loci etiam propterea notatu dignissimi sunt, quia docent, quomodo alia vaticinia, fore scil. ut omnes gentes veniant ad montem Sion, ascendant in Ierusalem, *non* sint intelligenda, non ita videlicet, quasi omnes more Israelitarum in montem Sion vel urbem sanctam convenirent (cf. Mich. 4, 1 seq.). Dei cultum ubique dilatatum et ubique exercitum hisce verbis declarari, veteres unanimiter agnoverunt (cf. *Cyr. Theod. Hier. Theod. M. Rib. Mar. Ros. Calm.* etc.). Frustra aliqui recentiores (*Fr. Ad. Strauss, Keil, Trochon*) eam explicationem tollere student supplentes *viri de loco suo venientes in Ierusalem*; sed quo pacto ea ingerunt in textum, quorum ne minimum quidem adest vestigium? ubi enim in toto hoc vaticinio Ierusalem fit mentio? et quis perspicuam illam ac limpidam sententiam: « unusquisque ex suo loco adorabit Dominum » mutari licere sibi persuadebit in hanc: adorabit Dominum, cum ex suo loco accesserit ad Iudaeos? Haec iam non est interpretatio, verum perversio verborum sensusque in peregrina distortio.

d) Iudicium in Aethiopes et Assyrios 2, 12-15.

Gentibus perlustratis, quae occidentem et orientem versus prope accolebant, vates iam mentem oculosque dirigit ad meridiem et septemtrionem

gentesque longe dissitas, ut tali enumeratione *Dominum* ostendat totius orbis Deum, qui non, ut dii gentium, unius populi finibus includitur, verum omnibus summa potestate praeest. Quare prius illius gentis mentio fit, quae in remotissimis recessibus ex Iudaeorum opinione erat recondita (cf. Is. 18, 2 post quem non est alius?) v. 12 « *Sed et vos, Aethiopes, interfecti gladio meo eritis* » ; — de gladio Domini cf. Is. 27, 1 ; 34, 5; 66, 16. Aethiopes inter copias Aegyptiorum haud raro recensentur (cf. 2 Par. 12, 3 ; 16, 8. Nah. 3, 9. Is. 20, 4. Ier. 46, 9); ante Psammetichum tres reges Aethiopes, quorum praecipuus erat Tharaca (cf. 4 Reg. 19, 9. Is. 37, 9), Aegypto dominati erant ; quare simul cum iis Aegyptios intelligere licebit ; neque a vero aberrabimus, si simul cum Aegyptiis etiam Aethiopes a Nabuchodonosore victos asseruerimus. Chaldaeos enim tamquam suorum iudiciorum exsecutores a Domino missos esse, a Ieremia discimus (Ier. 25, 9. 11). Aliam autem eamque subliniorem victoriam Dei de Aethiopibus reportandam, ad quam etiam tendit clades a Sophonia iis praedicta, lege apud Is. 45, 14. Ps. 67, 32.

Dein Sophonias eidem regno et urbi, cui Nahum, excidium a Deo constitutum denuntiat, quod aeque per Chaldaeos est effectum v. 13 « *et extendet manum suam super aquilonem et perdet Assur ; et ponet speciosam in solitudinem et in invium et quasi desertum* » ; — cum exercitus Assyriorum et Chaldaeorum a parte aquilonari in Iudaeam venirent, factum esse videtur, ut ipsa ea regna a prophetis simpliciter in aquilone collocarentur neglecta accuratiore determinatione situs. In hebr. legitur *optativus*, ita ut propheta simul cum vaticinio suum exprimat desiderium, suam precationem, ut Dominus hostes insultantes demum prosternat et immensam idololatriae pompam deiiciat (cf. Nah. 3, 4 etc.). In hebr. legitur : *et ponat Niniven*, uti etiam habent LXX, *Syrus Chald.* et *S. Hier.* quoque agnoscit, qui tamen hoc loco interpretationem ex etymologia *hebraica* [1] petitam (cf. נָוֶה, נָוָה *decorum, amoenum*) ponere maluit : « quia Ninive *speciosa* interpretatur » (vide etiam prolog. in Naum ; *M.* 25, 1231). Cur autem urbis praecipuae meminerit propheta, *Sanct.* declarat : « est autem familiare prophetis, ut cum in provincias grave aliquod vaticinium intorquent, illarum caput et regiam sedem appetant ; quia ibi quodammodo civitates reliquae continentur ». In hebr. *ponat. . . in solitudinem, siccam ut desertum* i. e. regio non solum erit vastata et derelicta, sed sterilis, arida, cuivis cultui inepta.

Hanc autem vastitatem et solitudinem propheta per singula depingit accuratius, quo magis omnium animis oculisque subiiciat ingens discri-

---

1. Apud Assyrios urbs vocatur Ni-nu-a, Ni-na-a ; accadico vero testo *Strassmaier* scribitur : o (s) nûnu : domus piscis cf. נוּן ; ergo domus idolo piscium consecrata? cf. Nah. 2, 8

men inter metropolis pompam immensam et ruinam futuram v. 14 « *et accubabunt in medio eius greges, omnes bestiae gentium et onocrotalus et ericius in liminibus eius morabuntur, vox cantantis in fenestra, corvus in superliminari, quoniam attenuabo robur eius* » ; — ubi superbaerant et magnifica palatia, ferae solitudinis et deserti morabuntur (cf. Is. 13, 21 ; 34, 11) ; *bestiae gentium* i. e. pecora vicinarum tribuum vel gentium (cf. *Alb. Rib. Lap. Men. Mar. Tir.*) et textus latinus commode ita intelligitur ; LXX praebent τὰ θηρία τῆς γῆς et sim. *Chald.* — *Vox cantantis* i. e. aves occupabunt ea, quae ex palatiis reliqua sunt, in foraminibus ruinarum nidificabunt ; notat *S. Hier.* onocrotalorum esse duo genera, aliud aquatile, aliud solitudinis. De *corvo* idem advertit : « quod et nos et LXX similiter transtulimus, in hebr. ponitur *hareb* (חרב), quod secundum lectionis diversitatem vel *siccitas*, vel *gladius* vel *corvus* accipitur ; unde et Aquila *gladium* [1], alii siccitatem interpretati sunt » ; verum חֹרֶב est *desolatio, vastitas* ; *corvus* vero עֹרֵב.

Hebr. כָּל־חַיְתוֹ־גוֹי est lectio mira et, ut videtur, falsa. Commoda enim explicatio, quae et grammaticae et sensui conveniat, dari nequit. *Keil* explicat : *omnis generis animalia turmatim* ; sed quomodo probabit גוֹי unquam esse *turmatim* ; neque Ioel 1, 6 neque Prov. 30, 35 ullo pacto similem suadent interpretationem ; ibi enim nomen hoc de locustis dicitur, quae tamquam gens et multitudo magna irruunt, hic עָם adhibetur de populo formicarum, quae quandam inter se civitatem constituant ; optime sane ; sed quid ad nostrum locum ea exempla conferant, haud facile dixeris. Alii interpretantur : *omnia animalia gentis*, idque volunt significare : omnis generis animalia gregalia i. e. ferae omnes, quae *gentem* solent facere, quae gregalia sunt et socialia ; sensus utique tolerari potest ; sed quomodo verba hebr. ad eum sensum referantur, frustra explicaveris. Etiam minus placet, quod placuit *Schegg* : omnia animalia gentis i. e. Iudaeorum, Iudaeos scil. esse adducturos greges suos in regionem Ninives, uti v. 7 dicuntur eos pascere in finibus Philisthaeorum. Verum quis credet, prophetam id innuere velle, pastores Iudaeorum usque in Niniven esse perrecturos ? Dein difficile tibi persuaseris, גּוֹי h. l. de Iudaeis dici, neque id ullo modo ex. v. 1. 9 consequitur ; ibi enim sensus ex contextu et membro parallelo manifestus est, hic vero minime. חַיְתוֹ cf. Gen. 1, 24. Num. 24, 3. 15. Ps. 114, 8 etc. — vide *Olshausen* (Lehrbuch der hebr. Spr. § 123 e). — Pro *liminibus* hebr. verte *in corollis*, vel *capitulis columnarum* cf. Am. 9, 1. Ultimum demum membrum in textu *mas.* explica : *cedrum eius* vel *opus eius cedrinum nudavit* i. e. tabulata cedrina et structuras cedrinas Deus vel hostis deiiciet et perdet (cf. *Rib. Lap. Calm. Reinke*). *S. Hier.* literas similes legit אַרְזָה עֻזָּהּ *attenuabo robur eius* cf. v. 11 pro אַרְזָה עֵרָה ; verum nomen אַרְזָה hoc tantum loco invenitur et explicatio eius solum coniectura probabili fieri potest (cf. *Ges.* Thes. 148).

1. Idem etiam *Sym.* transtulit secundum cod. syr. hexapl. ad h. l. — Etiam *Syrus*, ut videtur, praebet *gladium* חרבא, quamvis vox haec teste *Bernstein* etiam translate de vastatione ac depopulatione dicatur ; propria vox pro vastatione est חורבא. Idem valet de syriaca versione Agg. 1, 11.

Urbs olim nobilissima et maximi imperii caput ad tam vastam tristemque solitudinem est redactum! Quam rerum conversionem, quae sit mutatio dexterae Domini, ut attente perpendant, vates ipsa longiore considerationis norma invitat v. 15 « *haec est civitas gloriosa habitans in confidentia, quae dicebat in corde suo : ego sum et extra me non est alia amplius. Quomodo facta est in desertum, cubile bestiae! Omnis qui transit per eam, sibilabit et movebit manum suam* » ; — hebr. *haec est urbs exsultabunda* i. e. agens tripudia, laetis clamoribus et victoriis gestiens atque lasciviens. Fastum vero et superbiam, quibus divinos sibi honores viresque arrogabat, optime delineant verba : *ego sum...* cf. Is. 47, 8; sibi enim ad omnia sufficere existimavit, se esse unicam, nullamque urbem dignam, quae secum comparetur (cf. *Theod. M. Rib. Sanct. Men.*), reliqua omnia esse flocci nihilique pensanda, uti arrogantissimorum spirituum est loqui. Ad rem advertit *Sanct.* : « cum amplificare volumus alicuius ruinam, illius antiquae fortunae ac maiestatis recordamur, quae quo altiores fuere, eo gravior apparet et miserabilior ruina ». De ea obstupescens et tam repentinum casum admirans dicit : *quomodo...* quod « non est interrogantis et discere cupientis, sed mutationem potius insperatissimam admirantis » (*Cyr.*). *Sibilabit* cf. Mich. 6, 16. Ier. 19, 8. De eius ruina omnes cum irrisione et subsannatione exsultabunt; tyrannide enim sua omnes sibi inimicos reddidit, ita ut casus eius omnibus sit laetitiae (cf. Nah. 3, 7).

Hebr. אַפְסִי adverbii loco videtur significare, ut *Olshausen* (Lehrb. d. hebr. Spr. §. 222) statuit : *non amplius, praeterea non, tantum*. Fortasse ita explicari potest : אֶפֶס est *finis, terminus* ; inde facile derivatur significatio *negationis* vel *desinendi*, quae saepe usuvenit cf. Deut. 32, 36. Iob 6, 7 (*vulg.* : absque ulla spe); Prov. 26, 20 (*vulg.* : cum defecerint בְּאֶפֶס); Dan. 8, 26 (*vulg.* : sine manu); 2 Reg. 14, 26 etc. quare simpliciter verti potest *nihilum* v. g. Is. 34, 12 *erunt in nihilum*; 40, 17; 41, 12. 29. Forma vero אַפְסִי cum iod paragogico quod vocant non caret analogia (cf. *Olshausen* l. c. §. 123 d). Inde sensus eius locutionis efficitur : *ego et iam nihilum*, vel *ego et nihil amplius* i. e. ego sola sum et praeter me nihil exsistit, quod sit consideratione dignum. Quare versio *S. Hier.* sensum refert, sed forte eum nimis restringit ad comparationem cum alia urbe instituendam. Verba potius eam spirant arrogantiam, qua sibi soli omnem vim, virtutem, sufficientiam attribuat et ita se pro numine divino esse habendam declaret. Atque talis acceptio etiam ad Is. 47, 8 optime est accommodata. *Syrus* : non est iterum sicut ego i. e. nulla praeterea civitas similis est mihi. LXX οὐκ ἔστι μετ' ἐμὲ ἔτι.

e) Iudicium in Ierusalem 3, 1-5.

Si Deus scelera gentium ultione prosequitur, quanto magis censeri debet animadvertere in populi sui urbisque electae iniquitatem? Quare

sermo propheticus ita ad Ierusalem convertitur, ut statim prima voce gravitas iudicii poenaeque magnitudo efferatur 3, 1 « *Vae provocatrix et redempta civitas, columba* » ! — i. e. vae urbi, quae Dominum ad iram provocare non cessat ; « quae dulcem et misereri volentem in amaritudinem provocavit » (*Alb.*) eiusque iram et vindictam serie scelerum continuata in se assidue incitat ; culpa vero augetur, quia sit *redempta* civitas, quam Dominus e servitute in libertatem saepius redemerit, quae proinde iam sola tanti boni gratitudine Domino devinciebatur, verum quae sicuti *columba* vecors, seducta, non habens cor (cf. Os. 7, 11) stupet (cf. *Ians. Rib. Lap. Sa, Men. Tir. Gord. Schegg*). Alii *columbae* titulum, tamquam laudis praeconium ad tempora anteacta feliciora referunt (cf. *Hier. Alb.*), vel ita, ut sit amica sponsae appellatio, uti in Cant. Canticorum saepius adhibetur (*Sanct.*), vel ut ad pulchritudinem referatur ; « quanta eius pulchritudio erat ! hoc enim denotat columbae vocabulum, quod animal videtur inter aves apprime delectabile et cum dignitate incedens » (*Theod. M. Theod.*) ; addit *Cyr.* dici fortasse propterea quoque columbam, quia uti columba quamvis remotissime a dulcissimo sibi nido asportata sit, tamen ad sua revolare et reverti soleat opportunitatem nacta, ita populus quoque ab Aegypto eiusque superstitione avolaverit.

Aliter in hebr. Et ad primum quidem adnotat *S. Hier.* : « significantius hebraice dicitur *mara* i. e. παραπικραίνουσα ; quod nos possumus dicere Deum amarum faciens, id est, tuo vitio dulcem Dominum atque clementem vertens in amaritudinem, ut qui misereri vult punire cogatur ». Igitur legit מראה, uti legunt apud *de Rossi* « plurimi Kenn. ac mei ; eminent inter meos hispanici non pauci » etc. (Scholia critica s. supplementum ; p. 92), verbumque hoc significatione transitiva derivavit a מר, nisi malueris coniectare, eum ממרה legisse (a מרר, partic. *hiph.* vel idem a מרה, cf. Ps. 106, 33 ?). Textus *mas.* fert מֹורְאָה ; LXX vertunt ἐπιφανής ; quare vocem hebr. a רָאָה particip. *hophal* explicasse videntur : urbs quae conspicitur ; sim. *Syrus* : urbs nota, celebris. Hodie vocem simplicius explanant particip. *qal* a מרא—מרה *esse rebellem et contumacem* (cf. Num. 20, 24 *vulg. incredulus fuit* ; 27, 14 *vulg. offendere* ; 1 Sam. 12, 15 *vulg. exasperare* ; 1 Reg. 13, 21. 26 *vulg. inobediens fuit* etc. etc.). Unde *civitas rebellis* vel *contumax* dicitur : apta populi durae et ferreae cervicis appellatio, qui toties ad Dei obedientiam revocatus iterum iterumque servituti divinae aperta rebellione sese subtraxit. *Chald.* notionem *festinationis* ibi exprimit ; an igitur מרא explicavit, uti Iob 39, 18 accipi solet *se ad cursum incitare* ? Secundum epitheton veteres concorditer explicant de redemptione, liberatione ; ita LXX, *Syrus*, *S. Hier. Chald* ; verum iam *Rib. Lap. Mar. Calm.* monent, apte vocem גאל altera capi significatione *inquinare* ; unde civitas illa rebellis dicitur *inquinata, foedata* (cf. Is. 59, 3 *vulg. pollui* ; 63, 3 *vulg. inquinare* ; Lament. 4, 14. Mal. 1, 7. 12) ; quae appellatio et optime ad antecedens adnectitur et ad sequentia convenit. Tertium enim epitheton יוֹנָה participium est verbi יָנָה *ferociens, saeviens* (cf. *Rib. Lap. Mar.*), quod verbum frequentius in *hiphil* invenitur *violenter tractare, opprimere* (v. g. Ex. 22, 20 *vulg. contristari* ; Lev. 19, 33 *vulg. exprobrare* ; Deut. 23, 17. Ier. 22, 3. Ez.

18, 7. 12; 22, 7 *vulg. contristari*; 22, 29 *vulg. affligere* etc.). Eodem modo *non columbam*, sed gladium intellige *saevientem* Ier. 25, 38; 46, 16; 50, 16. *Chald.* explanat: « urbs, quae iram multiplicat »; LXX expresserunt *columbam*; *Syrus* urbem Ionae intellexit, de qua re vide *Theod. M.* et *Lap.* Quamvis *Theod. M.* multis in Syrorum de urbe Ionae explanationem invehatur et LXX acriter tueatur, tamen de urbe Ninive esse sermonem vult. Alterius acceptionis quorundam meminit *S. Hier.*, Iona esse idem ac Iavan i. e. Graeciam: a facie gladii Graeciae. — *Reinke* statuendum censet nomen יוֹנָה *violentia, oppressio.*

Iam quam merito urbs vocetur *rebellis* vel *contumax*, *foedata*, *saeviens* vel *ferociens* (cf. hebr.), propheta per singula proponit; et primo quidem urbis rebellionem et contumaciam in omni vivendi ratione vituperat: v. 2 « *non audivit vocem et non suscepit disciplinam; in Domino non est confisa, ad Deum suum non appropinquavit* »; — i. e. voci et mandatis Dei non aures praebuit neque institutionem Dei per legem et prophetas traditam opere et vita suscepit vel expressit. Ita in communi vitae ratione legis praescripta abiecit. Et si ab hostibus opprimebatur, spem salutis non in Deo adiutore collocabat, verum ad exterarum gentium foedera et auxilia expetenda diffluebat; « sicut scriptum est: Aegyptum invocabant, ad Assyrios abierunt » (Os. 7, 11. *Cyr. Rib.*) vel misisti legatos tuos procul (Is. 57, 9. *Sanct. Lap.*). Ita in vitae ratione privata, civili, publica Deum *suum*, qui tanto studio omnibus providens maximam urbis dilectae curam gerebat semperque offerebat, negligebat et ad eum *appropinquare* i. e. ei se adiungere, eum implorare, eius cultui atque obedientiae se addicere nolebat, sed eum tamquam alienum aliquid intuebatur (*Sanct.*). Ita foederis initi maxima cernitur violatio; foedus enim magnam cum Deo dicit unionem, quae connubii spiritualis imagine saepius exprimitur. Erat igitur populus undequaque sponsa Domini rebellis, contumax uxor. Quantopere fuerit *saeviens*, explicatur v. 3 « *principes eius in medio eius quasi leones rugientes; iudices eius lupi vespere, non relinquebant in mane* »; — i. e. qui ordinem rectum et iustitiam tueri ex munere et dignitate debebant, quam maxime saevitiem et oppressionem exercebant; « principes quasi leones semper versabantur in praedis et ad effundendum sanguinem subiectorum » (*S. Hier.*); feroces ac saevi sunt leones; rugientes omnibus bestiis terrorem ac horrorem incutere dicuntur (cf. *Cyr. Rib.*); *iudices*, qui vi nominis et muneris ius dicere debebant et suum cuique attribuere, rapiunt, mactant, praedam agunt; *lupi* sunt *vespertini* [1] (cf. Hab. 1, 8), « qui avidiores sunt propter diurnum ieiunium » (*Alb. Ians. Rib. Lap.*)

1. LXX etiam h. l. praebent *lupos Arabiae* cf. Hab. 1, 8. Notat *S. Cyr.*: « aiunt lupos in Arabia feris omnibus immaniores esse, vexarique fame inexplebili, ad cursum autem adeo celeres, ut facile quemvis insequentem antevertant ».

« ad rem conficiendam celeres, ut una eademque die cuncta concidant, nihilque non confectum in posterum relinquant » (*Theod. M.*); ita scil. voraces sunt et tanta aviditate cuncta absumunt, ut ne os quidem unum in diem subsequentem relinquant (cf. hebr. גֵּרְם[1]). Ad tropum cf. Prov. 28, 15 (19, 12; 20, 2). Eccli. 4, 35; 27, 31; 28, 27. Ez. 19, 3; 22, 25. Nah. 2, 12 — Gen. 49, 27. Ier. 5, 6. Ez. 22, 27.

Tertio proponitur, quantum civitas sit *foedata* et profanatione polluta v. 4 « *prophetae eius vesani, viri infideles; sacerdotes eius polluerunt sanctum, iniuste egerunt contra legem* »; — pseudoprophetae, quibus avide aurem praebent (cf. Mich. 2. 11 hebr.), « insanientes, sive stupentes, quod Aquila transtulit θαμβευταί, loquebantur quasi ex ore Domini et omnia contra Dominum praedicabant » (*S. Hier.*). Propria vocis hebr. vis est *ebullire*; unde homines notantur protervi, lascivi, iactatores. Veri prophetae a spiritu Dei aguntur; falsi illi suis cupiditatibus et arrogantia et superbia circumferuntur; illi fideliter Deo adhaerent eiusque voluntatis interpretes sunt fidi; hi *viri infidelitatum* vel *perfidiarum* (hebr.), qui mendaciis alios seducunt et a Deo avertunt. Sacerdotes res sacras indigne tractant; *sanctum* i. e. quidquid sanctum est et ad Dei cultum pertinet — non solum templum vel sanctuarium, ut volunt *Rib. Lap. Mar. Men.* — profanatione, sceleribus vitiant atque polluunt et tantum abest, ut « labia sacerdotum custodiant scientiam » et legem doceant (cf. Mal. 2, 7), ut *legem opprimant*, ei vim inferant ac violentiam (hebr.) i. e. legis sacram observantiam in se et in aliis omnino exstinguant et suffocent. Iam si ipsum « genus electum » (*S. Cyr.*) et ad sacra tractanda institutum adeo a vero tramite recessit, quid de plebe dicendum erit?

Talis autem primorum ordinum corruptio vindictam Dei provocat v. 5 « *Dominus iustus in medio eius, non faciet iniquitatem; mane, mane iudicium suum dabit in lucem et non abscondetur; nescivit autem iniquus confusionem* »; — scelera enim illorum augentur, cum illa perpetrant Domino in medio eorum, in templo versante, quem testem, iustum iudicem et vindicem non verentur. At sicut Deus populum, urbem, templum sibi elegit, ut essent oculi eius ibi et cor, ut speciali cura, dilectione, favore eos complecteretur, ita eundem si spreverint et coram eo ius legemque conculcaverint, experientur *iustum*, qui *non faciet iniquitatem* i. e. qui scelera illa impune abire minime patietur; « videtur enim quoddam genus improbitatis, peccatorem supplicio non subiicere nec poenas exigere ab eo, qui vitam suam nefarie et impie instituerit »

1. Explicant scil. aliqui גֵּרֵם *excossare, ossa rodere*; cf. Num. 24, 8. Ez. 23, 34. LXX habent οὐχ ὑπελίποντο, quam versionem approbant *Ges. Hitz. Reinke.*

(*S. Cyr.*); *minus* dicitur, quo maiora efficacius innuantur, ac si dicam : Deus non silebit, non quiescet. Tamquam *iustus* omnia ad iustitiae legisque normam et trutinam revocabit. Idque eo magis, quia *mane, mane* i. e. quovis mane, singulis diebus id quod rectum et iustum est, normam scil. iusti et legis publice palamque proponit ac promulgat. Nobiles enim illi peccatores non ex ignorantia legis peccant : adest lex, quam bene norunt, et Deus prophetas mittit assidue qui tamquam eius interpretes et legati legis observantiam urgent. Ita ius vel *iudicium* Domini, id quod Dominus fieri vult, *non est absconditum*, verum in luce meridiana prostat. At iniquus et impius « dura fronte est, iustissimas Dei querelas, prophetarum ore pronuntiatas, non audit » (*Calm.*), neque si vitam scelestam cum legis norma comparaverit, ullo pudoris sensu tangitur (cf. Ier. 3, 3 ; 6, 15 ; 8, 12). Culmen et fastigium pravitatis est de pravitate iam non erubescere.

Alii *iudicium* accipiunt de castigatione a Deo infligenda ; atque ita quidem, ut *mane* explicent : manifeste, palam, absque ulla ambiguitate faciet iudicium de urbe (cf. *Hier. Cyr. Tir. Calm.*) ; vel : magna celeritate, absque mora poenas ab ea repetet et vindictam suam omnibus propalam faciet (cf. *Theod. Theod. M. Alb. Barh. Ians. Rib.*). Sed repetitio illa ac geminatio distributionem significat, uti res est nota ex grammatica hebr. (cf. Ex. 16, 21. Lev. 6, 5. Ps. 87, 5). Ita rem rite concipiunt *Montanus, Pagninus, Clarius, Vatablus* aliique quos citat et sequitur *Sanct.* et praeter eos *Lap. Sa, Mar. Men. Schegg, Reinke.* Describitur scil. Deus *fidelis*, qui nunquam non populo suo adest hortator et in medio populo sedem suam stabilem figens tamquam Deum vivum se manifestat. Praeclara haec de Deo notio simul vindicem et ultorem scelerum illustrat, qui e sede sua in templo poenas transgressoribus infligit.

f) Urbs frustra admonita punietur 3, 6-8.

Quanta animorum obduratione impietati et iniquitati inhaereant, non solum ex eo elucet, quod continuas prophetarum monitiones spreverint (3, 5), verum inde quoque colligitur, quod divinis iudiciis, quibus gentes vicinae afflictae erant et prostratae, ad meliorem frugem nullo modo revocati sint. Deus enim saepius se iniquitatum vindicem manifestavit; v. 6 « *Disperdidi gentes et dissipati sunt anguli earum; desertas feci vias eorum, dum non est qui transeat; desolatae sunt civitates eorum non remanente viro neque ullo habitatore* » ; — bene *Gord.* : « tacita apostrophe est ad populum iudaicum, quasi dicat : disperdidi gentes multas propter similia peccata ; debuisset Iuda hoc exemplo sapuisse ». Nationes disiectae et superatae interierunt ; *anguli* i. e. turres et munitiones (cf. *Cyr. Ians. Rib. Lap. Reinke*), arces etc. quibus securitas po-

puli et defensio potissimum constare videtur, etiam deiecta sunt (de voce cf. 1, 16). In viis desertis et civitatibus destructis, quae sint sine habitatore ruinae, testimonia exhibentur perpetua divini iudicii, quibus hominum animi salutari timore percellantur. Talia sane efferre vult propheta divinae castigationis exempla, quae Iudaeis nota erant; quare cogita de destructione pentapoleos, de exstirpatione Chananaeorum, Amalecitarum, de cladibus Moabitarum, Assyriorum sub Ezechia (cf. *Ians. Sanct.*) et praeprimis de vastatione et ruina regni israelitici, quibus omnibus Deus ultorem se praestitit. Ad haec iudicia illustranda vide, quae Is. 14, 29; 16, 14; 17, 1. 9; 19, 2; 20, 4; 23, 1 praeterea enumerantur.

Hisce et certe cumprimis regni israelitici clade Iudaei debebant erudiri v. 7 « *dixi: attamen timebis me, suscipies disciplinam et non peribit habitaculum eius propter omnia in quibus visitavi eam; verumtamen diliculo surgentes corruperunt omnes cogitationes suas* »; — i. e. Deus more hominum loquitur, qui ex signis et causis coniectare solent futura: in illis iudiciis infligendis ita mecum cogitavi: forsitan timebit me Ierusalem et ad meum cultum reversa legis disciplinam sanctamque observantiam in se suscipiet, ne illud a me detrimentum patiatur, quod aliae nationes, quarum imitata est consuetudinem, subierunt. Ita fieri poterit, ut non deleatur urbs, sed ut effugiat cladem, quam iampridem advocat morum intemperantia (*Sanct.*). Atque non solum « ipsa intentione flagelli » (*Alb.*) ita Deus ad populum exhortatione locutus est, sed per prophetas quoque eadem testatus est et « ut data monita reciperetis denuntiavi, nunquam vos, si ita vos gesseritis, me destructurum neque a locis quae ego aspectu meo digna iudico, expulsurum » (*Theod. M.* — *Ians.*). *Propter omnia...* i. e. habitaculum tuum non capietur, non evertetur Ierusalem propter peccata, quorum causa eam hactenus punivi; contentus ero poenis, quas de te hactenus sumpsi; si resipueris, scelera anteacta iam ultra non nocebunt (cf. *Rib. Men.*). Saepius enim considerantur omnia populi peccata, quibus ab initio egressus ex Aegypto Deum offenderat, quasi in unum collecta et ruinam illam extremam attrahentia (cf. Ez. 20, 5 seq.). Sed cum in hebr. locutio sit generatim adverbialis, neque determinata illa praepositio *propter* habeatur, sententia simplicius magisque obvio modo ita fortasse erit concipienda: *habitatio eius* (scil. populi) i. e. Ierusalem *non exscindetur* conditione impleta, *secundum omnia quae de illa constitui* vel ordinavi. Attamen illi aliorum castigatione minime sunt eruditi; e contra magis magisque pessimis studiis exarserunt; cf. Ez. 23, 11: « quod cum vidisset soror eius Ooliba, plus quam illa insanivit libidine». *Diluculo surgere* i. e. « mane surgere ad faciendum est summa cura et diligentia facere et maturare, ut sine ulla mora primo quoque tempore fiat » (*Rib.* — *Sanct.* cf. Ier. 11, 27; 25,

3. 4; 26, 5; 29, 19; 35, 15. Os. 6, 1); ergo summo studio *corruperunt omnes actiones suas* (hebr. de voce cf. Is. 12, 4. Ps. 9, 12 *vulg. studia eius* et idem Ps. 14, 1 hebr. etc.).

Cum igitur Dei longanimitate abusi sint, iudicio eo quo Deus orbem castigare decrevit etiam ipsi involventur; redit propheticus sermo ad initium 1, 2. 3 et finem sermonis prioris 1, 18 : v. 8 « *quapropter exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meae in futurum, quia iudicium meum, ut congregem gentes et colligam regna et effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei; in igne enim zeli mei devorabitur omnis terra* »; — minitantis est vox *exspecta me* scil. certissime experieris me vindicem et iudicem illo die, quo quiete et longanimitate seposita *surgam* ad vindictam capiendam; dicitur enim Deus *surgere* vel *exsurgere*; hebr. קוּם, quando magnum aliquid efficiendum est cf. Ps. 3, 7; 7, 7; 11, 6; 16, 13; 67, 2; 73, 22; 75, 10 etc. Bene rem expendit *Sanct.* : « *resurgo*... et similia studium indicant eius, qui se ad aliquid virili atque strenuo pectore suscipiendum accingit et quietis impatiens ac immemor nullum sibi laborem aut periculum declinandum putat ». Hoc loco sermonem esse de eo, quod Deus ad iudicium sese accingat et ad ultionem capiendam de sceleribus populi, non poterit in dubium vocari propter antecedentia; neque consequentia aliud suadent. Deus enim iudicii particularis rationem affert *generalem* illam, quia sibi constitutum sit omnia omnino, quae peccatis inquinata sint, ultione persequi; cf. 1, 2. 18.

In hebr. legitur קוּמִי לְעַד; notat *S. Hier.* : « ubi nos transtulimus *in die resurrectionis meae in futurum*, omnes interpretati sunt *in testimonium*. Hebraeus qui me in Scripturis instituit asserebat *laed* in praesenti loco magis εἰς ἔτι i. e. *in futurum* debere intelligi »; est scil. עַד, *aeternitas, perpetuitas* cf. Is. 57, 15. Hab. 3, 6 etc.; עֵד *testis* vel *testimonium*. Verum neutra significatione hoc loco erit utendum, sed illa demum, quam advocandam esse iam monent *Pagninus, Vatablus, Clarius, Mar. Calm.* : in die quo surgam *ad praedam*[1], ad spolia capienda cf. Gen. 49, 27 *mane comedet praedam*; Is. 33, 23 *spolia*. Dies enim iudicii est dies victimae Domini, dies quo caesis hostibus spolia eorum Domino consecrantur cf. Soph. 1, 8. Is. 34, 6; 49, 24; 53, 12; 63, 6. Atque eo aptius id dicitur, quia iudicio illo tempus praeparatur messianicum et homines ad Dei cultum traducuntur cf. 2, 11. Idem proinde asseritur, quod contigisse praedicatur in arcae translatione Ps. 67, 19; illa enim praeda Domini ipsi sunt homines eius religioni felici servitute mancipati talisque praeda digna est Domino.

Verba graeca et latina : εἰς ἡμέραν ἀναστάσεώς μου, *in die resurrectionis meae*

1, Cum qua explicatione alia fere concordat : ad aggressionem vel ad pugnam, quam h. l. amplectuntur *Ewald, Reinke.*

ansam dederunt explicationi de Christi resurrectione cf. *S. Hier.* (in tertia expositione) *S. Cyr.* (in mystica explanatione), *Eusebius* in demonstr. ev. 2, 17 (*M.* 22, 108), *S. Augustinus*, Civ. D. 18, 33 (*M.* 41, 592), quos sequuntur *Ians. Rib. Lap. Sa, Tir. Gord.*; alii de resurrectione ante iudicium universale explicant cf. *Men.* — Verum ita textum nullo modo posse accipi, iam suis expositionibus docuerunt *Theod. Alb. Sanct. Calm.*, quamvis hi quoque non in una aliqua sententia conveniant. Deum scil. surrecturum ad iudicandum, rite explanant *Theod. Calm.*, ad liberationem populi vel ad auxilium ei ferendum *Cyr. Theod. M. Alb. Sanct.*, ita ut liberatio promittatur ex exsilio babylonico. Sed verba haec esse consolatoria, minime fieri potest consideratis iis, quae immediate et antecedunt et consequuntur, quaeque iram Dei et vindictam spirant; insuper attende v. 8 *quapropter* i. e. quia omni conatu studia sua pessime corruperunt, ideo surget Dominus; sed ad quid? certe dicendum est cum *Chald.* « ad iudicandum ».

TERTIA PARS 3, 9-20.

ARG. — Iudicia Dei eo tendunt, ut cultus Dei uniusque religionis concordia ubique constituatur. Tunc Iudaei quoque e dissitis regionibus redibunt; ablata erit omnis iniquitas, omnis quoque pompa et magnificentia humana; Dei enim populus pauper erit et egenus, in Deum sperans, sanctus, pace securus (3, 9-13). Inde Sion magna laetitia perfundetur; amotis enim hostibus Dominus erit rex et protector eius, qui in Sion sibi complacebit : lugentes ipse consolabitur, oppressores disiiciet, populum suum gloria et honore apud omnes exaltabit (3, 14-20). —

Ita Sophonias tempus messianicum delineat: adsunt ea quae apud alios quoque prophetas fere constituere solent tempus messianicum, scil. cultus Dei universalis, dispersorum congregatio, vera sanctitas, pax, securitas, gaudium et exsultatio in Domino, victoria de hostibus etc.; sed imprimis in hoc vaticinio duo notanda sunt : populum messianicum ablata omni pompâ fore pauperem et egenum (3, 12) et eos solum iri congregatum ex Iuda, qui *lugeant* de sollemnitate ablata, i. e. qui mente theocratica et vere pia praediti de calamitate religionis et de pietatis defectu affligantur. Illud prius omni est consideratione dignum; edocemur enim, ne quae alii prophetarum de splendore et gloria, de victoriis opibusque regni messianici vaticinantur, perperam interpretantes de pompa cogitemus regni mundani; hoc alterum normam Dei nobis aperit, qua non omnes se Iudaeos congregaturum et ad regnum spondet messianicum esse advocaturum, sed eos solum, qui religione avita veraque pietate insignes de *spirituali* detrimento lamentabuntur; *hos* consolationem accepturos esse a Messia, iam Isaias praedixerat (61, 2. 3).

a) Temporis messianici sine pompa sanctitas 3, 9-13.

Pars haec arcte ad antecedentia adnectitur. Nam is est iudiciorum Dei terminus et finis, ut eius cognitio et cultus ubique terrarum innotescat (cf. 2, 11). Quare ipsa particula כִּי *quia* nexus iste indicatur i. e. iudicium tale erit, quale 3, 8 describitur, *quia tum* populis ita praeparatis Deus sui cognitionem communicare vult, vel iudicium *via* est salutis ex divina dispositione; quare non est necesse, ut כִּי cum *Mar.* explicetur per modum asseverationis *profecto*, quod utique fieri potest: v. 9 « *Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini et serviant ei humero uno* »; — i. e. Deus labia polluta, quibus idola invocabant vertet et *convertet* (hebr.) ita, ut fiant labia pura; auferet nomina idolorum ab eis (cf. Os. 2, 17) et efficiet, ut labiis puris, quae sint animorum puritatis et sanctitatis indicia, nomen Dei invocent, ei soli publicum adorationis cultum exhibeant atque sollemnem (cf. Gen. 4, 26). Interna igitur sanctitas designatur labiis *mundis* (hebr.), quae non sonent nisi Dei verba (cf. *Theod. Alb.*); ad hanc accedet unio illa atque animorum coniunctio, quam tamquam donum inter cetera valde pretiosum tanto studio Christus a Patre efflagitavit, *ut* scil. *sint unum* (Ioan. 17, 11); Dei scil. cultui atque servitio addictos se praestabunt *humero uno* i. e. uno corde et una mente, virtute concordi, uno consensu, metaphora sumpta ab iis, qui simul humeros supponunt ad onus aliquod portandum (cf. *Alb. Rib. Sanct. Lap.Men. Mar. Tir. Calm. Reinke*). Unius Dei cultu effici animorum quandam conspirationem atque concentum innuit sacer vates, dum idololatria multiplici odia, inimicitiae, dissensiones generantur. Dei enim servitus homines reddit felices, alacres bonorum omnium sectatores, idolorum autem servitus malorum omnium est ratio et causa.

In regno Dei magnam quandam unitatem et concordiam fore conspicuam atque insignia exstatura esse studia ad servitium Deo praestandum consonantia ex hoc vaticinio necessario colliges; simul servitutem illam ex animorum arcta coniunctione ortam fore stabilem atque perpetuam facile conficitur, quippe quae Iudaeorum infidelitati in utramque partem claudicantium vel potius saepissime relicto Deo ad idola diffluentium opponatur. Quam vero praeclare haec unio atque concordia in Ecclesia catholica sit conspicua, hic monuisse sufficiat, ut in ea una vaticinium istud rite adimpletum esse statim quivis sibi persuadeat.

De versione LXX haec notat *S. Hier.*: « notandum autem quod eo in loco, ubi nos interpretati sumus: *reddam populis labium electum*, pro electo Septua-

ginta dixerunt *in generationem eius*, ut subaudiatur *terrae*. Et hinc error exortus est, quod verbum hebraicum *barura*, quod Aquila et Theodotio *electum*, Symmachus *mundum* interpretatus est, Septuaginta legerunt *badura* (בדורה), *res* literam *daleth* existimantes propter elementi nimiam similitudinem, quod parvo apice distinguitur ». *Theod.* quoque aliorum versionem praefert : « hoc clarius *Aquila, Theodotio* et *Symmachus* verterunt. *Aquila* enim et *Theodotio* ponunt : tunc vertam ad omnes populos labium electum (χεῖλος ἐξειλεγμένον), *Symmachus* vero : tunc convertam in populos labium mundum (καθαρόν). Mundum vero labium est, quod nominat Deum, non deos ».

Tum electi quoque ex Israel, etsi in regiones maxime dissitas dispersi sint, simul cum gentibus conversis ad unum Dei populum constituendum a Deo vocabuntur : v. 10 «*ultra flumina Aethiopiae inde supplices mei, filii dispersorum meorum, deferent munus mihi* » ; — i. e. e regione quae est ultra flumina Cusch (hebr. cf. Is. 18, 1) illi advocabuntur, qui Dei cultui fideles permanserunt seseque tamquam *filios dispersorum*, tamquam iure quodam sacro atque nativo ad Dei populum pertinentes considerarunt atque praestiterunt, qui igitur abrepti e terra sancta non amplexi sunt gentilium mores ; isti iterum admittentur a Domino, ut deferant ei munus, oblationem, sacrificium. In exsilio enim et a templo, unico adorationis per sacrificia exhibendae loco, remoti oblationem Deo offerre non poterant. Quare innuit vates, novam fieri rerum conditionem, qua populus iam non erit sine sacrificio et sine altari (cf. Os. 3, 4) ; illam autem effectum iri simul cum gentium ad Deum conversione (cf. Mal. 1, 10).

S. Hier. magis ad hebr. accedens vertit *filia dispersorum meorum* ; idque non de supplicibus dici, sed allocutionem fieri ad synagogen censet hoc modo : « o Israel, o synagoga quondam filia, quam in toto orbe dispersi, licet invideas, licet aemulatione crucieris, tamen de Aethiopia mihi victimae deferentur, id est, de gentilium populo ». Esse legendum *filia* etiam *Rib.* contendit ; sed sensus inde non mutatur ; nam *filia dispersorum* eodem modo dicitur, sicut *filia Ierusalem, filia populi mei* et similia. — Sunt qui eos non Iudaeos, sed praedestinatos e gentibus explicent (cf. *Ians. Rib. Sa, Men. Reinke*) ; sed quae sequuntur, aperte suadent, vatem respicere ad Israel saltem praecipue et per se ; cf. Is. 11, 10 - 12. Alii ita vertunt : supplices meos afferent filios dispersorum meorum tamquam munus mihi (cf. *Mar. Keil*) i. e. ipsi Aethiopes sollemni pompa Iudaeos comitabuntur eosque tamquam munus Domino afferent cf. Is. 49, 22. Sed neque veteres interpretes ita intellexerunt, neque collocatio verborum in hebr. id suadet neque constructio omissa particula את signo accusativi ; id quod non esse exigui momenti facile quis concesserit, si ad Is. 66, 20 attenderit.

Iam indoles restitutae illius theocratiae describitur. Priori ruina allata est, quia principes eius et reges aemulationem gentium appetentes

regnum pompa et ratione mundana insigne affectabant; talis superbia longe aberit a vera theocratiae instauratione; quare uberrimus delictorum fons obstructus manebit; v. 11 « *in die illa non confunderis super cunctis adinventionibus tuis, quibus praevaricata es in me; quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbiae tuae et non adiicies exaltari amplius in monte sancto meo* »; — vetera recesserunt et abolita sunt penitus, ita ut priorum delictorum confusione iam non tangantur, neque periculum adsit, ne denuo similibus implicentur; nam causa illorum ablata est : studium et appetentia humanae magnitudinis. Deus quippe eos auferet qui talia sapiunt i. e. novae theocratiae cives a fastu et elatione longe aberunt. Ita vates insinuat, quod Christus asseruit : regnum meum non est de hoc mundo; indolem tangit eam regni messianici, quam commendat Christus vera animorum humilitate; superbos et suae gloriae appetentes a regno illo iri exclusum docet neque esse aptos qui illi associentur; cui doctrinae mirifice congruunt verba Christi : « quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis et gloriam quae a solo Deo est non quaeritis » (Ioan. 5, 44). Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Verba haec prophetica aperta sunt atque spem illam quam Iudaei conceperunt de regni messianici pompa externa et fastu, iam funditus evertunt. Etiam apertiora sunt quae sequuntur v. 12 « *et derelinquam in medio tui populum pauperem et egenum et sperabunt in nomine Domini* »; — hebr. עָנִי [1] populum afflictum, qui animo pio ac submisso afflictionem subit, דָּל populum tenuem, debilem, cuius tota fortitudo sit spes in Domino. Pauperes evangelizatum iri, iam apud Isaiam indicium legimus temporis messianici (Is. 61, 1 hebr.); idem hic asseritur, oriturum quoque regnum messianicum ex parvis initiis eiusque robur fore non in armis sed in nomine Domini. Apte allegat *Alb.* 1 Cor. 1, 26 : « videte vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes » etc.

Sed quamvis externa specie et pompa destituti sint, interna fulgebunt pulchritudine, puritate, sanctitate, bonis spiritualibus abundabunt, fruentur pace et securitate summa : v. 13 « *reliquiae Israel non facient iniquitatem nec loquentur mendacium et non invenietur in ore eorum lingua dolosa; quoniam ipsi pascentur et accubabunt et non erit qui exterreat* »; — in opere et verbo sancti erunt; ergo sanctitas intime animis et cordibus insita est, ex quibus verba procedunt et

1. Cf. Ps. 22, 24; 71, 4. Is. 66, 2; et ad Zach. 9, 9.

opera. Talem autem sanctitatem adesse ex eo concluditur, *quia* grex Domini in pascuis secure degit. Pax enim et tranquillitas frugumque ubertas ex veteris testamenti promissionumque indole certum esse noscitur indicium vigentis in populo sanctitatis observationisque legum Domini (cf. Os. 2, 21. Ioel 3, 18. Am. 9, 13). Quare ad sanctitatem tempore instaurationis delineandam optime quoque iisdem exemplis utitur propheta. Accedit, quod satis consuetum est, ita populi messianici felicitatem ac securitatem sub Deo pastore describere (cf. Mich. 2, 12; 7, 14. Ez. 34, 23 seq.). — Promissionis argumentum a v. 11 et deinceps propositum apte complectitur *Alb.* ita : « tangit congregatorum purgationem et dicit quinque : praeteriti peccati emendationem, occasionum peccati ablationem, consolandorum devotionem, devotorum puritatem et depuratorum securitatem ». — Agi de tempore messianico plerique ultro fatentur (cf. *Hier. Ians. Rib. Sa, Lap. Men. Tir.*) ; populum pauperem, egenum v. 12 praeprimis esse chorum Apostolorum censet *Theod.* Alii tamen haec *historice* atque *proprie* dici volunt de tempore ac conditione reditus ex exsilio babylonico (cf. *Cyr. Theod. M. Sanct.*), mystice vero ac spiritualiter de Christi regno (cf. *Cyr. Sanct.*).

Ex ipsis verbis planum est, prophetam spectare instaurationem illam, quae magna Dei in gentes populumque suum iudicia subsecutura sit; hanc instaurationem describit; *quando* vero futura sit, non tangit, nisi ratione solum generali, scil. iri effectum divinis in omnes iudiciis. Ex quibus apertum est, Sophoniam quoque cum aliis prophetis in eo consentire, quod eiusmodi instaurationem annuntiat (cf. Os. 2, 16. Ioel 2, 28. Am. 9, 11. Abd. 15. 17. Mich. 2, 12; 4, 1; 7, 11), sicut iam annuntiavit imprimis Isaias (1, 26; 2, 1; 4, 2; 9, 7; 11, 1; 14, 1. 40, 1 etc.). Illam tempore messianico contineri, pariter est in aperto positum; ad eam autem gradum fieri *praeparatione* quadam, quae tempore post exsilii solutionem usque ad Messiae adventum absolvatur, nemo in dubium vocabit, qui illius temporis historiam et indolem consideraverit. Unde cum praeparatio *aliquam* similitudinem cum ea epocha, cuius est praeparatio, prae se ferre debeat, mirum non est tempore illo intermedio aliqua adfuisse, in quibus illa promissa quasi adumbrari videantur (cf. *Sanct.*). Quae quamvis ita sint, prophetam tamen solum instaurationis tempus descripsisse statuendum erit, ad quam utique ex suavi divinae providentiae consilio per quosdam veluti gradus erat deveniendum. Tempus enim spectari messianicum, certum iam est atque indubitatum sane indicium id, quod de populorum ad Deum conversione et concordia dicitur v. 9 (cf. Is. 2, 1. Mich. 4, 1. Am. 9, 12).

b) Laetitia et gloria populi messianici 3, 14-20.

Securitatis, pacis, bonorumque abundantia et ad laudes Deo canendas provocat et ipso hoc gaudii et laetitiae tripudio egregie demonstratur; quare v. 14 « *Lauda, filia Sion! iubila Israel! laetare et exsulta in omni corde filia Ierusalem* » ! — i. e. multiplici modo laetitiae et exsultationis signa prode; « ter eandem rem dicit ad confirmationem et amplificationem laetitiae » (*Rib.*). Novi foederis indolem, quae sit gratiae, laetitiae propter praeclara Dei dona, delineat : eius autem exsultationis annuntiatio post iudicia irae, vindictae, destructionis, vastitatis plena eo maiore suavitate atque amoenitate iucunda commendatur, ita ut hac inter se oppositione excellentiam et splendorem temporis messianici illustri modo declarari et efferri nemo sit negaturus. Iubilationis vero argumentum ac materies denuo alio modo proponitur (cf. v. 13), uti scil. animi est vehementer commoti in eadem re immorari eamque aliis atque aliis verbis praedicare; v. 15 « *abstulit Dominus iudicium tuum, avertit inimicos tuos; rex Israel Dominus in medio tui; non timebis malum ultra* » ; — poenas scil. et calamitates, quae tamquam iusta Dei *iudicia* (hebr.) et supplicia tibi olim in vetere theocratia infligebantur, Deus iam benigne abstulit (cf. *Hier. Rib. Sanct. Mar. Calm.*) ; inimicos theocratiae prostravit; ipse qui excessisse videbatur de vetere theocratia, illam scil. ruinae ac potestati inimicorum permittens (*Sanct.*), immo qui apud Ezechielem in curru gloriae per Cherubim vectus revera ex urbe excessisse cernitur (Ez. 11, 22. 23), iterum tamquam rex Israel in medio populo versatur et novae theocratiae rex et dominator praeest; iam si ipse se *regem* praestat, regnum fore gloriosum, beatum, perpetuum, immotum per se liquet; quare omnis timoris occasio vel suspicio longissime abest.

Unde v. 16 « *in die illa dicetur Ierusalem : noli timere : Sion, non dissolvantur manus tuae* » ! — Deum scil. se *regem* praestare ita erit omnibus manifestum, « ut gratulabundi de tanto bono aut certe admirabundi clament dicantque, ut metum procul et sollicitudinem abiiciant, bono sint atque erecto animo...» (*Sanct.*). Verba sunt messianica *noli timere*, verba pacis, fiduciae (cf. Matth. 14, 27; 17, 7; 28, 5. 10. Marc. 5, 36; 6, 50. Luc. 1, 13. 30; 2, 10; 5, 10; 8, 50; 12, 7. 32 etc), quae statum adoptionis filiorum omnino decent et illis ingeruntur, qui e conditione servili erepti in libertatem filiorum Dei vocantur (cf. Rom. 8, 15. Gal. 4, 1-7). Simul cum hac laeta animi tranquillitate vires adfore dicit quibus egregie se ad opera accingant omni periculo vel terrore amoto, cuius effectus est manuum dissolutio ac torpor; timore enim manus dicuntur dissolvi nervorum omnium inducta paralysi, ita ut suum munus obire non possint (cf. *Alb. Sanct.*).

Ratio autem talis fiduciae est, quia Deus pro potentia sua *vult* illos reddere beatos, quia insigni eos caritate complectitur v. 17 « *Dominus in medio tui fortis, ipse salvabit; gaudebit super te in laetitia, silebit in dilectione sua, exsultabit super te in laude* » ; — vates omnia breviter sed nervose colligit, quibus securitatem illam firmissimis inniti fundamentis ostenditur : Iahve, ipse qui *est* tamquam Deus, protector, potentissimus, salvator adest, et adest cum maxima in populum propensione et caritate, immo tali amore perfusus, ut prae eius magnitudine iubilatione dicatur exsultare. Amor iste splendidissime describitur : sese enim manifestare dicitur in gaudio et laetitia de dilecto; dein alio quoque modo *silebit in dilectione sua* i. e. prae dilectionis magnitudine complacet sibi et acquiescit in tacita quasi contemplatione et fruitione amoris, quo in amatum fertur; demum ex suavi hac quiete amoris iterum exsurgit ad laetum iubilum manifestamque exsultationem, qua vehementissimi sensus amoris prodi solent. Nescio, an amor Dei erga suos tenerrimus ullibi tanta cum suavitate simul et affectuum vehementia describatur.

Illud *silebit in dilectione sua* varie accipiunt. Sensum, quem exposui et quem optime in contextum convenire puto, fere etiam tradit *Sanct.* et certe *Schegg*; alii : silebit peccata tua in caritate qua te dilexit (*S. Hier. Rib. Sa, Trochon*); sed unde *peccata* sint subintelligenda, non apparet, neque sensus sat commodus oritur; de praeteritis enim peccatis hoc loco fieri mentionem iam post v. 11 non est probabile; peccata autem commemorari, quae in ipsa illa periodo fiant, post v. 13 iam nemo potest exspectare. Quare alii explicant de silentio minarum : « *silebit* amplius scil. non comminans, non terrens, non puniens » (*Alb. Mar. Reinke*); alii : te pati sinet, cum fueris in laboribus, dissimulans se audire (cf. *Rib. Ians. Lap.*); frequentius alii : certum constantemque amorem erga te profitebitur, immobilis erit in sua dilectione (cf. *Rib. Lap. Men. Calm.*). Sed hae explicationes vel id supplent, quod e contextu non per se offertur, vel voci *silendi* notionem alias non usitatam subiiciunt. LXX non verbum חרש cum *r* legerunt, verum חדש cum litera cognata *d* : καινιεῖ σε ἐν τῇ ἀγαπήσει αὐτοῦ, quam lectionem etiam *Syrus* exprimit. Sensus est facilis et aptus et gradatio quae in *exsultatione* cernitur, illi innovationi et augmento amoris divini innititur, quo Deus creaturam suam magis magisque exornare dicitur. Idem quidem verbum sed aliter legi vult *Houbig.* : innovabitur in amore suo (sim. *Ewald*). *Chald.* haec habet : « (pedibus) conculcabit peccata tua in misericordia sua » i. e. illa delebit et removebit.

Amor divinus in populum, quem Deus modo verbis tenerrimis testatus est, ipsa quoque re manifestatur : consolatur enim et congregat lugentes, aufert eorum opprobrium, oppressores deiicit, populum suum gloria et honore exaltat. Haec in sequentibus enucleatius proponuntur.

Et primo quidem v. 18 ita ex hebr. verte : *lugentes propter sollemnitatem*[1] *congregabo, ex te fuerunt; onus super eos, opprobrium* i. e. ii demum ad novam theocratiam aggregabuntur, qui spiritu theocratico imbuti, eo quod coetus sollemnes et festivi ritus iam non celebrari possint in exsilio, moerent atque dolent; ii sunt revera ex Israel, ii vere sunt filii Sion, qui theocratiae ruinam lugent eamque tamquam onus et opprobrium intime sentiunt. In versione autem *vulg.*, uti communiter intelligitur, promissio exprimitur, Deum eos quoque qui ex animi levitate et inconstantia a lege eiusque observatione defecerint esse aggregaturum : v. 18 « *nugas, qui a lege recesserant, congregabo, quia ex te erant, ut non ultra habeas super eis opprobrium* » ; — i. e. nugaces ac mendaces in legem, homines leves (cf. *Rib. Sanct.*) Deus propterea revocabit ab errore et ad suum populum aggregabit, quia oriundi sunt ex Israel; ergo propter patrum merita, et ne ultra populo Dei sint dedecori. Plerique *congregare* hoc sensu fausto accipiunt (cf. *S. Hier. Alb. Ians. Rib. Lap. Mar. Men. Tir. Schegg*), alii tamen : congregabo ad eos interficiendos (cf. אסף 1, 2. 3 — ita *Rup. Sanct.*).

Verum *vulg.* versionem hoc loco esse deserendam, ex illis ipsis statim patet, quae eius auctor *S. Hier.* de sua translatione disserit : « id quod diximus *nugas*, sciamus in hebraeo (נוגי) ipsum latinum esse sermonem et propterea a nobis ita ut in hebraeo erat, positum, ut nosse possimus linguam hebraicam omnium linguarum esse matricem ». At nemo non consentiet hac in re cum *Houbig.* qui ea de re censet : « dormitabat magnus Hieronymus, ut aliquando bonus Homerus, cum haec scriberet » ; praesertim si attenderit, quod iam optime in memoriam revocat *Lap.*, eandem vocem a *S. Hier.* rite esse intellectam Lament. 1, 4; 3, 33. Is. 51, 23; quibus locis adde Iob 19, 2. Quare hoc quoque loco ne intelligas *nugas qui a lege recesserant congregatum* iri, sed moestos et afflictos propter coetus sollemnes (cf. apud *Rib. Sanct. Mar. Calm.*); vel lugentes qui sint procul a coetu festivo (*Hitz. Schegg, Reinke*); cf. Is. 61, 1 etiam *contritis corde* et 61, 3 *lugentibus Sion* salus messianica promittitur.

In altero membro מַשְׂאֵת difficultate non caret. Eam dedi versionem, quae facilis est neque ab eius vocis usu aliena videtur; cf. 2 Chron. 24, 6. 9. Alii tamen aliter explicant. Etiam *S. Hier.* versio *ut non ultra habeas opprobrium*, suadet vocem eam esse explicatam, ut Ez. 17, 9; fortasse per modum *infin. aram.*, cf. *Schegg* ad h. l. ita ut praepositione ל omissa vertendum sit : ad auferendum opprobrium ; vide נָשָׂא ;

---

1. Alii vertunt : *lugentes procul a sollemnitate* ; sed sensus non adeo diversus est. Ceterum notum est מִן de *causa* saepius adhiberi et de ratione propter quam aliquid fit; vide *Ges.* Thes. p. 803.

num erit *inf. qal* cum מִן? Alias versiones vide apud *Ros.* Femininum עָלֶיהָ poterit per modum *collectivi* dici pro plurali numero. LXX non legerunt הָיוּ erant, sed הוֹי *vae*; habent enim καὶ συνάξω τοὺς συντετριμμένους σου, οὐαὶ τίς ἔλαβεν ὀνειδισμὸν ἐπ' αὐτήν; teste *S. Hier.* etiam *Aq.* legit הוֹי; idem exprimit *Chald.*, qui in reliquis satis a vera explicatione recedit, cum scribat : « qui remorati sunt in te tempora sollemnitatis tuae, longe removi a te; vae illis quia portaverunt arma sua contra te et te contumeliis affecerunt ». Aliam quoque lectionem *Syrus* sequitur : « auferam a te eos qui contumelias de te loquuntur ». Praeterea LXX et *Syrus* priora huius versus verba etiam aliter legunt et cum antecedentibus iungunt : ὡς ἐν ἡμέρᾳ ἑορτῆς.

Deus porro Sionis restitutae partes fortiter tuetur et populum suum gloria et honore exaltat v. 19 « *ecce, ego interficiam omnes qui afflixerunt te in tempore illo et salvabo claudicantem et eam quae eiecta fuerat congregabo et ponam eos in laudem et in nomen in omni terra confusionis eorum,* v. 20 *in tempore illo quo adducam vos, et in tempore quo congregabo vos; dabo enim vos in nomen et in laudem omnibus populis terrae, cum convertero captivitatem vestram coram oculis vestris, dicit Dominus* »; — i. e. hostes Sionis peribunt, etsi sunt potentissimi; populus autem Dei etsi multipliciter afflictus et dispersus quasi grex claudicans et infirmus et disiectus (cf. Mich. 4, 7 verba ipsa adhibet Sophonias), tamen cum omnium admiratione et laude florebit, ita quidem, ut felicitatis eius ac prosperitatis testes sint omnes populi et etiam regiones illae, in quibus olim populus Dei confusionem captivitatis portavit. Hoc probe notandum est; tali enim amplitudine laudis propheta aperte docet, theocratiam restauratam nullo modo a se considerari quasi inclusam arctis Palaestinae finibus, sed eam inter omnes populos longe lateque diffusam et suo splendore spirituali omnes in sui admirationem rapientem. Sane idem clare indicatur, cum apud Ez. Deus dicat se iri sanctificatum in populo suo *in oculis nationum* (Ez. 20, 41; 28, 25) vel *coram eis* et *in medio earum in perpetuum* (36, 23; 37, 28). Uti igitur Sophonias iam 2, 11 et 3, 9 Dei cultum fore universalem per orbem terrarum vaticinatus est, ita hoc loco theocratiam instauratam non arctis limitibus circumscribi, verum ad omnes populos terrae sic extendi asserit, ut omnibus sit conspicua, omnium summa quadam veneratione prosequenda et maxima dignitate interna spectabilis; id enim est *poni, dari in laudem et in nomen.* Rem in uno Apostolorum exemplo *S. Hier.* belle illustrat : « vide mihi Petrum et Paulum et Matthaeum et Ioannem et considera hoc quod ad Abraham repromissum est : *magnificabo nomen tuum,* in illis opere perpetratum. Quotidie nominatur in Ecclesia, quotidie magnificatur nomen eorum ».

Cum convertero ... tempus exsilii, quod alii prophetae iam toties minati sunt (cf. Os. 2, 14. Am. 9, 4. Mich. 3, 12; 4, 10 etc. Is. 39, 6; 40, 2 etc.), clare designat futurum et a Domino demum in melius ver-

tendum ; *coram oculis vestris* i. e. certissime ac manifestissime, ita ut omnium oculis apertissime pateat (cf. Deut. 1, 30 ; 4, 34. Is. 52, 8. 10). Quia igitur exaltatio illa futura describitur post captivitatem solutam et proinde in arcto cum ea nexu constituta apparet, haud immerito dici poterit, hic et alibi in locis similibus tempus messianicum cerni a prophetis solutioni captivitatis coniunctum, vel tempus post captivitatem describi ab eis ut tempus instaurationis ; quare tempus illud quod revera interiectum est inter exsilii solutionem et periodum messianicam, tamquam praeparationem quandam et praeformationem instaurationis ad ipsam hanc periodum indole sua aliquatenus pertinentem a nobis considerari oportebit. Unde quae eo tempore contigerint iam quasi parvis quibusdam initiis haec promissa adumbrare recte censueris. Id iam perspexit *Theod.* scribens ad nostrum locum : « haec autem ut dixi et reversis ex Babylone tunc praestitit et postea omnibus hominibus largitus est » ; idemque latius prosequitur *Sanct.*, qui in explicatione quoque alterius Isaiae partis (40-66) passim eius rei mentionem et rationem affert.

Promissiones adeo amplas et splendidas concludit vates sollemni asseveratione quasi sigillo divino obsignans : *dixit Iahve* i. e. is qui est (cf. Os. 12, 5. Ioel 2, 32) et qui tamquam talis sua verba actu complet, illis *esse* largitur, « cuius omnia dicta necessario implebuntur ; coelum enim, inquit, et terra transibunt, verba autem mea non transibunt » (*Rup.*) ; vel, ut notat *Alb.* : « quia haec secundum inferiores causas videntur non posse fieri, subdit de omnipotentia facientis ». — Sunt, qui *claudicantem et eiectam* explicant de synagoga post excidium a Romanis illatum ; unde eo in loco vaticinium cernunt de Iudaeorum conversione in fine temporum, de qua S. Paulus Rom. 11, 25 vaticinatur ; ita *Ians. Rib.* Neque negari poterit, in promissione adeo ampla *etiam* illam populi Israel ultimam congregationem contineri, praecipue cum S. Paulus ex simili loco promissionis amplae argumentetur l. c. v. 26. Quae si ita sunt, Sophonias brevi suo oraculo reliquorum prophetarum summum argumentum complexus eosque quasi compendio quodam proponens etiam temporis plenitudinem comprehendisse et adumbrasse dicendus est. Utut id se habet, temporis messianici felicem conditionem, sanctitatem internam, quae in mira illa ac suavissima Dei erga suos dilectione potissimum continetur et exprimitur, eius in omnes populos diffusionem, miram protectionem, a fastu mundano alienationem et firmissimam in Deo fiduciam egregie descripsit.

AGGAEUS

PROLEGOMENA

De prophetae tempore et libello.

Quod prophetae toties ac tanto verborum pondere et apparatu minati erant, populi scil. in alienas regiones abductionem atque ipsius sanctuarii vastationem, id demum a Deo foederis violati vindice per manus Nabuchodonosoris et principum eius effectum est. Cum enim populus electus sacras theocratiae leges spretis prophetarum continuis admonitionibus conculcasset, abiecisset, abiecit et dissolvit ipse Deus quam condiderat theocratiam : solium Davidicum eversum est templumque dirutum : « causa vestri Sion quasi ager arabitur et Ierusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa silvarum » (Mich. 3, 12). At simul cum ruina instauratio futura erat praedicta. Atque uti Deus, *fidelis* foederis initi custos, populo in exsilio degenti tamquam instaurationis et promissionum pignus viros concesserat munere prophetico fungentes plebemque ad fidem pietatemque erudientes — cogita Ezechielem, Danielem, Ieremiam quoque et Baruch, qui scriptis et monitis sacram religionis flammam fovebant —, ita exsilio soluto et reditus in patriam opportunitate concessa Deus pari fidelitate aderat suis eosque illa temporum difficultate voce prophetarum consolabatur, lassis atque tepidis stimulos addebat, deiectos erigebat, omnes ad opus instauranis aggrediendum provocabat.

Eius muneris partem praeclaram sortitus est *Aggaeus*, ipso nominis omine [1] festivum aliquid ac sollemne prae se ferens. Atque revera ma-

---

1. Hebr. חַגַּי a חַג *festivitas*; cf. *Ewald*, Lehrb. d. hebr. Spr. §. 164. 273; rite iam explicat *S. Hier.* : « Aggaeus ἑορτάζων, quem nos *festivum* sive *sollemnem* possumus dicere » prol. in Ioel; *M.* 25, 948 et ad Ag. 1, 1 c. 1390. LXX Ἀγγαῖος. — Cur tale nomen sortitus sit, frustra quaeritur. Rationem petit *Lap.* ex eius prophetia ; « *festum* celebravit festive pro-

gnum aliquid erat instaurationis inauguratio, non utique splendore humano neque pompa mundana, verum ratione habita religionis, cultus divini, promissionum messianicarum. Id enim agebatur, ut restituta aliquem in modum theocratia populus constitueretur Deo sacer Deoque addictus, in cuius sinu vaticinia messianica demum adimpleturus Servator mundo appareret.

De ipso Aggaeo nihil aliud constat, nisi quod s. literae produnt. Sunt ea admodum pauca. Praeter libellum eius nomine inscriptum mentio eius fit in libro Esdrae 5, 1 ; 6, 14 ; quibus in locis munus eius propheticum et partes commemorantur, quas in templi instauratione habebat. In versione graeca psalmorum nomen eius legitur adscriptum ad Ps. 137 (saltem in cod. vatic.), ad Ps. 145-148 ; in versione syriaca ad Ps. 125. 126. 145 - 147 ; in *vulg.* ad Ps. 111. 145. At tali inscriptione eum non auctorem psalmi designari, iam ex eo liquet, quod iidem fere etiam simul Zachariae, immo Davidi quoque inscribuntur. Fortasse psalmi isti ab Aggaeo et Zacharia in usum liturgicum praecipue sunt adhibiti, quae est aliquorum opinio (cf. *Schegg*) ; vel argumentum ad illas temporum conditiones aptum inscriptionem eam ut quis apponeret in causa fuit. Feruntur quaedam incertis auctoribus apud Ps.-Epiphanium aliosque, quae sine ullo detrimento omittere licet. Aeque incertum est, quod aliquibus ex 2, 3 visum est, Aggaeum templum prius salomonicum suis oculis spectasse atque prope octogenarium vel etiam magis aetate provectum has quas legimus adhortationes fudisse [1].

Temporis quo munus obibat propheticum conditio erat haec : Cyri edicto promulgato ii, quorum « Deus suscitavit spiritum » (Esd. 1, 5) ascenderunt in patriam regionem « ad aedificandum templum Domini, quod erat in Ierusalem ». Numero non erant multi : quadraginta duo millia trecenti sexaginta, quibus adde servos et ancillas, septem millia trecentos triginta septem (Esd. 2, 64. 65). Altari holocautomatum exstructo sollemnitatem tabernaculorum celebraverunt mense septimo ; verum eo iam tempore infestationes experti sunt « a populis terrarum per circuitum » (cf. Esd. 3, 3). Erant isti coloni alienigenae, quos Esarhaddon, « rex Assyriorum de Babylone et de Cutha et de Avah et de Emath et de Sepharvaim » adduxerat et collocaverat in civitatibus Samariae pro

---

phetans ad populum laete e Babylone in Iudaeam redeuntem. Aggaeus, inquit *S. Hier.* ad Paulinum, *festivus* et *laetus* qui seminavit in lacrimis ut in gaudio meteret, destructum templum aedificat Deumque Patrem inducit loquentem : adhuc modicum et ego commovebo etc. ». *Reinke* opinatur eum ita esse vocatum, quia in die aliquo festo (fortasse tabernaculorum natus sit.

1. Alii tradunt eum iuvenem ex Babylone in urbem Ierusalem rediisse ; ita *Ps.* - *Epiphanius*, *Barh.*

filiis Israel, et qui multiplici sua superstitione et idololatria patria retenta etiam cultum quendam Domini a sacerdote Israelita edocti exercebant (cf. 4 Reg. 17, 24-34. 41. Esd. 4, 1 seq.). Fundamento templi posito cum templi aedificium exstrui coeptum esset, etiam illa populorum colluvies religionis et vitae societatem cum Iudaeis inire cupiebat; a quibus cum repudiati essent, ulteriorem templi aedificationem impediebant : « factum est igitur, ut populus terrae impediret manus populi Iudae (hebr. : lassas redderet manus populi) et turbaret eos in aedificando. Conduxerunt autem adversus eos consiliatores, ut destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri regis Persarum et usque ad regnum Darii regis Persarum » (Esd. 4, 4. 5). Aperta igitur vi, dolo, mendaciis calumniisque in aula regia sparsis opus templi aedificandi impedire conati sunt non sine successu; nam « tunc intermissum est opus Domini in Ierusalem et non fiebat usque ad annum secundum regni Darii regis Persarum » (Esd. 4, 24). Magnam autem intermissionis culpam in ipsis Iudaeis esse collocandam, ex Aggaeo discimus. Eius enim reprehensionibus populus de magna in re religionis socordia castigatur, quae ne repetitis quidem Dei punitionibus excutiebatur. Reduces scil. magna quidem animorum promptitudine opus esse aggressi videntur; at mox cum iam ex iactis fundamentis templum ad pristinum illum splendorem salomonicum non esse perventurum clare perspicerent, et simul temporum difficultatibus pressi et hostili oppugnatione fatigati a spe sublimiore deiicerentur, neque splendida illa de instauratione data vaticinia in opus deduci cernerent, animos despondisse et sensus pusillanimes induisse magnaque rerum divinarum negligentia et taedio occupati esse videntur, ita ut in expostulationes quoque et querimonias contra Deum non sine animorum acrimonia prorumperent (cf. Mal. 2, 17). Spei frustratae indices ac testes erant ploratus illi et lacrimae, quibus « plurimi de sacerdotibus et levitis et principes patrum et seniores, qui viderant templum prius » reliquorum laetitiam in templi primordiis interturbabant (Esd. 3, 12). Sane fatale initium et augurium animorum de divina providentia murmurantium! In fletibus illis « voce magna » editis quid aliud nos cernere censebimus nisi illorum sensuum primordia, quibus postmodum regnum appetebant messianicum terreno splendore et mundana gloria insigne, salutem autem a Domino secundum sapientiae suae consilia oblatam cum fastidio respuebant? Hos igitur tumores oppugnare, ignaviam animorumque deiectionem excutere, rerum divinarum negligentiam propulsare, animos addere et stimulos tardis, afflictos consolatione erigere, omnes edocere, ut cum patientia eam salutis normam et rationem exspectent, quam dare Domino placuerit : hoc munus propheticum, hoc erat officium quod Aggaeus praestare debebat.

Quomodo ei muneri satisfecerit, sermonum argumenta ostendunt eius libello comprehensa. Quater enim secundo Darii Hystaspis anno populum est allocutus, uti libellus testatur : primo populi socordiam exagitat, qua sibi persuadere volunt tempus domus Domini aedificandae eamque opportunitatem nondum adesse, dum tamen sibi ipsis domus exstruant non sine luxu ac voluptate ; nomine Dei eis denuntiat rerum penuriam iustam esse eius socordiae punitionem ; quam si deposuerint et alacres se ad opus Domini accinxerint, laetiora promittit (1, 2-11). Neque caruit salubri effectu haec prophetae admonitio (1, 12-14). Secundo, ut strenue in opere denuo assumpto pergant, hortatur ; animos enim deiectos erigit ostendens novi templi gloriam fore longe maiorem, etsi viliore schemate sit factum, quia in eo salus concedetur messianica : « in loco isto dabo pacem » (2, 1-9). Tertio operi strenue insistentibus pollicetur temporalem etiam benedictionem frugumque abundantiam (2, 10-19) ; demum vaticinium absolvit praeclara promissione stirpi Davidicae data, qua Deus in mundi regnorum ruina domum Davidicam singulari protectione iri exaltatum spondet (2, 20-23).

Cur propheta nomine Dei adeo templi aedificationem commendet et eius rei negligentiam vituperet, facile perspiciet, qui ad quid in theocratia templum Dei fuerit assumptum consideraverit. Erat enim tabernaculum foederis et quod in eius dignitatem et locum successit, templum symbolum ipsius foederis initi, habitatio Dei in medio populo suo, thronus gratiae et misericordiae, in quo Deus populi preces benigne suscepit, propitiationem pro peccatis ex ritu veteri oblatam ratam habuit ; quare, ut huius commercii foederisque memoria recens semper servaretur, ter in anno Iudaei iubebantur se sistere coram Domino et ad foederis hoc centrum et unitatis vinculum ascendere ibique fidem suam atque fiduciam in Domino novis incrementis augere et spiritum fovere theocraticum. Templi igitur aedificatio ad foedus innovandum innovatumque stabili ratione conservandum quam maxime valuit ; erat templum pignus quoddam externum ac visibile favoris divini et promissionum, adiumentum potentissimum et vinculum efficax, quo natio iudaica et cultores Domini magna animorum unione inter se unirentur, a gentium contagione moribusque arcerentur et tamquam unus Dei populus aperte et coram omnibus agnoscerentur. Adde, quod Aggaeus optime perspexit, hoc templum gloria messianica fore illustre ; quo igitur animi desiderio huius templi aedificationem exoptasse censendus erit ? [1] Haud incongrue adap-

---

1. Dei curam de templo aedificando ita expendit *Theod. M.* in prooemio ad Aggaeum : « Deus cui animarum cura est, Israelitarum causa de templi aedificatione tantopere laborabat. Nam quia in mandatis dederat, ut eo in loco temploque congregati congruum legitimis

tat *Rup.* nominis eius *festivi* significationem ad templi aedificati praesagium : « Spiritus sanctus praesagio signari voluit nomine, ut vocaretur Aggaeus, videlicet secundum negotium, de quo per os eius erat locuturus. Hoc namque nomen Aggaeus interpretatur *festivus* et magnam utique festivitatem prospiciebat eius oculus, dum ista loqueretur, quae nunc habemus in manibus... equidem fuerit eiusdem templi reaedificatio, quam praesens videbat, materia magnae festivitatis, verumtamen non secundum se, sed propter omnium sanctorum et angelorum et hominum festivitatem *Christum*, quia futurum erat, ut reaedificato templo muri quoque civitatis postmodum reaedificarentur et rursus civitas habitaretur et reaedificata civitate rursus coalesceret in terra populus, unde Christus veritate promissionis quae ad Abraham et David facta et iuramento firmata fuerat, nasceretur ».

Prophetae admonitiones suos tulisse fructus, ex Esdrae libro docemur 5, 1-5 ; 6, 14. 15 ; nam « tunc surrexerunt Zorobabel, filius Salathiel, et Iosue, filius Iosedec, et coeperunt aedificare templum Dei in Ierusalem », neque adversariorum interventu deterrebantur, sed strenue operi insistentes « compleverunt domum Dei usque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus regni Darii regis ». Prophetam opus templi completum laetabundum conspexisse, legitur apud Ps.-Epiphanium.

Dicendi genus sequitur Aggaeus simplex, planum, ornatu destitutum poetico, affectu tamen minime carens. Ubi grande attingit argumentum, etiam loquendi modus exsistit sublimior et rythmico incessu distinctus (2, 7. 23).

---

institutionibus cultum sibi persolverent, atque his caerimoniis exerceri a populo religionem volebat, ut apte illinc tempore suo ad communem peragendam salutem Christus Dominus in carne appareret, ideo de hoc aedificio necessario sollicitus erat ; nempe ut conventibus in eo celebrandis mores suos emendaret populus ; . . . nam sicut sacrificia et cetera eiusmodi Deus recipit, non quia ipse his egeat sed utilitatum nostrarum causa, sic etiam templi studium prae se ferebat, non equidem sui gratia, sed eorum quos illic congregari iustamque Deo religionem persolvere prae ceteris hominibus aequum erat ».

LIBER AGGAEI

PRIMA ADMONITIO ET QUID EA SIT EFFECTUM 1, 1-2, 1.

ARG. — Populi socordia in templo aedificando vituperatur omnisque excusatio ex eo diluitur, quia satis et abunde habent, quibus suas quisque domus ad luxum ambitiosum exstruunt atque ornant. Quam vero ingrata Deo accidat talis agendi ratio, ex eo discant, quia a quo tempore cessarunt a pio opere, penuria et annonae caritate erant afflicti (1, 1-6). Quare propheta hortatur, ut intermissam templi fabricam alacriter aggrediantur et ita veram et unicam causam calamitatum, quibus premuntur, efficaciter removeant (1, 7 - 11). Omnes qui audiunt, salutari timore Dei perculsi ad opus se alacriter accingunt (1, 12 - 2, 1).

a) Populi socordia et poena 1, 1-6.

Alia iam fluere tempora pro populo Dei ipsa statim prodit libelli huius inscriptio. Neque enim uti solebat apud priores prophetas, a rege theocratico temporis designatio est desumpta, verum rex extraneus, gentilis, idololatra, uti populi imperium tenet, ita temporis determinationem praebere perhibetur. Adsunt scil. — idque primis verbis propheta tacite innuit — illa tempora, in quibus tabernaculum David est collapsum (cf. Am. 9, 11) et Iudaei rege carent (Os. 3, 4), de quibus ad Ezechielem Dominus dixerat : « aufer cidarim, tolle coronam : eversionem, eversionem, eversionem ponam eam... donec veniat cuius est ius et tradam ei » (Ez. 21, 26. 27 ex hebr.). Regia potestas Iuda regiusque splendor abiit ; propter peccata et regum et populi Deus *externam* regni speciem, formam, fortunam abstulit, uti iam minatus erat, cum thronum aeternum Davidi polliceretur (cf. 2 Reg. 7, 14. 3 Reg. 9, 4 - 9). Sed ablato *splendore* non abstulit Deus id quod rei summam constituit : etsi thronus David externe corruisse videbatur, tamen gratiosa illa promissio, eius thronum iri stabilitum in aeternum, non recessit neque ex verbis

Dei unquam recedere poterat : « misericordiam autem meam non auferam ab eo... thronus tuus erit firmus iugiter » (2 Reg. 7, 15. 16. Ps. 88, 29 - 38).

Qua ratione thronus David iugiter sit firmus, nos docet Ezechiel : coronam scil. illi fideliter a Deo reservari cuius sit iure proprio, Messiae (Ez. 21, 27) ; ab eo autem tempore quo rex Sedecias sollemni ratione a Deo dignitate theocratica sit exutus et tamquam *profanus dux* Israel publice appellatus, iam non exstaturos esse reges theocraticos ex verbis allegatis patet.

Hanc temporis conditionem : populi sub alieno imperio subiectionem et domus Davidicae humiliationem, ipsa verba produnt quibus Aggaeus muneris sui memoriam consignavit : v. 1 « *In anno secundo Darii regis, in mense sexto, in die una mensis factum est verbum Domini in manu Aggaei prophetae ad Zorobabel filium Salathiel, ducem Iuda, et ad Iesum, filium Iosedech, sacerdotem magnum* » ; — verba *Darius rex, Zorobabel* ex domo David voce peregrina appellatus פֶּחָה [1] praefectus, *satrapes* Iuda satis superque per se iam produnt, quantam mutationem status populi electi subierit. Darius Hystaspis (an. 521 - 486) intelligitur, uti plerique veteres iam agnoverunt. *Mense sexto* i. e. sexto mense lunari a mense Nisan ; proinde mense qui vocabatur *Elul* (cf. Neh. 6, 15. 1 Par. 24, 29) ; « cum eo tempore iam fruges in horrea intulissent nec benignas, uti sperabant, sed parcissimas, opportune propheta causam sterilitatis exponit et sumpta inde occasione eos reprehendit, quod aedificationem templi negligerent » (*Rib.* sim. *Lap. Tir.*). Tempore igitur apto, quo ipsa rerum conditione animi iam magis praeparati erant ad Dei verbum suscipiendum, fit verbum ; die *una* i. e. prima secundum notum hebraismum (cf. Gen. 1, 5. Marc. 16, 2), festo scil. novilunii, quo plura celebrabantur sacrificia (Num. 28, 11 - 15), ideoque populus sollemniore Dei cultu ad maiorem divinae maiestatis reverentiam et obedientiam excitabatur ; fit *in manu* i. e. per Aggaeum, ita ut ea locutione propheta tamquam instrumentum Dei designetur et interlocutor qui non sua prodat, sed ea quae sibi a Deo sint commissa. Sermo Dei dirigitur ad duos illos qui potestate civili et sacra vestiuntur, qui magna inter se concordia populum ad opus perficiendum efficaciter urgere debent. Ita magna illis additur auctoritas, qua opus promoveant, simulque stimulus, si eousque eorum vel culpa vel nimia indulgentia opus erat

---

1 Adhibetur vox a Rabsace de satrapibus et praefectis minoribus Assyriorum Is. 36, 9. 4 Reg. 18, 24 ; de iisdem in regno babylonico Ier. 51, 57. Ez. 23, 6. 23 ; apud Medos Ier. 51. 28 et praeprimis in regno Persarum, uti usus frequens in libris Esdrae, Neh. Esth. ostendit. Etiam 3 Reg. 10, 15 ; 20, 24 de extraneis adhibetur.

intermissum. Salathiel erat ex posteris Iechoniae, filii Ioakim (cf. 1 Par. 3, 17); proin ex regia stirpe Davidis; Iesus vel Iosua (Iehoschua, Ieschua; cf. Esd. 3, 2. 8; 4, 3) filius erat Iosedec, qui tempore Nabuchodonosoris in Babyloniam abductus est (1 Par. 6, 15), et nepos Seraiae, qui cum aliis primoribus a Nabuchodonosore in Reblatha in terra Emath occisus fuit (4 Reg. 25, 18-21. Ier. 52, 24-27). Utriusque principis et civilis et sacri accurata recensetur origo, quia domui Davidis et filiis Aaron dignitas illa erat commissa, Deus autem fidelis etiam in theocratia truncata atque imminuta speciem ac formam prioris retentam et agnitam esse voluit.

De nominum ratione haec adnotare non erit abs re: Darius legitur in inscriptionibus cuneatis persicis *Dârayavus* et derivatur a forma causativa radicis *dar* i. e. tenere, ita ut explicatio *Herodoti* (6, 98: δύναται κατὰ Ἑλλάδα γλῶσσαν Δαρεῖος ἑρξίης) a vero non abludat; vide Fr. *Spiegel*, Die altpers. Keilinschriften p. 76. Nomen istud frequentissime occurrit etiam in cuneatis assyriacis; *Strassmaier* in lexico assyriaco n. 1918 recenset 29 modos quibus nomen hoc scribitur. De notione nominis Zorobabel varia tradunt: זְרוּי בָּבֶל alii explicant i. e. *in Babyloniam dispersus; Schegg* vult vocem זרוע *brachium* ibi cerni et explicari: *fulcrum eorum qui sunt in Babel*; sed communis et vera interpretatio est quam (inter alia plura) iam *S. Hier.* habet *ortus* vel satus, genitus *in Babel* i. e. זְרוּעַ בָּבֶל; nomen etiam in cuneatis assyriacis occurrit; vide *Strassmaier*. l. c. n. 2987, ubi *Zir-Babilu* זֵרַע בָּבֶל Babilone natus scribitur et explanatur. De altero nomine quo vocatur Esd. 1, 8; 5, 14 שֵׁשְׁבַּצַּר haec mecum *Strassmaier* communicavit: «adest in nomine mendum et legendum videtur שֵׁשְׁכַּצַּר vel שֵׁשַׁכְצַר i. e. שֵׁשַׁךְ i. e. בָּבֶל et צר i. e. זֶרַע i. e. Babylone natus».

Ita idem nomen esset secundum canonem «athbasch» elatum. Quod si ita est, usus istius canonis antiquus (cf. Ier. 25, 26; 51, 41 Sesac; 51, 1) novo exemplo constat. Aliam vocis explicationem ex lingua persica «cultor ignis» vide apud *Ges.* Thes. p. 1485. *Fürst* L. s. v. — De voce פֶּחָה censet *Strassmaier* esse verbum omnino semiticum quod frequens adsit apud Assyrios variis formis: *pachû*; inde *pichatu* provincia, satrapia, *pachat* regio, districtus, *puchu* etc.; Hebraeos vocem iam formatam ab Assyriis Babyloniisque accepisse, genuinam notionem ex *accadico* patere et esse — vicem gerere, locum alterius tenere (i. e. Stellvertreter, Statthalter); perperam a multis vocem ex persica lingua derivari (cf. l. c. n. 7038). Zorobabel h. l. et 1, 12. 14; 2, 3. 5. 24 et Esd. 3, 2. 8; 5, 2. Neh. 12, 1. Matth. 1, 12. Luc. 3, 27 dicitur filius Salathiel; at 1 Par. 3, 19 filius Phadaiae dicitur. Quare aliqui volunt duos esse Zorobabel (*Rib. Sanct. Lap. Tir.*); sed mirum esset, si in genealogiis 1 Par. 3 Zorobabel duce notissimo ac celeberrimo omisso, alius nullibi notus nominaretur. Alii volunt eum esse non filium sed nepotem Salathiel (*Calm. Schegg*); sed quomodo ostendent Phadaiam filium esse Salathiel? Ex 1 Par. 3, 17. 18 id minime colligitur; sed Phadaiam fratrem esse Salathiel; quare alii iure leviratus Zorobabel esse filium Phadaiae naturalem, legitimum vero Salathiel non improbabiliter coniiciunt (cf. Deut. 25, 5-10. Matth. 22, 24-28; vide *Keil, Trochon*).

Magna sane fuit consolatio et in rerum angustiis confortatio, cum Zorobabel et Iesus per prophetam a Deo excitatum et ad se missum pecu-

liarem Dei curam et singularem providentiam cernerent et pignus favoris divini agnoscerent. Primo Deus illis utitur tamquam iudicibus quibusdam (*Theod.*), quos proposita populi sententia excitet, ut perpendant ac videant, num in eo rerum statu omnia se rite habeant. Quare propheta eos alloquitur : v. 2 « *haec ait Dominus exercituum, dicens : populus iste dicit nondum venit tempus domus Domini aedificandae* » ; — cum populus tam explicitis verbis uti dicatur, obvium est opinari principes saepius iam opus ut aggrediantur monuisse, at rationibus contra allatis demum cessisse. Quare Deus ipse excusationem illam per prophetam discutiens serio monet, ut quantum valeat denuo recogitent. Cur vero nondum venisse tempus opportunum sibi velint persuadere, ex iis quae subsequuntur coniicere licet : terrae sterilitatem frugumque penuriam non suppetere sumptus necessarios (*Barh.*), timendas esse infestationes Samaritanorum, si Deus sibi templum exstrui vellet, fore ut removeret ea impedimenta. Ita secum ratiocinantes « speciosis sed inanium verborum tegumentis » (*Cyr.*) inertiam suam et rerum sacrarum negligentiam operire et excusare studebant (cf. *Sanct. Calm.*).

Textus lat. et graecus planus est et facilis, uti etiam versio syriaca et chaldaica : omnes praebent *non venit*, vel *nondum venit tempus*. Textus *mas.* implicitus est atque turgidus *non tempus veniendi, tempus domus D. ad aedificandum*. Quare punctatio *mas.* hoc loco erit relinquenda et retentis consonantibus rescribendum לֹא עַת בָּא עֵת i. e. non iam venit tempus vel non nunc venit (cf. *Hitz. Schegg*) ; עַתָּה cf. Ez. 23, 43, 27, 34. 2 Reg. 5, 26. Ps. 74, 6 ; לֹא significatione *nondum* vide Ez. 5, 9. Iob 22, 16.

Cum non sine contemptu dicatur *populus iste*, iam apparet Deum talem excusationem minime admittere. Quod ut ducibus plane innotescat et ut habeant, quo populi incuriam efficaciter excutiant, secundo fit ad eos sermo Domini v. 3 « *et factum est verbum Domini in manu Aggaei prophetae dicens : v. 4 numquid tempus vobis est, ut habitetis in domibus laqueatis, et domus ista deserta* » ? — repetitione quae v. 3 cernitur, indicari videtur post aliquam moram ad recogitandum concessam denuo prophetam divino impulsu accessisse ad duces, qui forte die festo sacrificiis intererant, iisque populi desidiam exprobrasse. Quodsi enim ipsi tempus habent et opportunitatem et opes, ut sibi domus aedificent ad luxum et delicias, qualis iam excusatio simulata proferri potest, ut Dei domum plane negligant ? Sibi exstruunt domus ornatas atque compositas (*S. Hier.*), *laqueatas* i. e. « variis artificum commentis illustratas a lineis, quae in laqueorum modum variis se voluminibus implicant » (*Sanct.*), vel *tabulatas* (hebr.), quarum muri tabulis tecti et ornati sunt,

vel quae sint uti *Chald.* habet, tabulis cedrinis tectae [1]. Cum curam adeo exquisitam suis impendant domiciliis, « habitaculum meum in quo fuerunt sancta sanctorum et cherubim et mensa propositionis, pluviis rigabitur, squalebit solitudine, sole torrebitur » (*S. Hier.*)? Ex hoc uno iam satis elucet, inanem fuisse excusationem populi eosque ex divini cultus contemptu vel saltem negligentia nimia et desidia sibi voluisse persuadere tempus nondum adesse opportunum. Quicumque enim aliqua rerum sacrarum cura et reverentia tangitur, sensus induit Davidis : « videsne quod ego habitem in domo cedrina et arca Dei posita est in medio pellium » (2 Reg. 7, 2), quibus verbis suum enuntiat desiderium, dummodo per Dominum liceat, templum aedificandi.

Rei huius indignitatem quam aegre ferat Deus et quibus eam poenis prosequatur, cum emphasi populo denuntiat v. 5 « *et nunc haec dicit Dominus exercituum : ponite corda vestra super vias vestras* » ; — « observandum diligenter in singulis prope verbis afferri a propheta divini testimonii fidem, ne quis existimaret vel unum tantum verbum proferre sacrum vatem a suo, humano videlicet spiritu » (*Sanct.*) ; monentur ut attente considerent, quae fecerint, quae passi sint (*S. Hier.*), quis sit constans rerum eventus, laborum operumque fructus et quare talia iis accidant. Iam quae diu [2] experti sunt, iis proponit v. 6 « *seminastis multum et intulistis parum*; *comedistis et non estis satiati; bibistis et non estis inebriati; operuistis vos et non estis calefacti; et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum* » ; — cf. Lev. 26, 19. Deut. 11, 17 ; 28, 38 ; laboribus eorum deerat divina benedictio ; rerum penuria premebantur neque ea quae praesto erant, deficiente favore divino multum utilitatis afferebant, ita ut fame, siti, frigore laborarent ; pecunia mercede vel lucro acquisita parum prospere cessit et tam celeriter et sine fructu et utilitate dilapsa esse videbatur, quasi in marsupium pertusum mitteretur ; « Aggaei verba proverbium sapiunt, qualia sunt illa : cribro aquam haurire, pertusum dolium implere » (*Calm.* sim. *Sanct.*) ; « omnis labor vester ... non habuit eventum ... quicumque vestrum sive negotiatione sive mercenaria manu [3] mercedes congregavit, frustra labor sine pretio laboris impensus est ; omnes enim velut si quis in pertusum sacculum mittat, pecuniae defluxerunt » (*S. Hier.*).

---

1. LXX ἐν οἴκοις κοιλοσταθμοις· explicat *S. Cyr.* domus, quarum antepagmenta sive postes portarum ferro sculpti opificum solertia circumcirca emblematis mira varietate et artificio elaboratis exornantur.

2. Nam ea non posse cum aliquibus ad messes restringi anni ultimi, elucet ex 2, 15-17 ; idque ipsa descriptio in hebr. suadet, quae a verbo finito mox in infinitivum absolutum transit, qui modus ad repetitionem et iteratum eventum aptus est ; cf. *Ewald*, Lehrb. d. hebr. Spr. § 280 b.

3. Verbum שָׂכַר *mercede conducere* significat in hithp. *laborem suum mercede collocare*;

Igitur temporum angustiae rerumque penuria non modo non excusant operis intermissionem, sed ea afflictio propter culpam illam est immissa. Frustra igitur quamdiu desides sunt, meliora tempora praestolantur.

b) Calamitatum causa et remedium 1, 7-11.

« Crebro admonet sciens id in rem esse audientium; sic Paulus scribit »: « eadem scribere vobis mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium » (Phil. 3, 1) — ita *S. Cyr.* notat ad v. 7 « *Haec dicit Dominus exercituum : ponite corda vestra super vias vestras!* v. 8 *ascendite in montem, portate ligna et aedificate domum! et acceptabilis mihi erit et glorificabor, dicit Dominus* »; — monitio distincta et per singula explicata magis animos ferire solet, simulque pandit, quantum ea res monenti sit cordi et curae. *Montem* multi intelligunt Libanum, ex quo cedri ad templi structuram comportari antea solebant (Esd. 3, 7; cf. *Rib. Sanct. Sa, Lap. Tir. Calm.*), id quod etiam ipsius templi dignitas videbatur postulare (*Schegg*); sed cum certe non solum ligna cedrina adhiberentur et in rebus istis afflictis lignorum a Tyriis Sidoniisque acquisitio videatur difficilior neque ipsi satis apte admonerentur Iudaei, ut ad montem Libanum se conferrent, melius cum aliis dices, prophetam magis in universum dicere, ut materiam ad aedificium necessariam comportent. Cur lignorum solum mentio fiat, multi subtilius quaerunt. Iudaeorum fabulas omitto, quas legere potes apud *S. Hier. Sanct. Lap.*; rationem aliam reddit *Sanct.*, superfuisse saxa ex priore templo, lapides scil. sanctuarii, quos dispersos dicit Ieremias per capita omnium platearum (Lament. 4, 1); sed nonne simplicius est ac verum dicere, prophetam ex variis operibus, quae praestanda erant, unum ad exemplum protulisse, ceteris utique neque exclusis neque negatis?

Si operam suam in opere Dei collocant, tunc *complacebo mihi in eo* (hebr.), id Domino erit gratum acceptumque, tunc iis cum gratia reconciliabitur et *glorificabo me* (hebr.) i. e. singulari protectione beneficiisque praestitis Deus gloriam suam ac potentiam coram Iudaeis et « populis terrae » praeclare manifestabit (*Calm.*). Si ipsum honoraverint, etiam Deus se illis exhibebit gloriosum; « ego vicissim hoc vestro templi aedificio delectatus ea vobis beneficia conferam, quae me palam ostendent

---

quare de iis est sermo qui mercede conducti laborant, sed qui ex mercede accepta nihil vel parum fructus percipiunt. De istis explicat v. g. *Theod.*; de mercatoribus *Cyr.*; de utrisque *Rib. Sanct.*

illos maxime iuvare valentem qui benevolo obsequio mihi obediunt » (*Theod. M.*). In hac Dei gloria etiam ipsi gloria illustrabuntur. Sensus iste fecundior est et ad modum loquendi s. literarum plane factus (cf. Ex. 14, 4. 17. 18. Lev. 10, 3. Is. 24, 14; 43, 20; 66, 5), quare praeferendus est alteri explicationi : tunc hymnis etc. in templo honorabor. Praeclara promissione populum excitat Deus; nam apud populos Dominus tunc magna cum gloria et maiestatis veneratione nominatur, quando populus Domini prospere agit, dum e contra populi conditionem miseram et abiectam in ipsius Domini opprobrium vertunt.

A spe praeclara ut oculos dirigant ad praesentem miseriam quam diu iam experiuntur, eiusque causam intime sibi persuadeant, hortatur : quare quoties spe sint delusi, commemorat : v. 9 « *respexistis ad amplius, et ecce, factum est minus; et intulistis in domum et exsufflavi illud. Quam ob causam? dicit Dominus exercituum; quia domus mea deserta est, et vos festinatis unusquisque in domum suam* »; — i. e. messis omni exspectatione erat minor et pauca illa quae in horreis condita sunt, Dei benedictione subtracta parum profuerunt vel in ipsis horreis perierunt; « quae fruges natae videbantur, eas pessum dedi » (*Theod. M.*), « ex ipsis receptaculis dissipavi » (*Theod.*), dispersi, quasi vento abstuli. Subtilius explicant alii : frumentum emortuum et vacui folliculi farinam et similam non habebant (*S. Hier. Alb. Rib.*); grana erant vana, vel vermiculis corrumpebantur (*Sanct.*). Sensum bene expressit *Chald.* : « immittam in illud maledictionem ». Quo magis reddantur attenti, ipse Deus iis ponit quaestionem et responsum subiungit, quo impietas eorum breviter sed nervose carpitur : Dei domus iacet deserta; nemo hac re tangitur; verum pro sua quisque domo *festinant*, magno studio, sedula diligentia discurrunt, laborant, sudant, ut suas domus non solum exstruant, sed exornent (cf. v. 4).

Sed quia Domini curam non habent, etiam Dominus non habuit curam de rebus ipsorum v. 10 « *propter hoc super vos prohibiti sunt coeli ne darent rorem, et terra prohibita est ne daret germen suum* »; — hebr. etiam magis emphatice vertere potes : *propter hoc causa vestra* [1] *coeli concluserunt rorem* i. e. propter vos, propter culpas vestras, uti *Chald.* explicat; *et terra retinuit proventum suum*; « non solum, inquit, coeli

---

1. עַל hanc etiam habere significationem constat, uti ex pluribus loquendi formis עַל־זֹה, עַל־דְּבַר etc. elucet alioque usu, v. g. Ps. 44, 23 « propter te mortificamur tota die »; Ruth. 1, 19. Iob 32, 2; 34, 36 etc. vide *Ges.* Thes. II p. 1026. Versio *super vos* alludit ad Deut. 23, 28. *Syrus* et *Chald.* priorem notionem exprimunt, quae h. l. apta est neque quod vult *Reinke*, praecedente phrasi *propter hoc* excluditur; sed potius forma haec loquendi generalis additamento magis determinatur.

pluviam non dederunt, quibus irrigata humus fructus facit, sed ne rorem quidem matutinum atque nocturnum, ut arentes agri saltem humore modico temperarentur » (*S. Hier.*). Ut ipso vocis sono poena iustissimae alionis iis indicetur, in hebr. est « elegans paronomasia, qua poena alludit ad culpam : quia, inquit, domus mea est *chareb*, deserta, hinc ego pariter vocavi *choreb*, siccitatem » (*Lap.*) ; v. 11 « *et vocavi siccitatem super terram et super montes et super triticum et super vinum et super oleum et quaecumque profert humus, et super homines et super iumenta et super omnem laborem manuum* » ; — regionem campestrem et montanam, omnia genera frugum, homines et iumenta et cuncta denique dicit esse afflicta et prostrata, in quibus operam collocare solebant. Hac enumeratione singula eis ob oculos ponens stimulos addit, quibus e socordia et gravi negligentiae sopore excitentur et malis praesentibus ad meliora consilia propellantur.

Adnotat *S. Hier.* : « pro siccitate Septuaginta μάχαιραν i. e. *gladium* transtulerunt ; sed et in hebraico tribus literis scriptum reperi (חרב) *heth, res, beth*, quod si *hareb* legimus, *gladium* sonat ; si *oreb* καύσωμα, quod nos transtulimus *siccitatem*, licet melius in *ventum urentem* transferri possit. Et revera quoniam sermo de terra est et de agrorum sterilitate, magis mihi videtur *ventus urens* in praesenti loco intelligi debere, quam *gladius* ; licet omnis plaga quae propter peccata hominibus inferatur, possit et pro gladio accipi ». Etiam *Syrus* exprimit *gladium* (cf. Soph. 2, 14) ; *Chald.* rite *siccitatem*.

c) Admonitionis effectus 1, 12-2, 1.

« Initium sapientiae timor Domini ». Postquam docente propheta causam irae et indignationis Dei didicerunt, salutari timore percelluntur, quae sane optima est vitae melioris praeparatio ; v. 12 « *Et audivit Zorobabel filius Salathiel et Iesus filius Iosedec sacerdos magnus et omnes reliquiae populi vocem Domini Dei sui et verba Aggaei prophetae, sicut misit eum Dominus Deus eorum ad eos ; et timuit populus a facie Domini* » ; — reliquiae omnes illi sunt, qui ex exsilio redierunt, qui numero non adeo multi populi electi olim numerosissimi solum pars quaedam et reliquiae censentur (cf. Is. 10, 21. 22) ; reliquias enim esse reversuras i. e. partem quandam electam prophetae saepe annuntiarant (cf. Ier. 23, 3 ; 44, 12. Mich. 2, 12 ; 4, 7 ; 7, 18. Soph. 2, 9 ; 3, 13 etc.).

Deus vero statim magna benignitate iis occurrit, qui ad ipsum corde sincero sese convertunt ; « nempe ut ostendat, quod simul ac mores immutarunt et aedificando templo studium impenderunt, statim Deus promiserit se patrocinium ad omnia exhibiturum » (*Theod. M.*), novo

nuntio approbationis et confortationis Aggaeum ad eos mittit; v. 13 « *et dixit Aggaeus, nuntius Domini de nuntiis Domini, populo dicens : ego vobiscum sum, dicit Dominus* » ; — i. e. se loqui ait tamquam legatus ac nuntius Domini, nomine, auctoritate, mandato Dei; hebr. verte : *dixit... in legatione Domini*; quo significat Deum eorum voluntatem habere ratam et in signum ac pignus approbationis speciali missione cum verbo consolatorio prophetam ad eos delegasse. Pauca quidem verba sunt *ego vobiscum*; at sensu plenissima, efficacia potentissima; « confidite, inquit, quoniam me et operis participem et adiutorem habetis » (*Theod.*); « est autem notandum in hoc propheta et in Zacharia saepius repeti *dicit Dominus*, quia populus auctoritate et vi verborum Domini erigi debebat » (*Rib.*).

Illud *de nuntiis* non est explicandum cum *S. Hier. Rib. Lap. Tir. Calm.* « de prophetis, de numero prophetarum », quasi Aggaeus nihil aliud diceret, quam se prophetam esse unum de prophetis, id quod quam ieiunum sit ac frigidum, nemo non persentiscit, sed ex hebr. *in legatione* i. e. sermonem protulit ex iis quos tamquam nuntios perferendos a Domino acceperat (*Sanct.*). Eundem sensum textus hebr. exprimunt *Syrus* et *Chald.*; at LXX habent ἐν ἀγγέλοις; ita *Theod.* quoque secundum cod. syr. hexapl, Ex qua interpretatione apud aliquos, quorum meminerunt *S. Hier.* aliique (*Haim. Lap. Calm.*), opinio orta est Aggaeum qui dicatur ἄγγελος ἐν ἀγγέλοις angelum fuisse humana forma indutum. Textum hebr. *Houbig.* interpretatur : « nuntius Domini propter opus Domini » scil. ad illud urgendum; vocem scil. ob oculos habet מְלָאכָה, plur. מַלְאֲכוֹת (in statu constr.), quae vox dempta punctatione iisdem literis constat; de qua significatione cf. 1 Chron. 23, 4. Esd. 3, 8 et fere etiam Ps. 73, 28.

Statim cernitur « confortationis effectus » (*Alb.*); v. 14 « *et suscitavit Dominus spiritum Zorobabel filii Salathiel, ducis Iuda, et spiritum Iesu filii Iosedec sacerdotis magni, et spiritum reliquorum de omni populo; et ingressi sunt et faciebant opus in domo Domini exercituum Dei sui;* 2, 1 *in die vigesima et quarta mensis, in sexto mense, in anno secundo Darii regis* » ; — suscitare spiritum idem est atque aliquem reddere promptum, magno eum fervore ac studio imbuere excusso quasi somno pigritiae et negligentiae, vires addere atque animum. Cum omnes etiam *duces* excitentur, ipsi quoque Zorobabel et Iesus aliquam negligentiam admisisse videntur, saltem populo conniventes eiusque excusationes ratas habentes. Opus aggressi sunt die 24 eiusdem mensis, in cuius primo die admonitio prima facta est; tempus intermedium deliberationi et consiliis rei moliendae impendebant (*Cyr. Rib.*) vel materiarum praeparationi et apparatui conquirendo insumebant (*Men.*).

Ex commentario *S. Hier.* liquet, eum duos istos versus intime in-

ter se iunxisse, ita ut perperam in editionibus *vulg.* ab altero novum caput incipiatur. Ita enim scribit : « et ingressi faciebant opera, quae digna erant penetralibus domus Domini, in eodem anno Darii regis quo et supra, in eo mense qui et in principio positus est; sed non in eodem die ; ibi enim unus dies mensis ponitur, hic vero vicesimus quartus » etc. Et ita immediate iungunt et opus inchoatum esse explicant *Cyr. Theod. Haim. Rup. Alb. Rib. Sanct. Lap.*, brevi omnes interpretes ; quare mirum est in editionibus *vulg.* constanter versum hunc alteri praefici capiti, idque eo magis mirum, quia Hugo a S. Caro, qui primus capita quae hodie habentur distinxit [1], verba ea quae nunc in *vulg.* in initio cap. 2 legimus rite cum antecedentibus coniunxit. Scribit enim : « *mense sexto* primo die huius mensis audierunt verbum Dei et *vigesima quarta* incipiunt facere opus Dei. — In *septimo mense* : haec est secunda visio » etc. At optimus est distinguendi modus quem apud *S. Cyr.* deprehendimus, ut a verbis « in anno secundo » etc. cap. 2 inchoetur.

Sed hoc divisionis vitium est inolitum. Iam *Alb.* adnotat : « nota quod licet communiter bibliae hic habeant capitulum, tamen secundum Hieronymum et secundum glossam legendum est istud cum praecedenti et sic punctandum : ingressi sunt et faciebant opus . . . in die 24 mensis in 6 mense, et capitulum postea incipit : in anno secundo Darii regis, septimo mense ». *Lucas* Brug. antiqua manuscripta indicare ait verba illa ad finem periodi antecedentis esse ponenda, quia « verba sequentia *in septimo mense* incipiunt a litera capitali ». *Rib.* ita : « male haec verba in multis exemplaribus in secundo capite ponuntur, cum omnino pertineant ad praecedentia et initium secundi capitis esse debeat : in septimo mense, ut incipere videmus apud Hieronymum et in glossa ordinaria et ut ego in antiquo codice manuscripto reperi » ; monetque simile vitium deprehendi in initio cp. 27 Ier., ubi verba « in principio regni Ioakim filii Iosiae regis Iuda » omnino ad finem cp. 26 pertinent ; id quod verissimum est.

ALTERA ADMONITIO DE FUTURA TEMPLI GLORIA 2, 2-10.

ARG. — Versus finem festi tabernaculorum cum prioris templi splendorisque eius recordatio animos nonnihil deprimeret templumque quod nunc erat exstruendum, quasi vile despicerent, nova promissione de Dei fideli ac potenti protectione et adimpletione promissionum moestos erigit propheta (2, 2-6) ; et speciatim edicit, mox fore tempora messianica eiusque bona ; quare templum hoc alterum maiore gloria quam prius fore illustre (2, 7-10).

---

1. Haec capitum distributio a *Balaeo* (Hist. eccl. Centur. 13, n. 17) attribuitur Stephano Laughton, archiepiscopo cantuarensi (1227). Vide *Cornely,* Introd. I p. 35. 36.

α) Dei promissa protectione moestos erigit 2, 2-6.

Festo tabernaculorum iam ad finem vergente, quippe quod a die 15 mensis septimi per 7 dies celebrabatur et octavo die « celeberrimo atque sanctissimo » absolvebatur (cf. Lev. 23, 34-43. Deut. 16, 15), iterum fit verbum Domini ad prophetam. Dum enim festum agerent tabernaculorum et per dies sollemnes, uti festi ratio et institutio exigebat, beneficia olim populo electo praestita recolerent, fieri non potuit, quin temporum praesentium afflictionem et conditionem humilem magis magisque persentiscerent. Quam si comparatione instituta cum splendidis oraculis ab Isaia aliisque de periodo instaurationis editis conferebant, nihil nisi triste, abiectum tunc sibi accidere conqueri facile poterant. Quare mirum non est, cum templi humilis structura ipsa de abiectiore conditione eos admonere videretur, quod operis faciendi alacritatem mox tristitia quaedam et animorum deiectio exceperit. Adde, quod anteacti anni messis parva et manca aliam tristibus addebat lugendi materiam ; animi autem lugentes calamitatem suam undequaque accrescere et augeri facile sibi persuadent. Quare Deus, antequam celebritas tabernaculorum finiretur, moestos consolari et ad novam alacritatem provocare studet ; v. 2 « *In septimo mense, vigesima et prima mensis factum est verbum Domini in manu* [1] *Aggaei prophetae dicens :* v. 3 *loquere ad Zorobabel filium Salathiel, ducem Iuda, et ad Iesum filium Iosedec, sacerdotem magnum et ad reliquos* [2] *populi dicens :* v. 4 *quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima ? et quid vos videtis hanc nunc ? numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris* » ? — Optime *S. Cyr.* caput hoc incipit : « secundo anno sub Dario rege » i. e. verba ultima praecedentis versus ad hunc trahit [3], uti novae rei relatio plana ac distincta exigere videtur. — Iam cum templi fundamenta sub Cyro ponerentur, « plurimi etiam de sacerdotibus et levitis et principes patrum et seniores, qui viderant templum prius cum fundatum esset, et hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna » (Esd. 3, 12). Idem evenisse aedificio paulatim surgente eo magis oportuit, quia quae oculis cernimus animos magis commovent atque percellunt ; unde quo magis templi aedificium crescere, eo vividius et efficacius apparuit, quantum a priore distaret, qui *aspectus* iam non solum menti exhibitus,

1. Vide ad 1, 1.
2. Ad reliquias populi ; vide ad 1, 12.
3. Et ita revera aptius ac commodius novae rei narratio incipit ; antecedentia enim secundo anno Darii contigisse, ipsa serie narrationis proditur, quare minus apte series illa anno iterum adiecto concluditur. Id iam vidit *Alb.*

verum ipsis oculis haustus maiorem in dies doloris sensum animis inussisse censendus est. Aderant sine dubio, qui prius templum pueri vel iuvenes viderant — nam a templo combusto anno 588 a. Ch. usque ad alterum Darii Hystaspis annum anni fluxerant 68 — et qui eius speciem animis alte impressam gerebant; reliqui ex aliorum narratione magnificum sane atque excellentissimum artis exemplar sibi efformaverant et forte vero sublimius; nonne enim qui de re magnifica ad aliorum admirationem referunt, facile exaggerant, quia aliorum obstupefactione delectantur atque sibi ipsis ex rei magnitudine aliquid existimationis conciliari censent? nonne si alios admirabundos loqui audimus, facile rem animis fingimus sublimiorum? Quare istis considerationibus adhibitis sine ullo negotio elucebit, quare templum hoc quasi *nihil* comparatione prioris facta spreverint. Solet namque animus, uti gaudio affectus, ita moerore obrutus unamquamque fere rem aut mire extollere aut in imum deprimere.

In textu hebr. כָּמֹהוּ כְּאַיִן cum particula comparationis dupliciter posita non caret difficultate. Aliqui vertunt : nonne id quod est *sicut illud* est *quasi nihil* in oculis vestris (cf. *Hitz. Schegg*). Sed locutio satis implexa est; in ea enim non templum, sed aliquid quod sit simile templo, in comparationem adhibetur, cum tamen templum ipsum denotare velint; vel : nonne (domus) qualis est, sicut nihil est in oculis vestris (cf. *Reinke*); at hic quoque deest saltem clarus ac simplex dicendi modus, quem in lingua vulgari qua populus suos solet exprimere sensus, quam maxime et iuremerito exspectamus. Forte explicari potest ex analogia cum Gen. 44, 18, ubi in hebr. duplex est comparationis particula in sententia : quia tu es sicut Pharao; vel uti Ios. 14, 11 et 1 Sam. 30, 24, ubi vim particulae reddes : nonne quantum (quale) istud, tantum (tale) *nihil* est in oculis vestris; sed hic etiam modus non satis simplex est atque obvius pro cogitatione adeo clara. LXX unam tantum exhibent particulam; item *Syrus*; *Chald.* verbis transpositis et inserto כֵּן bene sensum reddit : nonne tamquam nihil ita ipsum reputatur in oculis vestris. *Houbig.* textum hebr. emendandum censet et scribendum ממנו prae illo : nonne hoc templum comparatum cum priore (prae illo ?). est sicut nihil? Alii rem expedire volunt allegantes Is. 24, 2. Os. 4, 9 : « et erit sicut populus, sic sacerdos », quibus addi potest Lev. 24, 16 : « morte morietur sicut peregrinus ita civis »; sed haec exempla non sunt ad rem, quia in iis de duabus rebus simul tertium aliquid enuntiatur, in nostro autem loco duae res inter se comparantur, ex qua comparatione demum sensus percipi debet.

Templum alterum splendore et magnificentia multum cessisse priori, iam inde elucet, quod in templo Salomonis pretiosa ligna et aurum sumptuosissime adhibebantur (cf. 3 Reg. 6, 9. 10. 15. 18. 20-35. 2 Par. 2, 2-4, 22) : « nihil erat in templo quod non auro tegebatur — sed et pavimentum domus texit auro intrinsecus et extrinsecus » etc.; tempore vero Aggaei ad tales sumptus nemo cogitationem adiicere potuit; immo iam sola recordatio quot operarii adhibiti sint a Salomone, animos tristi

comparatione obruere debuit; Salomoni enim fuerunt « septuaginta millia eorum qui onera portabant et octoginta millia latomorum in monte » (3 Reg. 5, 15), dum qui Cyro permittente reversi sunt universi non erant nisi quadraginta duo millia trecenti sexaginta cum septem millibus trecentis triginta septem servis et ancillis (Esd. 2, 64. 65). Utrum vel qua ratione templum alterum *magnitudine* cesserit, certo dici nequit. Si in templo Salomonis porticus ante frontem revera erat altitudinis centum viginti cubitorum [1] (2 Par. 3, 4), templum alterum quod ex Cyri mandato altitudinem sexaginta cubitorum superare non potuit, etiam ea parte multum inferius erat priore. Ceterum ex Talmudistarum doctrina quinque deerant templo secundo : arca foederis, ignis sacer, schechina (nubes lucida super arcam tamquam signum praesentiae divinae), spiritus prophetiae, Urim et Thummim (tract. *Ioma* f. 21, 2. cf. *Mar. Keil*, Handbuch der bibl. Archaeologie, I p. 139).

At Deus « non sinit eos moerore deiici neque terroribus ad inertiam expugnari; quin potius ad laborandi fervorem incitat et vigorem alacritatemque illis iniicit » (*Cyr.*); unde v. 5 « *et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus, et confortare Iesu fili Iosedec, sacerdos magne, et confortare omnis populus terrae, dicit Dominus exercituum, et facite; quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum;* v. 6 *verbum quod pepigi vobiscum cum egrederemini de terra Aegypti, et spiritus meus erit in medio vestrum, nolite timere* »! — triplex repetitio exhortationis *confortare* magnam exhibet vim et divini auxilii promptitudinem spondet; dicitur absolute *facite* i. e. opus perficite, sedulo operamini; subditur ratio, cur alacriter operi insistant : Deum scil. habent adiutorem et quis tanto adiutore et auctore non prompto animo se ad opus accingat? Promissionem de ope praesenti ferenda fulcit Deus declarans foedus olim initum firmum ac ratum consistere, proinde se qua sit fidelitate immutata non posse non praesentem adesse et efficax ferre auxilium. Unde « qualiter cum eis sit, subdit : *verbum* etc. » (*Alb.*) i. e. « vos eritis mihi in peculium de cunctis gentibus, in regnum sacerdotale » (Ex. 19, 5. 6; *Rib. Schegg, Trochon*), ex quo consequens est : « ponam tabernaculum meum in medio vestrum et non abiiciet vos ani-

1. Talis quidem porticus altitudo a multis variis rationibus impugnatur; cf. *Keil*, Handbuch d. bibl. Archaeologie, I p. 138, et imprimis *von Haneberg*, Die religioesen Alterthümer der Bibel (2. edit.) p. 241 seq. qui complurium sententias rationesque negantium et affirmantium perpendit et rem ita fieri potuisse, uti 2 Par. 3, 4 habetur, non improbabiliter suadet; vide de eadem re etiam *Vigouroux*, la Bible et les découvertes modernes, III p. 486. Tempore Herodis opinio illa de tanta porticus altitudine omnino valuit; Herodes enim, uti *Iosephus* refert (Antiq. 15, 11, 1), ratione allata de templi Salomonis altitudine novam templi structuram in eandem molitur altitudinem; quam rationem non spernendam iam *Rib.* affert.

ma mea » (Lev. 26, 11; *Sanct.*). Vi pacti huius firmi ac stabilis etiam *spiritus* Domini erit *stans*, consistens (hebr.) inter eos i. e. spiritus ille vim et efficaciam spirans, vitam largiens et vigorem, de quo : « emittes spiritum tuum et creabuntur », qui dicit sollicitam in Deo curam, amo rem, providentiam, patrocinium, tutelam (cf. *Sanct.*) et qui adesse iam probatur ex eo, quia ab ipso prophetae, Aggaeus et Zacharias, sunt inspirati et ad animos excitandos impulsi (cf. *Alb.*; ita iam *Chald.* : prophetae mei docentes inter vos). Unde cum « spiritus meus non recedat a vobis, *nolite timere*, ego sum qui iubeo Dominus omnipotens, cuius dixisse fecisse est » *(S. Hier.)*.

Aliqui iungunt *facite verbum* parenthesi interposita; ita *S. Cyr. Lap. Men. Tir.*; sed coniunctio haec est satis dura neque sensus videtur satis ad rem praesentem accommodatus; neque enim admonentur in universum, ut foedus olim initum vel renovent vel servent, sed verbum audiunt consolatorium, quo animi deiecti confortentur. Adde quod *S. Hier.* nexum illum prorsus non agnoscit; scribit enim : « nolite desperare, nec lassas manus dimittite sed... confortamini et facite opus in domo mea : ego enim sum vobiscum et sermo meus quem pepigi vobiscum ». Eodem modo *Theod.* : καὶ ὁ λόγος μου... καὶ τὸ πνεῦμά μου ἐφέστηκεν ἐν μέσῳ ὑμῶν· sim. *Alb. Rib. Sanct. Sa, Mar. Schegg, Reinke, Trochon.* In hebr. incipit sententia a particula אֶת quae cum nota sit accusativi, explanationem *facite verbum* commendare videtur. At non necessario; neque enim desunt exempla, quibus alius quoque eius particulae usus satis innotescit, quo uti latinum *quoad*, *quod attinet ad* adhibetur, ut notio quaedam maiori cum vi efferatur; cf. Ez. 17, 21; 44, 3; alia vide apud *Ewald*, Lehrbuch d. hebr. Spr. §. 277 p. 683 seq. *Ges.* Thes. p. 168; *Reinke* (Hag. p. 74). Haec explicatio plana est; aliud verbum supplere v. g. recordamini verbum, id quod aliqui supplent, plane est arbitrarium; neque commodum est cum aliis explanare : sum vobiscum... *cum verbo* quod pepigi vobiscum.

b) Maior templi gloria 2, 7-10

Quo alacrius operi manus admoveant templumque ipsum, etsi sit salomonico inferius, maiore pretio aestiment, Deus tempora instare monet messianica iisque adumbratis ostendit, qualem ac quantam gloriam ex salute messianica ibi manifestanda et concedenda in templum redundaturam esse aequum sit.

Cum templum utpote habitaculum Dei in medio populo suo et locus propitiationis quam maxime exhibeat Dei cum suis commercium, instauratio templi simul est verum quoddam pignus et excellentissima sponsio instaurationis foederis divini. Quae instauratio cum ex indole foederis ab initio initi et divinis promissionibus manifestati intimo quodam

nexu tempora prospiciat messianica (cf. Is. 40 - 66. Os. 2, 18; 3, 5. Am. 9, 11. Mich. 4, 1. Soph. 3, 8. 9 etc.), inde fit, ut ipsius templi restitutio vivum quoddam evadat et efficax vaticinium periodi messianicae. Unde iis qui moerentes et tepidi fabricam templi vel despiciunt vel negligunt, Deus proponit, quantorum bonorum praesagium et symbolum templum revera sit: eos nimirum excitat, ut conscii sibi fiant, se illud iam moliri templum, quod summa gloria sit exornandum. Simul v. 7 et seq. indicatur maior quaedam et amplior explicatio versus praecedentis; quomodo scil. Deus pactum suum sit in opus deducturus, qua ratione, potentia, gloria spiritus eius sit inter populum suum electum sese manifestaturus et omnem timoris causam longissime amoturus. Tempus autem messianicum ex vaticiniis antea iam promulgatis delineatur tamquam periodus, qua omnium rerum gentiumque commotione et innovatione novus isque divinus ordo sit progignendus.

Initium fit ab eo quod est maxime generale et universale : v. 7 « *Quia haec dicit Dominus exercituum : adhuc unum modicum est, et ego commovebo coelum et terram et mare et aridam* » ; — hebr. verte : *adhuc semel* (uti LXX ἔτι ἅπαξ — cf. Hebr. 12, 26), *modicum* (*est*) id i. e. post modicum tempus; dicit ergo Deus se adhuc semel, adhuc una vice commoturum coelum et terram. Certe adest allusio ad commotionem illam, qua foedus sinaiticum erat vestitum, cum « coeperint audiri tonitrua ac micare fulgura et nubes densissima operire montem » (Ex. 19, 16; cf. Deut. 5, 23); nam in prisca illa manifestatione « terra mota est coelique ac nubes distillaverunt aquis, montes fluxerunt a facie Domini et Sinai a facie Dei Israel » (Iud. 5, 4. 5; cf. Ps. 67, 8. 9); bene *S. Hier.* : « quando primum testamentum dabam et in Sina monte sum visus, commovi coelum et terram et mare rubrum et desertum, ut vobiscum ponerem testamentum » ; similia monet *S. Cyr.* : « quando Israelem vindicare in libertatem cogitabat, visus est tantum non omnia concutere, aquis quidem in sanguinem versis, coelo grandine demissa, mari diviso, instar murorum aquis defixis et coelo manna suppeditante » (sim. *Haimo, Alb. Sanct. Est. Mar. Lap. Trochon*)[1]. Cum prius foedus ita commemoretur, facile concludendum erit, intercedere rationem symbolicam et typicam inter illud et novum alterum. Si autem sermo fit de nova com-

1. Neque ullo pacto obstat quod *Schegg* contra eam explicationem excipit : ibi gentium commotionem non adfuisse ; nam certe Aegyptii commovebantur et Ex. 15, 24-16 de terroribus fit sermo immissis in Philisthiim, in principes Edom et Moab, in omnes habitatores Chanaan. Aggaeum vero priorem commotionem respicere, immerito negatur, dicit enim עוֹד *rursus semel*, neque unquam haec particula nativa sua vi destituitur *plane*; cf. *Ges.* Thes. p. 998. *Keil*; etiam 2 Sam. 19, 36 et 2 Chron. 17, 6 eam retinet.

motione, sponte quasi sua illa vaticinia in memoriam revocantur, quibus Deus periodum messianicam *integram* iam olim exhibuit apud Ioel et Isaiam; Ioel 2, 30. 31: « dabo prodigia in coelo et in terra... sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem » (cf. 3, 15); apud Isaiam vero de commotione maxima est mentio, qua iudicium messianicum sit vestiendum (cf. 24, 1. 19-23); regnum autem messianicum proponitur tamquam creatio, plantatio novae terrae novorumque coelorum (Is. 51, 16; 65, 17; 66, 22). Affertur enim regno messianico innovatio quaedam atque immutatio creaturae, liberatio a servitute corruptionis et glorificatio in gloria filiorum Dei; sed antequam ad ultimum hoc fastigium perveniatur, multiplex antecedat necesse est rerum omnium et coelestium et terrestrium commotio [1], illa maxime, qua in iudicio universali periodus terrestris absolvitur; alias minores cernere licet in variis imperiorum perturbationibus, quorum ruina regnum messianicum est constitutum, in multis etiam prodigiis, in mira Dei protectione, in laboribus illis terra marique susceptis, quibus simul cum manifesta nationum per orbem terrarum commotione spirituali seu regeneratione regnum messianicum est propagatum. Erat enim et est revera *fermentum*, quod universum orbem pervadit ac fermentat; est Dei institutio, qua vires coelestes tribuuntur et in qua tota simul coelestis hierarchia magna alacritate suas peragit partes (cf. Eph. 3, 10. Hebr. 1, 14). Amplissimo igitur sensu ortus, progressus, effectus regni messianici dicuntur coeli terraeque commotio.

Et quia regni messianici praeparatio, quae testibus prophetis (cf. Is. 2, 12 seq.; 19, 21. Mich. 5, 10 seq. Dan. 2, 44) fit deiectis et deletis regnis terrenis, iam instat — regna enim Assyriorum, Aegyptiorum, Chaldaeorum, post quorum casum prophetae regnum messianicum exsurgere cernebant, iam perierunt; regnum Persarum mox interibit; regnum vero Graecorum et Romanorum ex divina providentia viam debet parare praedicationi et faciliori diffusioni salutis messianicae — quia igitur praeparatio regni messianici iamiam instat, tempus *modicum* esse ait propheta, usque dum commotio illa *incipienda* sit. Est insuper (quae ratio multis arridet) tempus modicum, si tempus primae promissionis et per multa saecula iam exspectationis spectes, vel si tempus illud ad aeternitatem conferas vel etiam ad temporalem regni messianici durationem (cf. *Rib. Sanct. Sa, Lap. Men. Tir. Gord.*). Vel si malueris, cogita prophetam in Dei specula stantem, qui interna mentis acie

1. Eo enim ambitu verba esse intelligenda etiam vehementer commendatur explicatione in epistola ad Hebraeos (12, 26. 27) data.

multorum saeculorum cursum perlustrat et coram quo simili modo « mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna quae praeteriit ».

Eam commotionem varie explicant. *S. Cyr.* eam cognitione contineri vult, qua et coelum i. e. angeli et terra et mare et insulae mysterium Salvatoris perceperint ; sim. *Theod.* ; illam factam esse ait *S. Hier.* tempore passionis Christi solis obtenebratione, terrae motu, petris scissis ; idem *S. Ambrosius* (ep. 30 n. 11 ; *M.* 16, 1064), *Haimo* ; *Rup.* autem eam exhiberi dicit verbis apud Lucam : « et erunt signa in sole et luna et stellis, et in terris pressura gentium... » etc. Frequentiores alii commotionem interpretantur, quae Christi nativitate, baptismo, morte facta sit et quidem *coeli* descensu scil. angelorum, stella magorum, voce coelitus delapsa ; *terrae* etc. quatenus omnia Christo dederint testimonium, mare dum se calcandum praebuerit etc.(cf. *Alb. Sanct. Lap. Men. Mar. Tir. Gord.*) ; *Estius* commotionem cernit expletam in instauratione coelestium et terrestrium per sanguinem Christi, *Rib.* in gaudio, quo coeli commovebantur Christo ad homines veniente ; ipse aliique praeterea addunt signa et prodigia in coelo et in terra visa, quibus veteres quidam scriptores tempora Augusti Imperatoris exornarunt (cf. *Lap.*). *Schegg* ab accuratiore explanatione abstinet, solum monens in prophetica visione solere ruinam regnorum coniungi cum magnis coeli terraeque perturbationibus. Iam si verborum prophetiae amplitudinem spectamus, negandum non erit omnibus istis explanationibus aliquid inesse veri ; nam ad regnum messianicum in orbem inducendum illudque propagandum omnibus illis modis coeli terraeque commotio facta est. At sane falsum esset asserere, prophetam certum quendam modum voluisse annuntiare v. g. angelorum descensum praedixisse. Utrum Deus haec omnia et singula significare voluerit, quaestio est inutilis ; nobis id unum in explicatione incumbit, ut ex vaticiniis antecedentibus ad hanc prophetiam explanandam nobis viam paremus adhibita indole generali regni messianici. Atque ita supra interpretationem tentavimus.

Hebr. עוֹד אַחַת rite exprimunt LXX ἔτι ἅπαξ ; אַחַת significat *semel* ; cf. Ex. 30, 10. Lev. 16, 34. Num. 10, 4. 1 Reg. 10, 22. 2 Reg. 4, 35 ; 6, 10. Iob 33, 14. Ps. 62, 12 ; 89, 36 etc. Qui usus cum adeo frequens sit et ipsius linguae indoli plane conformis (cf. *Ewald*, Lerhb. d. hebr. Spr. § 269 b), sane nefas est ad alias notiones deflectere. Id autem faciunt qui עֵת supplentes vertunt : adhuc unum tempus ; vel qui ex duabus sententiis unam efficiunt : adhuc unum modicum est. Verum gratis עֵת suppletur ; altera versio iam eo refutatur, quia אחת priorem locum obtinet ; si tamquam adiectivum adiungendum esset voci מְעַט, post eam ex usu constanti necessario esset collocandum (cf. *Keil*) ; vide Gen. 11, 1. 6 ; 27, 38. Ex. 12, 49 et plurima eius collocationis exempla, quae affert *Fürst* in Concordantiis hebr. p. 28 seq. — Bene habet *Syrus* : iterum una vice ; sed omittit, uti LXX, illud *modicum* ; *Chald.* eundem sensum exprimit, quem *vulg.* sequitur.

A descriptione quam maxime universali de coeli terraeque commotione, qua regnum messianicum sit praeparandum, inducendum, propagandum, absolvendum, descendit sermo divinus ad duo magis particularia : ad gentium commotionem eiusque effectum et ad gloriam templi manife-

standam. Atque secundum textum hebr. ita v. 8 *et commovebo omnes gentes et venient pretiosa omnium gentium et implebo domum hanc gloria* i. e. gentes omnes magna quadam commotione excitabuntur et ad regnum messianicum confluent, ita ut se et quaecumque habeant pretiosissima [1], Deo eiusque cultui devoveant; vaticinium hoc arcte cohaeret cum Is. 60, 5-7. 11 : « tunc videbis et afflues et mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi, inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Epha : omnes de Saba venient aurum et thus deferentes... ut afferatur ad te fortitudo (hebr. *opes*) gentium » (cf. Erklaerung d. Proph. Is. p. 655). Post amplam hanc praedictionem quae multa complectitur, alia etiam magis specialis adiungitur : *et implebo domum hanc gloria*; uti scil. in prima templi dedicatione gloria Domini in nube lucida templum implevit (3 Reg. 8, 10), ita alterum hoc templum modo quodam altiore et sublimiore impletum iri promittit *gloria*. Modum accuratius non effert Dominus; sufficere debet credentibus firma haec atque certa promissio, quam fide et spe amplectantur. Modus vero sublimior atque excellentior iam a priore colligi debet ex idole temporis messianici; is demum clare effertur a Malachia propheta : « et veniet ad templum suum Dominator quem vos quaeritis, et Angelus testamenti quem vos vultis » (Mal. 3, 1). Eum modum versio *S. Hier.* iam hoc loco innuere videtur; explicite quidem non dicitur Messiam venturum ad templum, attamen adventus Messiae et templi gloria arcte inter se copulantur v. 8 « *et movebo omnes gentes et veniet Desideratus cunctis gentibus et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum* »; — commotionem iure intelliges saltem ex parte eam, qua Isaias (2, 12 seq. et cp. 13-24) et Daniel (2, 24) regna esse collapsura significarunt, antequam vel ut regnum Messiae adveniat. De tali commotione aequales Aggaei, memores illorum vaticiniorum, cogitare debebant, eamque multi interpretes ob oculos habent, dum de bellis populorumque perturbationibus loquuntur et de universi orbis agitatione, quae factae sint tum per Alexandrum Magnum, tum per Romanos (cf. *Calm.* sim. *Rib. Sanct. Lap. Mar. Men. Tir. Gord.*). Utut haec vera sunt, minime ibi est standum, sed in tam amplo oraculo etiam de illa gentium commotione erit cogitandum, qua iam ante Aggaeum populos magno impetu venturos esse significabatur ad regnum Messiae vel ad montem Sion vel ad urbem Ierusalem (cf. Is. 2, 2 seq.; 14, 1; 49, 17 seq.; 60, 4-16 etc. Mich. 4, 1 etc.). Haec certe cum menti et memoriae piorum haererent, oraculo Aggaei audito statim

1. Uti ex veteribus interpretibus iam exponit *Mar.* : « id est, divitiae, aurum et argentum, quae omnes cupiunt ».

occurrerunt; proinde ex vaticiniis antea datis facile intellexerunt describi tempora messianica. Unde non immerito etiam de gentium conversione mentionem ingerunt interpretes (cf. *Cyr. Hier. Alb. Sanct. Lap. Sa, Men.*) [1].

Quo sensu Messias *Desideratus cunctis gentibus* dici possit [2], ita explicant : « quoniam omnes gentes illius adventu et redemptione multum indigebant, et unaquaeque res quasi pondere naturae appetit id, quo maxime indiget » (*Rib.*); unde sunt, qui exponunt, desideratum poni pro *desiderabili*, qui iuremerito summis votis ac desideriis ardentissimis expetitur quippe qui in se uno omnia quae desiderari possint, cumulatissime concludat atque exhibeat (cf. *Est. Sanct. Lap.*). Immerito autem, ut ostendant Messiam a gentibus fuisse desideratum et exspectatum, provocant multi ad Gen. 49, 10; ibi enim in textu hebr. non legitur : ipse erit exspectatio gentium, verum ipsi erit obsequium (obedientia) populorum. Melius allegabis Is. 42, 4 : « et legem eius insulae exspectabunt », et Is. 51, 5; 60, 9.

Aegre hoc loco ab illa sententia recedo, quam multi catholici tanto cum studio et conatu defendere tentant scil. textum hebraeum eum in modum vel posse vel etiam debere verti, ut vertit *S. Hier.* et in *vulg.* legitur. Dico me aegre recedere, quia sententia in *vulg.* data adeo est pia et ipsi vaticinio multum splendoris conciliare videtur, atque insuper quia video eam a tot viris doctis et piis [3] tanto cum conatu defendi, ita ut qui eam relinquat, fere impietatis insimulandus esse videatur. At liceat uti proverbio : amicus Plato, amicus Socrates, magis amica veritas. Equidem fateor me rei veritate plane cogi neque mihi ulla ratione posse persuadere textum hebr. *uti est* in eum sensum posse verti. Id autem duplici ratione mihi iniungitur : ex ipsa voce חמדה et ex forma plurali בָּאוּ; accedunt confirmationis causa rationes ex v. 9 et ex analogia cum Is. 60, 5 petitae atque depromptae. Paucis rem declarabo. Primum offendor, quia Messias hic eo *nomine* appellaretur, quod in vaticiniis

---

1. Singularis est explicatio de Gog et Magog apud *Theod. Theod. M. Barh.*; eas scil. gentes iri victum earumque divitias opesque obventuras esse iis qui templum sint aedificaturi. Inde quoque uterque *Theod.* maiorem templi gloriam futuram derivat : « non magnitudine et pulchritudine aedificii domum illustriorem fore dicit, sed modo quo occisae sunt gentes. Fama enim quaquaversus pervagata Dei universorum patefacta est potentia » (*Theod.*).

2. Id adeo difficile visum est *S. Augustino*, ut hanc partem de altero Christi adventu explicaret; « ut enim desideratus esset exspectantibus, prius oportuit eum dilectum esse credentibus, nam primus eius adventus nondum erat desideratus omnibus » (de Civ. D. 18, 35).

3. Cf. *Bade*, Christologie. III 2. p. 201 seq.; *Vigouroux*, Manuel biblique, II p. 653; *Corluy*, Spicil. dogm. bibl. I p. 52 et ex veteribus *Rib. Sanct. Lap. Men. Tir. Vat.* etc.

prioribus non innuitur neque in posterioribus declaratur, quodque in hoc ipso loco esse designationem Messiae nullo certo vestigio apparet : quae res si universa lustraveris vaticinia messianica, est plane inaudita, inusitata plane. Cogita enim e. g. nomen Messiae צֶמַח *germen* ; quam sedulo haec appellatio praeparatur 2 Sam. 23, 5 (hebr.) ; Is. 4, 2 germen Domini ; Ier. 23, 5 « suscitabo David germen iustum » ; denique Zach. 3, 8 « adducam servum meum germen » ; 6, 12 « vir germen nomen eius » tamquam nomen Messiae clare effertur et facile ex antecedentibus vaticiniis tamquam tale declaratur et eo ipso loco satis in ea dignitate describitur. Idem cernes, si nomen *David* spectaveris, cf. 2 Reg. 7, 14. Os. 3, 5. Am. 9, 11. Is. 9, 6 ; 11, 1 ; 16, 5 ; 55, 3. Ier. 23, 5 ; 30, 9 ; 33, 15. Ez. 34, 23 ; 37, 24. 25 quibus locis satis superque declaratur, cur Messias *David, germen David, servus meus David* nominetur.

Si quaeris, cur Gen. 49, 10 vocetur *Schiloh* (si talem explanationem eo loco amplecti placuerit), responsio in promptu est : is, qui benedicturus est omnes gentes (Gen. 12, 3 ; 22, 18 ; 28, 14) et veteribus inimicitiis sublatis reconciliationem allaturus (cf. Gen. 3, 15) apte vocatur *Pacificator* [1], qui insuper eodem in loco Gen. 49, 11, uti multorum est opinio, vel saltem postmodom tamquam talis Ps. 71 clarissime praedicatur. Sed frustra quaeres, ubi חמדה vel in antecedentibus vel in subsequentibus oraculis tamquam Messiae nomen indicetur vel declaretur. At quomodo propheta subito nulla praeparatione facta nomen inferret eousque inauditum ? qua ratione haec designatio Messiae posset percipi, nulla explicatione adiecta, nulla declaratione subsecuta ? Neque vox ea est inusitata. Quae si esset, facilius exciperes, ipsa voce inusitata prophetam ad eximium quoddam et novum auditorum mentes animosque voluisse avocare — uti in *Schiloh*, Gen. 49, 10. Sed vox est crebro in usu posita ; unde communem suam notionem *debuit* audientibus suggerere.

Iam ea nulla est alia nisi illa quam supra dedi ; vide 1 Sam. 9, 20 : « et cuius erunt *optima* quaeque Israel » ? 2 Chron. 31, 27, ubi sermo est de thesauris ab Ezechia collectis « et vasorum *magni pretii* » ; 2 Chron. 36, 10 : « asportatis simul *pretiosissimis* vasis domus Domini » ; Is. 2, 16 : « omne quod visu *pulchrum* est » ; Ier. 25, 34 : « quasi vasa *pretiosa* » idemque Os. 13, 15. Nah. 2, 10 et cf. Ier. 3, 19. Zach. 7, 14 dicitur « terra chemdah » i. e. terra quae apud incolas magno in pretio habetur ; idem Ier. 12, 10. Ez. 26, 12 : « domus *praeclaras* subvertent » etc. [2]. Adde, quod statim subditur explicationis causa, cur gen-

1. Adde, nomen alibi nunquam obvium efferri.
2. LXX vocem vario reddunt : ἐπιθυμία, κάλλος, ἔπαινος, ἐπιθυμητός, ἐκλεκτός, ὡραῖος.

tes veniant cum suis rebus opibusque pretiosis : « meum est argentum et meum est aurum, dicit Dominus exercituum » ; quae thesaurorum mentio suo modo multum confert, ut vox de thesauris usitata sensu hoc consueto ab auditoribus debeat intelligi. Nullum ergo adest in voce eiusque usu vestigium, latere in ea designationem Messiae.

Quod autem unius personae designationem *penitus* excludit, est numerus pluralis in בָּאוּ veniunt. Nunquam enim apud Hebraeos nomen *singulare* [1] cum plurali numero iungitur, nisi illud nomen sit *collectivum* i. e. multitudinem quandam et turbam exprimat, uti v. g. populus, vel nisi habeat adiunctam aliquam determinationem in genitivo plur. ita, ut cum illa unam notionem efficiat sensu plurali ideoque constructio quam vocant ad sensum exsurgat. Quod aliqui de plurali maiestatico oggerunt, plane fictum est et ab indole linguae hebr. alienum. Habetur igitur pluralis, quia חֶמְדַּת כָּל־הַגּוֹיִם unam notionem efficit, in qua *omnes gentes* secundum sensum praevalent, ita ut in iis notio princeps habeatur, vel aliis verbis : quia sensus est : omnes gentes venient cum opibus suis. Atque tantum si hoc obtinet, constructio ea adhiberi potest. Iam applica id ad sensum alium : Desiderium omnium gentium i. e. Messias omnium gentium veniet ; in hac sententia nemo pluralem *venient* fingere potest, quia notio « Messias omnium gentium » vel « Desiderium omnium gentium » non ita in unum conceptum conflari potest, ut *omnes gentes* fiant secundum sensum pars praecipua ac principalis. Quod aliqui de enallage numeri in hebr. loquuntur, vel oppido falsum est vel non est ad rem. Si autem aliqui ad regulam quandam Glassii provocant, qua constare aiunt in hebr. posse nomen singulare quod habeat genitivum in plurali adiunctum etiam cum plurali efferri, hi hac sua provocatione se ipsos iugulant. Nam illa Glassii regula non est alia, quam quae modo exposita est ; id quod ipsa exempla a Glassio allata evincunt. Sunt enim haec : 2 Sam. 10, 9 « facies pugnae » i. e. in tali locutione verbum potest conformari non cum facie sed cum pugna ; cur ? quia *facies*

---

2 Chron. 21, 20 et ivit בְּלֹא חֶמְדָּה, communiter explicant : mortuus est a nullo desideratus ; LXX ἐν οὐκ ἐπαίνῳ ; *vulg.* ambulavitque non recte. Alii locutionem referre malunt ad id quod sequitur : « et sepelierunt eum... verumtamen non in sepulchro regum », exponentes : mortem obiit indecoram. Dan. 11, 37 חֶמְדַּת נָשִׁים alii explicant de dea Mylitta vel etiam de Tammuz, cuius cultus *delicias mulierum* constituat ; alii de re pretiosa quam plurimi aestimant et tamquam carissimam possident mulieres.

1. Aliud est, si nomen forma plurali praeditum etiam cum plurali verbi coniungitur ; ita אֱלֹהִים Gen. 20, 13 ; 35, 7. 2 Sam. 7, 23 ; sed id quoque rarissime fit, ubi de vero Deo est sermo. Quare eiusmodi exempla perperam afferuntur a *Bade*, quibus *pluralem maiestaticum* apud Hebraeos in usu fuisse ostendatur. Olim pluralem etiam aliquos explicasse propter duas naturas in Messia, divinam et humanam, lege apud *Rib.*

pugnae unam constituit notionem, cuius pars praecipua est *pugna*, ac si latine dicere liceret : facies certaminis versum est ; aliud cernitur Iob 15, 20 : « numerus annorum incerti sunt » ; Lev. 13, 9 ac si diceres : « ictus leprae molesta est et horrenda » ; Ier. 10, 22 : « vox rumoris » auditus est. Vides hisce exemplis ubique notionem genitivo expressam tamquam principalem efferri ; ideoque verbum cum illa conformari ; idem igitur, si intra linguae limites consistere vis, applica ad « desiderium omnium gentium venient » et aliter, nisi rationi et logicae pariter nuntium remiseris explicare non poteris atque : « omnes gentes cum suis desideratis vel opibus venient ».

Quod alii volunt : Desiderium ut nomen Messiae plurima in se complecti, esse enim Messiam omnium rerum desiderabilium culmen ac fontem, multum quidem iuvat ad ascesin, nihil vero ad grammaticam. Nam non quodvis nomen amplae significationis pluralem admittit numerum, sed id solum quod turba aliqua ex multis collecta constat, ut v. g. populus, urbs, dominatio (— domini), vir Iudaeae (—viri), insidiator (— insidiatores), semen sanctum (— posteri), grex etc [1]. Exempla vide Is. 25, 3. Ier. 44, 27. Nah. 2, 5. Iud. 5, 7 ; 20, 37. 1 Reg. 5, 17. 2 Chron. 13, 15 (cf. *Ewald,* Lehrb. §. 317 b. c).

Quae cum ita sint, textu hebr. retento alia versio quam quae supra data est fieri nequit. Non autem esse suspicionem corruptionis movendam, iam docet versio τῶν LXX : καὶ ἥξει τὰ ἐκλεκτὰ πάντων τῶν ἐθνῶν, docent *Syrus* quoque et *Chald.* qui eundem textum hebr. supponunt et speciatim pro plurali בָּאוּ explicitum ferunt testimonium [2] eodem modo ac pro singulari חמדת.

---

1. Ad idem refertur pluralis in Ps. 119, 103 « quam dulcia faucibus meis eloquium tuum » scil. multiplex et saepe datum ; vel Is. 45, 8 « germinent salus » scil. pro unoquoque, ergo salu multiplex ; quamvis hoc loco forte melius vertes et iunges : germinent salus et iustitia. Quodsi excipias : *res pretiosa omnium gentium* pari modo dicit rem multiplicem, rem pretiosam pro unoquoque, debes antea ostendere, salutem messianicam ullibi dici חמדה ; alias enim propheta sermone uteretur qui a nullo posset intelligi. Eadem responsio valet pro sententia a *Corluy* adoptata : « plurale באו explicari potest ex eo quod gentes conciperent Messiam ac si in eo exspectarent cumulum omnium bonorum quae desiderarent. Non absimili modo scripsit olim Cicero ad uxorem suam : valete, mea desideria, valete » ! Insuper dubito an loquendi modus Ciceronis multum iuvet ad Aggaei sermonem intelligendum. Certe mallem exempla proferri hebraica ad usum hebraicum ostendendum. Ceterum exemplum e Cicerone allatum plane non est ad rem, cum ibi *constructio ad sensum* minime adsit, neque enim Cicero scripsit : desiderium meum valete : quod si scripsisset, ad illum modum loquendi sententia utique propius accederet. Vide quibus praesidiis adhibitis Aggaei verba *plana* explicentur ! Neque valet, quod *Bade* praeterea obiicit : *venire* non apte dici de re inanimata ; nam hebr. בוֹא *saepissime* usurpatur de rebus inanimatis et prosperis et adversis, speciatim quoque de proventibus et thesauris qui alicui obveniunt ; cf. Lev. 25, 22. 1 Reg. 10, 14. 2 Chron. 9, 13 ; plurima exempla videsis apud *Ges.* Thes. p. 185, et lustra, si tua interest, *concordantiam* hebr. a *Fürst* concinnatam.

2. At notandum est, *Syrum* vertere : « et afferent desiderium omnium populorum » i. e.

Alii vertunt : et venient optimi quique gentium (cf. *Schegg*, *Reinke*) ; sed dubito, an vox hebr. hanc admittat notionem, pro qua alias מִבְחַר *electio* usurpatur (cf. Ex. 15, 4. Is. 22, 7 ; 37, 24. Ier. 22, 7).

Veterum aliquorum versiones : et accedent ad desiderium... et venient gentes cum desiderio (cf. *Galatinus*, de arcanis cath. verit. lib. 4 cp. 9 et 21 ; Critici sacri ad h. l. ; Synopsis Criticorum ad h. l.) hodie iure sunt explosae, utpote quae modum loquendi inusitatum et omissionem praepositionum (אֶל vel בְּ) supponant. Ceterum compertum est, cum Aggaeus genere dicendi utatur simplici ac plano, minime licere explicandi modum supponere qui etiam sermonem a communi alienum et artificio expolitum vix deceat. — Habemus igitur in hoc loco sensum illum propriis verbis in *vulg*. versione expressum quem *S. Hier*. verbis hebr. subiecit ; quandoque autem s. doctor *suum* sensum legentibus manifestum facere solet (cf. *Cornely*, Introd. I p. 427).

Textum graecum ita explanat *S. Cyr*. : « fuerunt innumeri ex omni gente, insignes et electi qui crediderunt et quasi splendida quaedam anathemata seu donaria in domo Dei congregati et illi ita decus conciliantes eamque gloriosam et celebrem reddentes a Christo vicissim glorificati sunt. Didicerunt enim orare et dicere : et sit splendor Domini Dei nostri super nos ». Et *S. Hier*. in explicatione textus LXX : « ob id autem motae sunt omnes nationes, ut ex earum motu veniret electa gentium multitudo et quae ubicumque praeclara sunt : verbi gratia electa de Corintho, quia multus in ea erat populus Dei ; electa de Macedonia, quia grandis in Thessalonica Dei ecclesia congregata » etc.

Ad promissionem datam confirmandam additur v. 9 « *meum est argentum et meum est aurum, dicit Dominus exercituum* » ; — i. e. ut *S. Hier*. exponit : « ne forsitan sponsorem putetis infirmum, meae sunt cunctae opes ; ego in ornamentum templi aurum argentumque donabo, ut maior fiat huius domus gloria quam prioris ». Vel secundum *Rib*. : « si vobis hoc alius promitteret, merito forte dubitaretis an ita divitiis abundaret, ut rem tantam praestare posset ; sed me promittente, cuius est aurum et argentum, etiam si magnis et incredibilibus expensis domus sit aedificanda, quae potest esse causa dubitandi » ? Ne igitur ex praesenti conditione misera ansam capiant socordiae, tristitiae, se omnium divitiarum Dominum qui adfuturus sit operi spondet.

Alii sensu contrario ea verba capiunt : « ne inglorium fore existimetis templum,

---

voluptatem, rem optatissimam. *Rib*. suspicatur locum esse corruptum a recentioribus Iudaeis, quia *S. Hier*. bis dicat melius haberi in hebr. *et veniet desideratus*. Unde *Rib*. putat pluralem a Iudaeis recentioribus esse textui illatum. Sed etsi legas in hebr. singularem, explicatio manebit eadem, quia salus messianica nullibi חֶמְדָּה dicitur.

quoniam auro et argento splendidisque divitiis forte carebit; non indigeo his; meum est enim aurum...» *Cyr.*; sim. *Lap. Mar. Clarius, Calm. Reinke* et provocant ad Ps. 49, 9. 10. Verum iam *Rib.* reponit : « cui extortam istam et violentam expositionem probabunt? nec aurum daturus nec argentum quorsum oportuit diceret, suum esse utrumque »? Magis expedita est aliorum explanatio : si vellem templum ornatum esse pretiosa ac varia supellectile, mihi difficile non foret, cum meum sit aurum (*Sanct. Vat. Sa, Men.*).

Demum, quo alacrius ad opus nobile assurgant, gloriam templi promittit maiorem quam unquam fuerit eiusque celebritatis causam declarat : v. 10 « *magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae, dicit Dominus exercituum; et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum* » [1]; — hebr. etiam vertere potes : *novissima gloria domus istius maior erit quam prima*, uti habent LXX μεγάλη ἔσται ἡ δόξα τοῦ οἴκου τούτου ἡ ἐσχάτη ὑπὲρ τὴν πρώτην; tum *domus* templum dicit unum theocraticum, quod tempore Salomonis exstitit et in altero hoc aedificio exsistere pergit, et quod ultimo tempore i. e. messianico maiore gloria sit exornandum, quam unquam habuerit tempore prisco [2]. Magna sane consolatio tristium et languidorum excitatio! Quanto enim splendore tempora Salomonis in omnium mentibus fulsisse censebimus? et quis non tantae gloriae particeps esse cuperet? Iam ad maiorem etiam gloriam domum iri provectum et proinde eos maiori gloriae cooperari posse Deus pollicetur. Et cur maior gloria futura sit, exponit : *dabo pacem* scil. in templo isto, in loco qui eo templo est consecratus dabit Deus salutem messianicam; est enim *pax* complexio quaedam ac summa omnium beneficiorum, quae Messias est largiturus; ipse quoque Messias a prioribus prophetis iam est annuntiatus tamquam *Pacificator* (Gen. 49, 10), *princeps pacis* (Is. 9, 6), cuius regnum pacem affert, pace abundat (Ps. 71) ita, ut pacis non sit finis (Is. 9, 7), immo qui sit ipse *pax* (Mich. 5, 5). Unde manifestum est, verba *dabo pacem* sollemnem enuntiare promissionem Messiae et ea ratione potuisse ab aequalibus Aggaei intelligi. Templi gloria incepit a Salomone qui rex erat et nomine et re pacificus; maiore splendore gloria haec effulgebit ab altero principe pacis, a Messia, cuius typus prior ille Salomon fuit. Proinde ex tempore mes-

---

1. Notat *Rup.* : « quod toties repetit *dicit Dominus exercituum* nullum legenti vel audienti parere debet fastidium, immo facere attentum, docilem et benevolum auditorem, ut sentiat magnam esse quam audit et dignam promissore Deo remunerationem ».

2. Et talis acceptio optime convenit ad 2, 3 : « quis in vobis est derelictus qui vidit domum istam in gloria sua prima »? uti iam advertit *Lap.* : « loquitur enim de templo Salomonis et Zorobabelis quasi de una et eadem Dei domo, quia una altori successit eidemque loco inaedificata est... et hoc ad punctum respondet querulis Iudaeorum verbis ». Ei sententiae etiam subscribit *Vigouroux* (Manuel biblique, II p. 654).

sianico et ex ipso Messia abundantem gloriam esse in templum redundaturam, qui Aggaeum audiebant, omnino intelligere poterant. Atque id ad animos erigendos et ad opus alacriter obeundum et urgendum apprime factum erat. Qua ratione templum sit gloria implendum, exponit Malachias (3, 1).

Hac expositione et verbis satisfit et temporum Aggaei conditioni et simul ille habetur sensus, quem apologetae communiter huic loco inesse contendunt contra Iudaeos, scil. stante templo hoc debuisse Messiam venire. Quamvis plerique vaticinium ita accipiant, quasi tota probandi vis vel solum vel primario colligenda sit ex versione *S. Hier* : « et veniet Desideratus cunctis gentibus » ; id vero perperam fieri, supra ostensum est. Maior ergo gloria templi in eo habetur, quia largitio salutis messianicae arcte coniungitur cum templo et tempori quo templum exsistit adstringitur. Gloria prior in eo consistebat, quod templum Dei inhabitationem et commercium cum populo suo repraesentabat et umbratilem illam ac typicam reconciliationem veteris foederis complectebatur ; ultima gloria eo erit maior, quo maior est ipsa Verbi incarnati in templo praesentia prae nube illa et umbra divinae praesentiae et quo maior est vera illa pax et reconciliatio per Messiam data quam eius figura. Quanto igitur tempus messianicum gloriosius est tempore antecedente, tanto etiam templum gloriosius erit praedicandum, quia tempus illud auspicatissimum videbit. Et revera Christus templum miraculis, praedicatione illustravit, eo in loco se tamquam pacis et beatitatis largitorem omnibus proposuit : « si quis sitit, veniat ad me et bibat ; qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquae vivae » (Ioan. 7, 37. 38) et « ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae » (Ioan. 8, 12). Atque insuper propter templi significationem et munus, scil. ut sit theocratiae centrum et novae altiorisque instaurationis pignus ac promissio *realis*, optime ei salus messianica adnexa perhibetur : *in loco isto dabo pacem.* Quare vaticinium spectare ad templum illud materiale omnino tenendum est, id quod ipsa verba et temporis conditio omnino exigunt. Verum si ipsius instaurationis scopum ultimum et culmen spectamus, omnino licet dicere cum *S. Augustino* : « per instaurationem templi illius significata est Ecclesia, quia ipsa renovatio illius aedificii significat eloquio prophetico alterum testamentum quod appellatur novum » (sim. *Hier. Rup. Rib.*), et moderatione aliqua adhibita etiam reliqua eius verba adoptare possumus ita, ut prophetiam templum spectare non negemus : « per significantem locum ille, qui eo significatur intelligendus est, ut quia illo loco instaurato significata est Ecclesia, nihil aliud accipiatur quod dictum est : in loco isto dabo pacem, nisi dabo pacem in loco quem significat locus iste » (de Civ. D. 18, 48).

Ut ostenderent prophetiam hanc esse impletam, nonnulli multum laborabant. Iam *S. Augustinus* scribit : « non itaque Aggaei prophetia in templi illius instauratione completa est » ; etiam *S. Cyr.* de Ecclesia interpretatur ; ita *S. Ambrosius*[1] quoque et *Haimo*, *Alb.*, qui notat : « quod de templo Iudaeorum nullo modo potest esse verum, quod continuo a gloria descendit usque ad extremam ignominiam ». Alii gloriam templi maiorem etiam eo vindicare volunt, quod contendunt templum ab Herode instauratum fuisse magnificentius salomonico, quem in finem multa afferuntur ex *Iosepho* (Ant. 15, 14 ; de bello iud. 6, 6). Eam sententiam[2] praesertim *Rib.* multis propugnat ; eam refert neque tamen plane approbat *Calm.* ; vehementer impugnant *Sanct. Lap.*

Sed certe quidquid est de templo ab Herode aucto et exornato (cf. *von Haneberg*, Relig. Alterth. d. Bibel p. 260 seq., *Zschokke* l. c. p. 314 seq.) ea sententia minime indigemus ad prophetiae impletionem declarandam et cum *Rup.* censemus, de tali gloria, quae ab Herode vano et superbo rege non pro Dei gloria sed pro sua ipsius ambitione et fastu templo sit collata, Dominum non esse dignatum loqui. Neque aliquam partem gloriae a propheta annuntiatae opus erit repetere ex muneribus illis templo collatis, de quibus 2 Mach. 3, 2. In graeca versione adest glossa haec[3] ad v. 10 : « et pacem animae in acquisitionem omni qui aedificat ad excitandum templum istud » i. e. divinam pacem eis gratificabor, quae animabus conciliabit salutem (*Theod.*). Nonnulli pacis promissionem intelligunt de temporum securitate et quiete, quae ad templum aedificandum a Deo concedenda sit (*Theod. Hier. Rib. Sanct.*) ; sed iure plerique pacem intelligunt messianicam, multis vaticiniis iam promissam (cf. *Alb. Sa, Lap. Men. Tir. Clarius, Calm. Schegg, Keil*), immo *S. Cyr.* de ipso Christo explicat, qui coelitus tamquam donum donabitur et omnium pax est ; cf. Mich. 5, 5 « et erit iste pax ».

TERTIA ADMONITIO DE CAUSA CALAMITATUM ET PROMISSIO BENEDICTIONIS 2, 11-20.

ARG. — Die 24 mensis noni analogia ex lege deprompta docentur non sufficere, ut terram Deo sacram incolant et sacrificia offerant, quamdiu ipsi coram Deo immundi hanc immunditiam omnibus suis operibus aspergant. Inde factum, ut omnium rerum penuria praeter exspectationem affligerentur (2, 11-18). Verum obedientibus Deus in futurum largam concedet benedictionem (2, 19. 20).

---

1. Vide epist. 30. *M.* 16, 1064 ; argentum et aurum explicat de eloquiis coelestibus et veri claritate luminis in sanctis refulgente.

2. De ea re prudenter scribit *Rup.* : « Herodes templum illud, quoniam erat priore minus, deposuit et in antiquam magnitudinem reformavit, multis et magnis aedificiis decoravit, sed hoc nunquam Dominus exercituum pro gloria reputare sit dignatus, quod homo funestus, rex impius operatus est exaequari vel etiam praeferri contendens regi magnae opinionis et sapientissimo Salomoni ».

3. De qua *S. Hier.* ita : « quod sequitur in Septuaginta quasi superfluum et vix cohaerens, quippe quod nec apud Hebraeos nec apud alium quemquam interpretem fertur, omisimus ».

a) Contaminatos consequitur afflictio 2, 11-18.

Nono mense (Casleu; cf. Zach. 7, 1. 1 Mach. 4, 52), qui alteri parti Novembris et priori Decembris aequiparatur, pluviae exspectabantur semini agris commisso salutares, quibus spes messis bonae magnam partem continebatur. Quare eo mense iam augurari licuit, qualis frugum proventus sit futurus. Ut operi incepto alacres insistant, propheta eos edocet de causa calamitatum et falsam pietatis speciem quam sibi obtendebant iis adimit. Quo facto apti redduntur, qui divinam benedictionem in abundanti pluvia iamiam manifestatam rite aestiment eamque magis magisque promereri satagant.

Rem proponit per modum analogiae ex legis praescripto et indole depromptae. Posita interrogatione et responso a sacerdotibus accepto id efficitur, ut doctrina quam tradere vult altius firmiusque animis infixa haereat. Quam fideliter Deus populo assistat eumque ad theocratiae instaurationem suaviter simul et fortiter urgeat, ex repetitis hisce ad prophetam verbis praeclare elucet. Tres enim menses fluxerant ab operis instauratione (2, 1) et duo a secunda admonitione (2, 2), cum tertia vice Deus suos per prophetam alloquitur : v. 11 « *In vigesima et quarta noni mensis in anno secundo Darii regis factum est verbum Domini ad Aggaeum prophetam dicens :* v. 12 *haec dicit Dominus exercituum dicens : interroga sacerdotes legem dicens* » ; — i. e. propone quaestionem ex lege venientem (*S. Hier.*), ex qua rite soluta doctrina quaedam et institutio moralis [1] colligatur ; « simulque considera sacerdotum esse officii, de lege interroganti respondere ; si sacerdos est, sciat legem Domini ; si ignorat legem, ipse se arguit non esse Domini sacerdotem » (*S. Hier.*) ; « interrogat sacerdotes ; scriptum est enim : labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore eius » (Mal. 2, 7. *S. Cyr.*) ; cf. Deut. 19, 17 ; 21, 5. 2 Par. 17, 8. 9. Quaestionem ponit ex Lev. 6, 20 : v. 13 « *si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui et tetigerit de summitate eius panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum : numquid sanctificabitur? respondentes autem sacerdotes dixerunt : non* » ; — caro sancta (hebr.) est caro animalium quae tamquam victimae et sacrificia Domino mactabantur ; erat sancta, quia ab usu profano separata Deoque sacra vel in epulis sacrificialibus sacra comestione solum a levitice mundis comedi poterat, vel solis sacerdotibus Deo sacris in usum cedebat vel pro diversitate sacrificiorum sa-

---

1. Unde aliqui תורה h. l. non legem, sed doctrinam vertunt (cf. *Keil, Reinke*) ; at praestat prior explicatio ; nam *doctrinam* ipse propheta colligit et exponit ; sacerdotes tantum de *casu* particulari interrogat.

cro igne altaris absumebatur (cf. Lev. 1, 6-8. 12; 6, 26; 7, 15-20; 10, 13 etc.). Legis praescriptum respicitur de hostia pro peccato : « quidquid tetigerit carnes eius, sanctificabitur » (Lev. 6, 27); si vestis sanguine fuerit aspersa, lavari debuit in loco sancto; vas fictile in quo caro cocta erat, confringendum, vas aeneum defricandum et lavandum erat (cf. Lev. 6, 28). Sanctificatio ea erat, ut nefas esset antequam exsecratio fieret, tale vestimentum ad usum profanum adhibere; illis enim ex contactu rei sacrae, carnis sacrae vel sanguinis oblati aliquid sacrum adhaerere censebatur, sed ita tamen, ut ipsa vestis suo contactu hanc indolem sanctam cum aliis rebus minime communicaret; non cum pane, neque cum *coctione* (hebr. et ut habet *S. Hier.* in com.) etc.

Verum late serpit et cuncta inficit immunditiеs legalis v. 14 « *et dixit Aggaeus : si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, numquid contaminabitur? et responderunt sacerdotes et dixerunt : contaminabitur* »; — pollutus in anima i. e. qui contagione mortui est immundus effectus, uti rite explicat *S. Hier.* et ut elucet ex Lev. 22, 4. Num. 5, 2; 6, 6 etc. in quibus aliisque locis *S. Hier.* vertit « pollutus super mortuo » [1]. Erat haec immunditiеs levitica una ex gravissimis [2], quia per septem durabat dies et ad eam eluendam duplici lustratione aliisque ritibus opus erat (cf. Num. 19, 14 - 20). Sacerdotes rite respondent; nam « quidquid tetigerit immundus, immundum faciet : et anima quae horum quidquam tetigerit, immunda erit usque ad vesperum » (Num. 19, 22). Quorsum has quaestiones posuerit, aperit propheta v. 15 « *et respondit Aggaeus et dixit : sic populus iste et sic gens ista ante faciem meam, dicit Dominus, et sic omne opus manuum eorum et omnia quae obtulerunt ibi contaminata erunt* »; — i. e. immundi sunt coram Domino; ideo neque laboribus eorum favet neque oblationes gratas habet; sunt vero immundi et quasi polluti super mortuo, quia templum eversum et emortuum et cuius symbolum est emortuam theocratiam suscitare iis cordi non est, sed assiduo et contra Dei praeceptum libenter quasi cohabitant cum templo emortuo; ideo inobedientia et contumacia et negligentia rei divinae sunt contaminati; quare necessario opera eorum nulla consequitur benedictio, oblationes eorum nullum beneplacitum divinum,

---

1. Habetur enim in hebr. his locis נֶפֶשׁ *spiraculum vitae, anima.* Locutio haec explicatur, quia haec vox etiam notione latiore *hominis, individui, personae* adhibetur; unde נ׳ מֵת — homo mortuus, cadaver (Num. 6, 6), vel quia sensu praegnante etiam vitam ablatam significare videtur (cf. 2 Sam. 14, 7).

2. Quae quo facilius caveretur, sepulcra dealbanda curarunt calce quotannis mense Adar Iudaei posteriores (cf. Matth. 23, 27) allegantes Ez. 39, 15; vide *Lightfoot*, hor. hebr. ad Matth. l. c.

favor nullus. Ita, prout advertit *S. Cyr.*, lex illa adumbrat conditionem eorum qui peccato mortali obstricti nihil pro aeterna mercede validum efficere possunt. Applicationem propheta quidem alteri solum quaestioni adnectit; iam quae est doctrina prioris? Eam enim quaestionem non frustra poni, in comperto est. Censet *Schegg*, duobus exemplis duo designari genera immunditiei; alterum quo non cuncta hominum opera inficiantur, alterum quo omnia reddantur Deo exosa.

At haec explicatio in exemplo et in re ipsa intelligi nequit. Nam sanctitas illa qua res ad usum profanum iam non possit adhiberi, nisi exsecratio praecesserit, non potest in eodem censu poni cum immunditie, qua res sine sacrilegio non potest ad usum sacrum inservire; in re vero non percipitur, quaenam conditio moralis omnia opera hominum reddere possit mala et Deo displicentia, cum peccator quoque opera naturaliter bona facere possit et saepe etiam a gratia actuali praeventus opera edat supernaturalia, immo ad ipsam iustificationem actibus supernaturalibus se debeat disponere. Quare in priore exemplo potius docet, quam inefficax sit sanctitas illa externa ritibus et sacrificiis veteris foederis obtenta; atque nihil iis prodesse, vivere in terra Deo sacra, offerre victimas in altari et ceteros ritus externos subire, nisi tota mentis devotione et obedientia se Deo tradiderint eiusque mandatis sint dicto audientes; ita *S. Hier.* : « scito non tam sanctificari te ex hostiis quae templo diruto tibi prodesse non poterunt, quam contaminari omnia opera tua et cuncta quae agis ex eo quod negligis ». Quia Deo non eam quam postulat obedientiam ac promptitudinem exhibent, Deus quoque eorum labori bus temporali benedictione non favet; quamdiu intersunt « mortuis operibus » (*S. Hier.*), templo scil. emortuo cohabitant, polluti sunt coram Deo et iuremerito poenis legitimis i. e. penuria, sterilitate propter illam im munditiem quae omnia inficiat, plectuntur et quamdiu illam contaminationem non removerint, nihil iis profutura sacrificia vel ritus sacros (cf. *Theod.*). Nam, ut declarat rem *S. Cyr.* : « sicuti vestimenta etsi per carnes sacrificiorum sanctificata non idcirco sanctificabunt alia, a quibus tanguntur; ita Deo sacrificare sanctos non efficiet illos qui eum alia via laeserint et in eo quod ipsi complacitum est, ferias otiumque agere voluerint » (sim. *S. Hier. Rib. Sanct. Lap. Calm. Reinke*).

Apud LXX additur : « propter munera eorum matutina dolebunt a facie malitiarum suarum et oderatis in portis arguentes » ; explicat *Theod.* : « diluculo illucescente nullius boni rationem habebatis sed in turpes quaestus incumbebatis. Inimico autem animo in eos eratis qui reprehendebant malitiam vestram, qui portis assidentes intrantibus et exeuntibus divinos sermones proferebant ». Sed istud neque in hebr. neque apud alios interpretes inveniri iam adnotarunt *S. Hier.* et *S. Cyr.*

Quantopere ex contaminatione illa operis Dei neglecti et quasi emortui afflicti fuerint, tristi ipsorum experientia satis superque illustratur; solum opus est ut animos advertant : v. 16 « *et nunc ponite corda vestra a die hac et supra, antequam poneretur lapis super lapidem in templo Domini ;* v. 17 *cum accederetis ad acervum viginti modiorum et fierent decem ; et intraretis ad torcular, ut exprimeretis quinquaginta lagenas, et fiebant viginti* » ; — i. e. attente recogitate et oculis mentis bene lustrate tempus anteactum ab hoc die animos referentes ad tempora antecedentia, ad illa scil. in quibus nulla aderat aedificii promovendi cura ; lapidem super lapidem ponere non dicit primam fundamenti collocationem sed fundamento iam iacto laboris et structurae continuationem. Quid vero illi tempori proprium fuerit et palpabile divinae castigationis iraeque argumentum, praeclare ad oculos demonstrat : « cum accederes ad acervos et putares viginti te habere modios, nonne vix mediam partem colligere poteras ? ad torcular quoque cum accederetis et videretis uvas et quinquaginta amphoras vobis oculi pollicerentur, non dico partem mediam, sed vix viginti amphoras exprimere poteratis » (*S. Hier.*).

In hebr. *venit* (quispiam) *ad acervum viginti et fuit decem* sine certo mensurae nomine, quod tamen *S. Hier.* bene supplevit ; in altero membro *venit ad cupam torcularis ad haurienda quinquaginta* . . . פּוּרָה Is. 63, 3 vertitur torcular ; fortasse sensus est : oculis uvas lustrantes putabatis vos debere quinquagies *nudare* (חשׂף) torcular i. e. evacuare iterumque implere ; sed egregie decepti estis. *Chald.* ponit גרבין dolia, utres ; *S. Hier.* in versione *lagenas*, in commentario *amphoras* ; LXX μετρητάς[1] ; *Syrus* vero vocem prorsus omisit. — Ceterum sensum bene expressit *S. Hier.* ; v. 17 incipit in hebr. מהיותם i. e. *antequam essent haec* vel fierent haec, scil. opera illa in domo Domini aedificanda ; vel quod aliis praeplacet : *ex quo illi fuerunt dies* (cf. *Schegg, Keil*) ; sed cum *dies* antea non commemorentur, melior videtur prior interpretatio.

Ad messem praeter omnem exspectationem minorem aliae plagae accedebant v. 18 « *percussi vos vento urente et aurugine et grandine, omnia opera manuum vestrarum, et non fuit in vobis qui reverteretur ad me, dicit Dominus* » ; — cf. Am. 4, 9 ; hebr. *uredine* vos percussi i. e. variis morbis quibus frumenta pereunt, grandine, qua vineta delentur et quaecumque demum severunt vel plantaverunt, Dei maledicto tacta successu caruerunt. Hebr. *et non vos ad me*[2] scil. reversi estis ;

1. Unde coniectat *Houbig.* esse rescribendum פּוּכָה, quae vox eadem sit ac פַּךְ *lagena* ; cf. 1 Sam. 10, 1. 2 Reg. 9, 1. 3.

2. *S. Hier.* videtur legisse אֶתְכֶם ; LXX οὐκ ἐπεστρέψατε πρός με ; sim. *Syrus, Chald.* ; ergo exprimunt sensum textus *mas.* Locutio אֵין־אֶתְכֶם aequivalet אֵינְכֶם ; verum est plane inusitata, in quantum id dicere licet in tanta paucitate librorum hebr. qui ad nos pervenerunt.

omnes illae admonitiones socordiam et segnitiem non excusserunt. Discant igitur, temporum praeteritorum calamitates non fortuito evenisse, verum a Deo fuisse immissas propter templi opus neglectum.

b) Promittit futuram benedictionem 2, 19. 20.

« Exposui, ait, vobis quae sustinueritis antequam inciperetis aedificare templum meum; nunc exponam, quae vobis ventura sunt prospera qui templum meum aedificare coepistis » (*S. Hier.*); v. 19 « *Ponite corda vestra ex die ista et in futurum, a die vigesima et quarta noni mensis, a die qua fundamenta iacta sunt templi Domini; ponite super cor vestrum;* v. 20 *numquid iam semen in germine est? et adhuc vinea et ficus et malogranatum et lignum olivae non floruit; ex die ista benedicam* »; — i. e. ut exponit *S. Hier.* : « a die 24 mensis noni, in quo templi fundamenta sunt iacta, quanta rerum abundantia futura sit, considerate; ex hac igitur die ponite corda vestra in futurum et deinceps. Nonus est mensis quem nos Novembrem vel Decembrem dicimus . . . igitur decimus est mensis eo tempore, quo semina latitant in terra nec futura fecunditas coniectari potest. Numquid iam, ait, semen in germine est? quod melius hebraice dicitur in folliculo, ut thecam frumenti significet. Numquid vinea et ficus et malogranatum et lignum olivae florem suum dederunt? ut ex flore intelligatur et fructus? Utique non; mense enim Decembri, ut diximus, futurarum nulla signa sunt frugum. Ne igitur dicatis, hoc me prudenti ratione coniicere et futuram fecunditatem de floribus arborum herbisque segetum suspicari : ecce nulla signa sunt et tamen ego praedico vobis, qui coepistis aedificare templum meum, ad benedictionem meam frugum omnium fecunditatem ». Ita *S. Hier.* suam declarat versionem; eumque interpretes latini fere sequuntur. Sed cum templi fundamenta iam sub Cyro sint iacta (Esd. 3, 10 seq.) et iam 24 die mensis sexti opus in domo Domini fecisse dicantur, quomodo demum post 3 menses iterum fundamenta poni refertur? Rem varie expediunt : fundamenta erigere et continuare (*Rib.*), inchoata plene et perfecte absolvere, vel fabricam templi resumere (*Lap.*), in altera parte, in qua nondum posita erant (*Sa*); sexto mense esse solum materiam comportatam et praeparationem factam ad aedificationem (*Sanct.*); vel illud *a die qua fundamenta iacta sunt* addi ad antecedentia quasi per figuram correctionis, ut indicetur, non solum a die 24 mensis noni, verum iam a die 24 mensis sexti benedictionem divinam incepisse et si bene rem perpenderint, deprehendi posse et agnosci; proinde *diem istum* a quo computatio sit inchoanda, non tam esse diem 24 mensis noni, sed eundem diem mensis sexti (cf. *Reinke*). Et sane in explicatione data *fundamenta*

iacere sensu quodam latiore accipi debet, ut sit idem ac lapidem ponere super lapidem v. 16. Promissio *benedicam* copiam indicat et ubertatem. Adnotat *Tir.* : « quodsi materialem fabricam promoventibus sic benedicit Deus, quam putamus mercedem daturum qui spiritualem animarum aedificationem totis viribus tum in se, tum in aliis procurant » ? Ceterum fertilitatis et ubertatis promissio ad indolem veteris foederis omnino est adaptata (cf. Lev. 26, 3-13. Deut. 28, 2-14).

At textus hebr. vix ita concipi potest, ut *S. Hier.* explicuit ; praesertim in v. 20 ; nam מְגוּרָה neque est *germen*, neque *folliculus*, sed certe, sicuti voces cognatae Ps. 55, 6. Ioel 1, 17 receptaculum, horreum, apotheca ; proinde : estne semen adhuc in horreo (cf. *Mar. Men. Calm. Schegg*) ? in secundo membro *S. Hier.* cum LXX legit עוֹד pro *mas.* עַד — usque ad vitem et ficum et malogranatum et arborem oleae, non tulit. Verum quo sensu ea dicantur, valde est controversum. Alii interrogationem *estne semen*... esse volunt adhortationem, ut iam omni fiducia semen iaciant terraeque committant (ita rab. Salomon quem affert *Lap.* et *Hitz.*) et illud « non tulit » tamquam sententiam omisso relativo ita adiungunt, ut sensus exsistat : et usque ad ficum ... quae eousque non protulerunt fructus, ab hac die benedicam i. e. cunctae plantationes et arbores uberem habebunt benedictionem (cf. *Hitz.*). Alii sententiam v. 19 *a die qua fundamenta iacta sunt.... non tulit* integram ad tempus anteactum referunt ; ita scil. ut propheta, antequam de futura benedictione promissionem enuntiet, denuo iis in memoriam revocet, quomodo advertere debeant a die iacti fundamenti sibi non obvenisse semen in granario neque arbores fructus suos tulisse, quia mox fundamentis positis opus domus Domini intermiserint (cf. *Keil*). Haec explicatio id habet commodi, ut *fundare templum* sua nativa vi et significatione accipiatur ; לְמִן־הַיּוֹם accurate verti potest : *quoad diem* quo fundatum est templum advertite : num semen in granario i. e. num ex eo tempore colligere potuistis et condere frumentum in horreo ? ita זֶרַע de frumento Lev. 27, 30. Iob 39, 12. Is. 23, 3 ; cf. *Ges.* Thes. p. 432 ; *Reinke.* Nam eos ne sementem quidem quam sparserant ex messe collegisse, nimis hyperbolice diceretur de temporis spatio adeo longo, quod ab anno secundo reditus eorum usque ad annum secundum Darii fluxit (an. 536-519). In initio versus 19 eadem est phrasis quam v. 16 *S. Hier.* vertit : *a die hac et supra* i. e. sursum, ad *superius tempus* attendite ; v. 19 vertit *in futurum*, quod h. l. omnino retineri potest et a plerisque etiam retinetur ; nam *sursum* uti spectare potest tempus praeteritum, ita etiam referri potest ad futurum, uti revera refertur ad futurum 1 Sam. 16, 13 : « et directus est Spiritus Domini a die illa in David *et deinceps* » et 1 Sam. 30, 25.

QUARTUS SERMO DOMUI DAVID STABILITATEM SPONDET 2, 21-24.

ARG. — Eodem die quo benedictio temporalis populo promittitur, sublimior promissio fit Zorobabeli duci ex domo David : omnia scil. regna omnemque potentiam humanam iri deiectum ; at domum David et prin-

cipem eius in omnium rerum ruina arctissime iri coniunctum cum Deo et gloria exaltatum.

Templi aedificium restitutum theocratiam significat restauratam. Haec autem ex 2 Reg. 7, 14 seq. nexu indissolubili domui David est conserta, cui regnum sempiternum, thronus aeternus promittebatur, quae gratiosa promissio, ut eo loco dicit Deus, non recedet (nota לֹא יָסוּר, idem ac Gen. 49, 10) ullo tempore. Quare consentaneum prorsus est, ut in ea instauratione etiam antiqua illa vaticinia suo robore permanere ostendantur. Quod ut fiat explicite, eo magis expedire videtur, quia ultimus rex theocraticus, Sedecias, modo quam maxime manifesto erat abiectus (Ez. 21, 25). Ne igitur quidquam deesse videretur, sollemnis Dei declaratio fit per prophetam de stabili domus Davidicae quam repraesentabat Zorobabel dignitate et electione divina. Utique *thronus* theocraticus externe non restituitur; est enim corona abiecta et eversione sepulta, « donec veniat is cuius est ius et dabo ei », ut apud Ezechielem Dominus dixerat (21, 27) —; Deus « in virga virorum et in plagis filiorum hominum » castigavit reges impios et propterea splendorem regni *externum* abstulit; sed nihilominus promissio Davidi facta debet permanere in suo vigore, cuius indicium iam in eo cernitur, quia unus ex Davidis posteris dux est populi et operis instaurandi hortator, promotor, princeps. Eius dignitas theocratica etiam in humili conditione permansura et demum super omnia regna mundi triumphatura debuit et declarari et agnosci. Ita initium instaurationis ad quod culmen et fastigium natura sua tendat, praeclare ostenditur.

Unde bene scribit *S. Cyr.* gressum faciens ad hunc locum : « ex particularibus fere et ex quotidianis et obviis actionibus ad universa et maxime generalia propheticus sermo excurrit » ; v. 21 « *Et factum est verbum Domini secundo ad Aggaeum in vigesima et quarta mensis dicens :* v. 22 *loquere ad Zorobabel ducem Iuda, dicens : ego movebo coelum pariter et terram ;* v. 23 *et subvertam solium regnorum et conteram fortitudinem regni gentium et subvertam quadrigam et ascensorem eius et descendent equi et ascensores eorum, vir in gladio fratris sui* » ;— cf. 2, 7 seq. ; uti supra, ita hic prophetia a maxime universali et ultimo incipit, quod demum in coelis novis et terra nova (*S. Hier.*) plene erit complendum ; dein transit ad regnorum subversionem, quam praeviam fore vel etiam comitem regni messianici, iam Isaias, Michaeas, Daniel significarunt. Bene scribit *Rup.* : « revocemus ad memoriam illam Danielis visionem, in qua quattuor bestiae grandes ascendebant de mari (cap. 7)... quod enim apud illum talibus est imaginibus praesignatum, hoc ipsum in isto est verbis repromissum ». Atque in quattuor membris quattuor

illa censet *Rup.* designari regna eorumque interitum : subvertam solium Babyloniorum et conteram fortitudinem Persarum et Medorum, subvertam quadrigam et ascensorem, regnum Graecorum, et descendent equi, Romanorum scil. imperium, « cuius equi multi et equorum ascensores plurimi fuerunt ». Alii Aggaei verbis id adumbratum cernunt, quod Daniel 2, 44 indicatur (*Rib. Lap.*), idem nimirum, ut ait *S. Cyr.*, quod in cantico de tempore messianico praedicatur concepto in utero B. V. Salvatore : « deposuit potentes de sede ». In hebr. *et conteram fortitudinem regnorum gentium ; descendere* idem est ac ruere in interitum, descendere in lacum, in foveam i. e. perire et quidem dum mutua caede inter se interficiunt (cf. Ez. 38, 21).

Sed in tali nationum regnorumque perturbatione nihil erit timendum domui Davidis illisque qui ei adhaerent. Quo magis enim nationes concutiantur, eo maior et insignior in domo David manifestabitur divina protectio, electio, exaltatio : v. 24 « *in die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te, Zorobabel fili Salathiel, serve meus, dicit Dominus, et ponam te quasi signaculum ; quia te elegi, dicit Dominus exercituum* » ; — promissio *signaculi* symbolo effertur et quidem aptissime ; nam Iechonias, avus Zorobabel (cf. 1 Par. 3, 17) hisce verbis fuit abiectus : « vivo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias, annulus (חוֹתָם *signaculum* uti h. l.) in manu dextera mea, inde evellam eum » (Ier. 22, 24) et in eo regnum externum erat ablatum a domo David : « haec dicit Dominus : scribe virum istum sterilem,... nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium David et potestatem habeat ultra in Iuda » (Ier. 22, 30). Unde in eius nepote convenientissime restitutio stirpi Davidicae debita enuntiatur. Annulus signatorius nunquam de manu gestantis ac sigillantis aufertur, decus est et ornamentum, dignitatis auctoritatisque signum efficax, ideoque res cara et pretiosa (cf. *Sanct. Lap. Mar.*), quae diligenter custoditur (*Rib. Men.*). Talis est Zorobabel, ut stirps domus Davidis et dux Iuda ; Deus erit cum eo eumque cura, sollertia, amore maximo prosequetur et in dignitate theocratica stabili ratione confirmabit. Hanc ei laudem concedit auctor sacer : « quomodo amplificemus Zorobabel ? nam et ipse quasi signum in dextera manu » (Eccli. 49, 13). Atque ea promissio eatenus in ipso Zorobabel pro temporis conditione completa est praeparatione regni messianici, quatenus templi fabricam absolvit et populum reducem gubernabat ; sed simul ad id oportet attendi quod mox postea Zacharias propheta de summo sacerdote eiusque amicis docuit : « audi, tu et amici tui, quia viri *portendentes* sunt » (Zach. 3, 8) i. e. quia in sua dignitate aliquid sublimius portendunt, typi sunt rerum futurarum, quibus igitur promissiones fiunt, non ut in ipsis iam plene et perfecte compleantur, sed quia vicem gerunt et umbram quan-

dam referunt Messiae : « ecce enim ego adducam servum meum Germen» (hebr. Zach. 3, 8). Aliis verbis : non Zorobabeli soli, verum dignitati theocraticae quae in ipso residet, talis fit promissio. Neque id mirum videri potest ei, qui adverterit iam saepissime in vetere foedere datas esse promissiones eis qui ipsam impletionem non viderint; ita enim illis qui viri sunt *portendentes* talia dicuntur, quae in posteris demum effectum habebunt; ita quae patriarchis dicta sunt : in te benedicentur omnes gentes terrae; quae Iacob filiis suis vaticinatus est, non in ipsis (nisi forte inchoatione quadam) impleta sunt, sed in sera demum posteritate, in qua dignitas theocratica patribus collata suis incrementis aucta ad perfectionem a Deo praeordinatam pervenit (cf. *Sanct. Rib. Sa, Lap. Gord.*).

Idem dic de oraculo Zorobabeli dato. In rerum omnium regnorumque perturbatione firmiter stabit domus illa et illa dignitas, cuius vicem gerens nunc est Zorobabel; stabit et Domino intime coniungetur tamquam res pretiosa et auctoritatis voluntatisque divinae organum et instrumentum — annulus enim signatorius ubicumque legitime impressus cernitur, regis declarat voluntatem auctoritatemque scriptis ac mandatis conciliat irrefragabilem — idque erit *quia elegi te* i. e. promissiones factae sunt Davidi de regno aeterno, de throno iugiter firmo : « semel iuravi in sancto meo, si David mentiar : semen eius in aeternum manebit et thronus eius sicut sol in conspectu meo » (Ps. 88, 36), quae in Messia ex domo David orituro demum impletae sunt : « dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius et regnabit in domo Iacob in aeternum » (Luc. 1, 32). Quare etiam hoc vaticinium ultimatim praecipue in Messiam tendit, propter quem domus David conservatur et a Deo protegitur. Iure igitur interpretes in Zorobabele typum Messiae agnoscunt (cf. *Hier. Cyr. Lap.*). Praeclare absolvitur libellus Aggaei. In omnium rerum commutatione ostenditur id quod firmum permanet atque inconcussum; et ad quem tandem exitum tota generis humani rerumque omnium dispositio dirigatur, sollemni modo effertur. Haec salus messianica est spes unica, est solatium firmissimum, quo in temporum tenebris animi eriguntur ; « quia coeli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur et habitatores eius sicut haec interibunt; salus autem mea in sempiternum erit . . ; montes commovebuntur et colles contremiscent; misericordia autem mea non recedet a te» (Is. 51, 6 ; 54, 10).

Theod. et *Theod. M.* explicant, uti supra, de Gog et Magog i. e. de invasione gentium in Palaestinam; gentibus iis mutua caede prostratis et parta victoria illustrem effectum iri Zorobabel; *Calm.* vero, id quod sane miraberis, non vatici-

nium, sed rem gestam explicat et qualem? « nos quidem minime dubitamus, quin Aggaeus hic Cambysis adventum in ditionem Iuda eiusque mortem et caedem spectet.... tota celeberrimae huius caedis gloria et utilitas ad aetatem Zorobabelis pertinebat atque hoc divini in populum patrocinii exemplo multo aptius erigebatur Zorobabelis animus, quam rei futurae, ignotae ac remotae promissione ». Neque *Schegg* hoc in oraculo Messiam spectari agnoscit; populum iri a Deo protectum ac custoditum sicuti annulum signatorium. Sed satis ieiunae sunt hae explanationes neque conformes ad tam grandem coeli terraeque commotionem neque secundum prophetias iam antea datas exactae et conformatae, cum tamen unum ex praecipuis sit adiutorium ad vaticinia enucleanda, antecedentium pariter ac consequentium quam maximam habere rationem.

Quid sibi velit annulus signatorius, varie accipiunt : « signaculum foribus admotum et arcis omnia quae intus reposita sunt tuetur et conservat » ita *Theod. Theod. M. Rib. Men.*, intimi amoris symbolum in eo cernit *Sanct. Mar.*; geri scil. in annulo amati effigiem; sed num tale aliquid in annulo signatorio? alii signaculum ibi cernunt quo Deus suos signat ad sui similitudinem et translatione facta a typo ad Christum signaculum Patris perfectum, perfectam eius referens similitudinem, in Filio Dei laudibus celebrant (cf. *Cyr. Hier. Rup.*).

Non erit abs re paucis adnotare, in quibus secundum *Lap.* typica ratio Zorobabelis cernatur : 1° ducatu et reductione populi ex Babylone, uti Christus nos liberavit et reduxit e captivitate multo peiore, 2° quia aedificavit templum, ut Christus Ecclesiam; cf. Zach. 6, 13; 3° sua protectione populi apud Darium, uti Christus est advocatus noster, 4° sua propugnatione, pugnando contra Samaritas volentes impedire fabricam templi; 5° sicut Zorobabel erat Deo coniunctus (ut annulus signatorius) et carus eique gloriam attulit templi aedificatione, ita Christus fuit Deo coniunctissimus etc.

Quomodo autem illa ad Zorobabel dicantur, hunc in modum explicat *Rib.* : « non ad Christum sed ad Zorobabelem haec nunc dici existimo; quod planum atque evidens fiet, si consuetudinem Scripturarum animadvertamus, quam adnotavit Chrys. hom. 8 in Matth. et Euthymius in cp. 2 eiusdem Evangelistae, solere alicui quaedam promitti quae non in eo cui promittuntur, sed in eius posteris implenda sunt. Hi autem quibus haec promittuntur, principium fere generis sunt et capita. Gen. 12 : in te benedicentur universae cognationes terrae; non sunt autem benedictae in Abraham, sed in Christo filio Abraham. Et cp. 15 : ego Dominus qui eduxi te de Ur Chaldaeorum, ut darem tibi terram istam et possideres eam. Quod non est impletum in Abraham sed in eius posteris... Cum ergo post reditum e captivitate Zorobabel in genere David, unde nasciturus erat Christus, quasi quoddam principium iam et caput esset, promittitur ei quod in Christo ex eius posteritate nascituro implendum erat; regnum enim Christi ceteris regnis cadentibus floruit et illis imperavit et usque in finem mundi et in aeternum florebit, sicut Dan. 2 legimus... ex his verba nostri prophetae intelliguntur : in illa die cum non solum alia regna cadent, sed romanum etiam delebitur, assumam te, ut regnum seminis tui i. e. Christi non cadat, sed ponam te quasi signaculum i. e. conservabo illud, quomodo homines servare solent annulum signatorium, quem in digito gestant et diligenter custodiunt... hoc autem faciam, quoniam elegi te i. e. quia amavi te et volui, ut ex genere tuo Christus rex regum nasceretur ».

ZACHARIAS

PROLEGOMENA

I. — De ipso propheta et de argumento libri.

Zacharias [1], filius Barachiae et nepos Addo, ex genere sacerdotali fuis se videtur. Inter eos enim sacerdotes qui cum Zorobabel et Iosue *ascenderunt* i. e. ex exsilio ad patriam terram revertebantur, adnumeratur familia *Addo* et ex ea *Zacharias* sacerdos et familiae princeps fuisse perhibetur *in diebus Ioacim* (cf. Neh. 12, 4. 16). Nomina igitur congruunt ; unde ea sententia probabilitate non caret; *certam* eam cum aliis (*Keil*, *Schegg, Trochon*) dicere non ausim, quia et nomen *Zachariae* valde frequens erat (viginti, immo plures, eo nomine in s. literis nominantur) et quia neque apud Nehemiam *propheta* ille Zacharias dicitur neque in nostro libro is qui propheta est *sacerdos* describitur. Ieremias quidem et Ezechiel se sacerdotali genere ortos esse clare dicunt (Ier. 1, 1. Ez. 1, 3) ; Zacharias id non effert atque ab Esdra quoque solum *prophetae* nomine et titulo appellatur (Esd. 5, 1 ; 6, 14 — in utroque loco *filius Addo* dicitur i. e. more in genealogiis sat frequente *nepos* Addo). Eum ex Levi genere fuisse etiam *S. Cyr.* affert neque tamen unde hauserit addit. In aetate iuvenili ad munus propheticum eum electum fuisse, aliqui ex 2, 4 *curre, loquere ad puerum istum* coniecerunt ; at res est plane incerta, cum נער saepe minime aetatem verum solum ministerium vel servitium dicat (cf. ad 2, 4). Etiam peius alii ex ipsis visionibus, quippe quae sint luxuriantis et iuvenilis ingenii vivacisque imaginandi facultatis vel foetus (*Ewald*) vel saltem indicia et testimonia (*Haever-*

---

1. זְכַרְיָה alii explicant *memoriam Domini* (*S. Hier.* in Ioel, prolog. et Zach. 1, 1), alii : *Iah est gloriosus (Fürst L.)* vel *gloria Domini* (idem *C.*), alii : *is cuius memor est Dominus (Keil, Trochon)*, alii : *is qui memor est Domini*. « Interpretatur Barachias *benedictio Domini*, Addo *testimonium eius* » (*S. Hier*

nick), aetatem iuvenilem deprehendi posse arguebant. Indicium magis certum colligi posset, si *Addo* ille qui cum Zorobabel rediit revera est avus prophetae nostri. Verum cum neque de aetate Addo neque de tempore nativitatis aliquid innotescat, etiam in hac hypothesi res in ancipiti haeret. Unum fortasse ex ea efficitur, scil. id quod apud Pseudo-Dorotheum aliosque legitur, Zachariam *senem*, vel cum iam esset aetate provectus, ex Chaldaea rediisse (ita quoque *Barh.* et martyrologium romanum die 6. Sept.), satis dubium reddi. Plura quidem de eo referuntur apud Pseudo-Epiphanium, Sozomenum, Nicephorum, quae tamen adeo sunt incerta, etiam fabulosa, ut in medium ea proferre pigeat (lege, si vacat, apud *Lap. Calm.*).

Maioris momenti quaestio est, sitne Zacharias filius Barachiae qui inter templum et altare occisus sit a Iudaeis (Matth. 23, 35), noster propheta. Id haud pauci affirmant (vide veterum quoque testimonia apud *Sanct. Rib.*) neque sane ea ratio obstat quam *S. Hier.* urget, tempore Zachariae vix templi ruinas exstitisse; nam anno 6 Darii templum est finitum; ergo si vates oraculo suo 2 anno Darii edito adhuc per 4 circiter annos vixit, potuit occidi inter templum et altare. Verum alia obstant. Vix enim reduces ex exsilio quorum cor Deus tetigerat, tantum scelus admittere potuisse censendi sunt. Neque scelus illud, de quo Christus, ad unius alteriusve hominis pravitatem quam inter Zachariae aequales adfuisse fortasse aliquis excipiet, referri potest sed tamquam populi crimen et *culpa nationalis* traducitur. Adde, quod in libro Esdrae mentione Zachariae facta nulla sit talis criminis accusatio, neque in libro Nehemiae neque apud Malachiam, cum tamen peccata multo minora non taceantur. Insuper teste *Hier.* in evangelio aramaico quo Nazareni utebantur Zacharias *filius Ioiadae* legebatur; unde nomen Barachiae forte ad graecum Matthaei interpretem referri debet (et ad eventum narratum apud *Iosephum*, bell. iud. 4, 6, 4 ?). Unde multo probabilius videtur Christum eo loco commemorasse primam caedem et ultimam, cuius in s. libris ex ordine apud Iudaeos adoptato dispositis narratio occurrat, scil. caedem Abel in Genesi descriptam et caedem Zachariae 2 Par. (Chron.) 24, 20-22, qui propter reprehensionem datam furiis popularibus lapidabatur in atrio domus Domini et moriens dixit: *videat Dominus et requirat*, cuius mors culpa erat *nationalis*.

Incepit munus exercere propheticum eodem cum Aggaeo anno, i. e. anno secundo Darii, duobus mensibus post primum Aggaei oraculum, in mense vid. octavo. Eiusdem anni mense undecimo die 24 mensis variis visionibus ei epocha instaurationis eiusque indoles est exhibita (1, 7); uti ex 7, 1 elucet, etiam anno quarto Darii adhuc vaticinatus est; fortasse ex Esd. 6, 14. 15 coniectare licet, eum templum finitum adhuc vi-

disse. Cum igitur Aggaei coaevus sit, quae de temporis conditione modo ad Aggaeum praefati sumus, etiam pro Zacharia valent. Eius quoque muneris partes non minimae erant principes et populum calcaribus additis stimulare, ut ad instaurationem alacriter manus admoverent. Qua ratione id praestiterit et quomodo instaurationis temporisque messianici indolem delineaverit, brevis argumenti in libro tractati conspectus docebit.

Prophetae liber tribus partibus dividitur. Prima pars brevi prooemio et adhortatione ad sinceram conversionem praemissa visionibus quas vates accepit describendis potissimum immoratur (1, 7 - 6, 8) et actione symbolica absolvitur (6, 9 - 15). Altera parte duobus capitibus 7. 8 populus de vera praeparatione edocetur, quae ad consequenda promissa magnifica sit necessario praemittenda. Tertia demum parte onus Dei in terra Hadrach et onus Dei super Israel duabus sectionibus (cp. 9 - 11; cp 12 - 14) proponitur, quibus iudicium in gentes exercendum, tempus messianicum et benedictionis copia uberius delineatur. Et haec quidem in universum.

Speciatim autem argumentum libri ita accuratius declaratur : in prophetiae prooemio aequales suos admonet, ut toto corde ad Deum convertantur neve se exhibeant tales, quales eorum maiores fuerint. Ita iam populum edocet, quid praestandum ab ipso sit, ut divino consilio in opere instaurationis se docilem praebeat (1, 1 - 6). Tum sex visionibus et actione symbolica futuram theocratiae instaurationem et indolem (et proin regnum quoque messianicum, ad quod reditus ex exsilio est quasi gressus ac gradus primus) describit atque declarat.

Et in prima quidem visione (1, 7 - 21) ei offertur, quomodo Deus, ut Sionis misereatur, *gentium potestatem mox sit deiecturus.* Idque tali schemate proponitur : cernit angelum Domini specie equitis stantem cui alii angeli singulorum populorum custodes et patroni nuntium undequaque afferunt, terram populosque quiescere (i. e. nondum adesse illam gentium commotionem, de qua ut salutis messianicae auspice Aggaeus ante menses quinque vaticinatus erat; Agg. 2, 7); quo audito angelus apud Dominum pro Ierusalem intercedit. Respondet Deus verba consolatoria : se gentes esse deiecturum, ad Ierusalem autem in misericordiis reversurum et bona abundantissima largiturum. Atque statim in primae promissionis confirmationem vati species offertur, quomodo quattuor cornua, symbola scil. potestatum hostilium, quibus populus Dei affligebatur, per totidem fabros conterantur. Verba illa consolatoria (1, 14 - 17) iam *in nuce*, si ita loqui fas est, omnia Dei promissa continent et sequentibus visionibus suo ordine clarius determinantur et explicantur. Ita quattuor fabrorum visio qui cornua confringunt, impedimenta removet, potestatem hostilem deiicit.

Altera visione (cp. 2) primus gressus ad instaurationem theocratiae fit; offertur vati *urbis Ierusalem instauratio gloriosa* : nova civitas amplitudine et hominum copia eminebit; ipse Dominus erit munimen eius et gloria. Hac visione delectatus propheta ardenti studio omnes qui etiamtum in terra aliena degunt, excitat, ut redeant; Dominum iis favorem praestaturum; fore laetitiam et gaudium in Sion, in hereditate Domini.

Verum quid prodesset urbem instaurare, nisi fecundus ille veteris ruinae fons obstrueretur, qui in principum sacerdotumque corruptione tot mala et demum extremum exitium in veterem effudit theocratiam? Quare in tertia visione (cp. 3) cernitur *sacerdotii sanctitas restituta*, ex quo munere sanctitas et benedictio in populum est derivanda. Exhibetur id actione symbolica : Iesus sacerdos ablatis vestibus sordidis induitur novis atque splendidis; additur admonitio, ut in viis Domini ambulet; promissio fit praesidii coelestis, adventus Messiae et theocratiae instaurationis, quam sanctitas et pax comitentur ac consequantur. Visione quarta (cp. 4) ad ipsius Zorobabel principis eruditionem *indoles spiritualis theocratiae* exprimitur symbolo aurei candelabri lucentis in sanctuario coram Deo, quod candelabrum duplici illa potestate a Deo instituta sacerdotii sacrique regiminis accipit oleum subministratum; ea enim via in regno Dei hominibus veritas et gratia ordinarie contingere debet. Imagine tali theocratiae proposita, uti cp. 3 sacerdos de suo munere edocebatur, ita iam Zorobabel princeps (sacri regiminis vicem gerens et in se exprimens) quae ipsius sint partes in hac instauratione, per Dei nuntium audit · praeprimis enim opus est in ea foederis innovatione et in regni messianici praeparatione *templo*; quare eius aedificatio sublatis impedimentis a Zorobabele perficienda promittitur.

Iam urbe (cp. 2) temploque (cp. 4) aedificatis et utraque potestate sacra (sacerdotii sacrique regiminis cp. 3. 4) sanctificata et de muneris ratione coelitus edocta in quinta visione (cp. 5) symbolum candelabri aurei clarius determinatur i. e. *populus ostenditur theocraticus* ab inquinamentis *purus*; exhibetur scil. quomodo sanctitas in sacra potestate reposita redundare debeat in populum. Atque eum in finem iudicium Dei ostenditur quo impietas sit auferenda a populo; idque ita, ut impii maledictione obruti pereant et Deus sedulo caveat, ne impietas diutius in terra theocratica sedem figat. Utrumque visione symbolica prophetae offertur, volumine scil. maledictionum volante et amphora iniquitatis in terram Sennaar ablata. Quid vero peccatoribus e theocratia eiectis i. e. *hostibus theocratiae immineat*, sexta visione (6, 1-8) adumbratur : iam enim quadrigae Domini egredi cernuntur et discurrere per orbem et vindictam Domino quaquaversus spargere. Ita illud exhibetur iudicium in gentes, quod regni messianici est augurium, et quo hostes Dei pro-

sternuntur. Quantum vero *servis Dei* reposita *sit gloria et beatitas* actione symbolica declaratur : iubetur propheta ab exsulibus accipere aurum et argentum et coronas inde factas impositasque sacerdoti, typc Messiae, reponere tamquam memoriale in templo Domini, hancque actionem ita verbis explanare, ut Messiae regi et sacerdoti populus etiam in exsilio positus sit acceptus (6, 9-15). Atque hisce prima pars absolvitur, in qua igitur instauratio per singulas partes proponitur eiusque indoles varie describitur.

Altera pars (cp. 7. 8) brevis est, facilis ac plana. Cum scil. propheta interrogaretur, essentne ieiunia olim instituta ad dierum nefastorum memoriam recolendam retinenda necne, docet populum de iis quae Deus ab iis exquirat : ut vid. iustitiam et misericordiam colant; quod ut sedulo praestent, promissa magnifica renovantur. Hisce propheta populum erudit, quomodo instaurationi promissae animis praeparati obviam ire debeant. Quare instauratione in prima parte proposita iam declaratur in altera parte, qua via illi occurrere debeant. Est etenim haec via obedientia erga Deum, qua veritatem, iustitiam, caritatem colant atque exerceant; promissa autem Dei in eius amore, in urbis restitutione gloriosa, in benedictionum divinarum copia, in gentium ad veri Dei cultum confluxu continentur : quare magna animorum fortitudine et alacritate operi a Deo ipsis commisso insistant!

In tertia parte (cp. 9-14) rem pertractat multis numeris si ipsum argumentum spectes visiones primae partis declarantem. Epocham enim describit messianicam, eius bona illustrat, sed etiam iudicia eius et perpessiones effert. Ex aequali titulo *onus verbi Domini* in duas dividitur sectiones (cp. 9-11; 12-14). Prima *oneris* denuntiatio cadit in gentes Palaestinae vicinas : in Syriam, Phoenicen, in Philisthaeos; quibus afflictio et eversio praedicitur sed in eum finem, ut demum Dei cultoribus aggregentur. Dum gentes vicinae terrore percelluntur, ad Sionem venit ingentis laetitiae causa, Rex pacificus, regni universalis fundator. Quare qui adhuc procul degunt, ut veniant invitantur et magnis Dei favoribus quos suis tribuere paratus sit ad reditum incitantur : exornabit enim populum suum victoriis et insigni sua protectione, bonorum omnium copia; auferet malos pastores, theocratiam firmam ac stabilem constituet, eius cives heroes reddet robore et laetitia exsultantes; dispersos colliget et magnis si opus fuerit miraculis eos reducet. Cum igitur tam praeclara populo suo praestare paratus sit Dominus, quis non libenter [illegible] vocem audiet eique obsequetur? Sed vae contemptoribus, vae gre[illegible] contumaci! Ei iudicium imminet vastationis. Divina circa gregem beneficia actione symbolica prophetae tamquam pastoris exprimuntur — at grex pervicax varios pastoris conatus et labores repudiat; quare hosti-

bus traditur vexandus. Pauci ea castigatione resipiscunt. Ipse grex novum pastoris conatum insigni contumelia, servili mercede soluta, irritum reddit et repellit; quare malo pastori traditur interimendus. Ita in hac sectione utraque sors vitae et mortis populo proponitur. Rex pacificus veniet ad Sionem : verum utrum ad resurrectionem an ad ruinam pro populo electo, ex pastoris male tractati symbolo iam infausto augurio pervidetur.

Altera sectio (cp. 12-14) *onus verbi Domini super Israel* theocratiae impugnationes (inde *onus*), sed etiam praeclaras Deo protegente victorias et egregios ex afflictionibus enascentes fructus proponit. Argumentum hoc generale duplici modo pertractatur. Prius enim exhibentur gentes aemulatione quadam urbem sanctam infestantes; at frustra. Deus adiutor adest suis quos insigni robore et magna dignitate vestit. Robur istud quo hostiles impetus retundunt, in spiritu gratiae et precum et in sacro de Christi passione luctu consistere mox declaratur; victoria de hostibus et pax consecuta in novae theocratiae sanctitate constituitur. Sed cur haec ipsa nova theocratia adhuc hostium infestationi obnoxia est? Vates secundo loco earum persecutionum mysterium revelat : *percute pastorem et dispergentur oves* : afflictionem eam et probationem symbolo urbis expugnatae describit, qua in calamitate Deus insigni miraculo suos eripit et salvat. Ex tali autem perpessione novus theocratiae splendor, regni Dei dilatatio et centri theocratiae exaltatio exorietur; hostes vero prosternentur ; eorum spoliis theocratia ornabitur. Iam omnes gentes magna animorum laetitia Dominum colent et tota theocratiae conditio maiore quam olim dignitate et sanctitate coram Domino consistet. Ita in fine libri talem exhibet populum theocraticum, qualem eum in visione *candelabri aurei* conspexerat, vel in actione symbolica coronis in templo Dei repositis expresserat.

Ex argumento proposito iam elucet, quam praeclara vaticinia messianica et quam insignia pro epocha messianica documenta in hoc libro contineantur. Argumenti sublimitate Zacharias excellit inter minores prohetas et quamvis dicendi genere et splendore ad Isaiae maiestatem non perveniat, tamen rerum profunditate, varietate, amplitudine, in quantum libri moles longe minor fert, non adeo longe ab eo abesse videtur. — Interpretandi difficultatem agnoscunt omnes. *S. Hier.* librum vocat *obscurissimum* (*M.* 25, 1417) et in commentariis de ea re saepius conqueritur; ita ad cp. 11 scribit, omnia usque ad finem voluminis « tantis sunt contexta mysteriis, ut misericordia Dei et tuis indigeamus orationibus, ne cursus noster aliquo praepediatur errore et malevolis iusta sit occasio detrahendi, qui ad hoc solum linguas se habere putant, ut proximos lacerent et duritiem frontis attritae verborum rabie conso-

lentur » (l. c. 1497). Dicendi genus secundum subiectam materiam varium est, sed semper aptum ; simplex et prosaicum in prima parte, qua visiones acceptas explanat ; in altera parte iam paululum assurgit ; in tertia demum grande argumentum splendore quoque ac maiestate quadam ornat ; « sunt aliqua sub eius vaticinii finem et poetica et valde ornata et, ut in vate omnium fortasse obscurissimo, satis perspicua » (*Lowth*, de s. poesi Hebr., prael. 21).

II. — De tertiae partis auctore.

Tertiam quoque partem (cp. 9-14) intime esse priori adnexam et colligatam, iam ipse argumenti nexus et affinitas suadet. Verum maioris ea in re ponderis est totius antiquitatis et iudaicae et christianae consensio atque conspiratio, qua eorum quoque capitum auctorem esse Zachariam indubie efficitur [1]. Nam mox post Zachariae mortem canonis sacri collectio et quasi constitutio facta est, eo igitur tempore, quo de eorum vaticiniorum auctore certissime constare et potuit et debuit (cf. *Cornely*, Introd. I p. 39 seq.) ; quare nunquam fieri potuisset, ut ei attribuerentur vaticinia, nisi ab eo profecta illa esse tunc temporis omnibus esset persuasum. Quanta autem cura vaticinia et nomina vatum conservata sint, ipse duodecim prophetarum liber satis iam per se prodit. Cernimus enim in eo sedulo servata et propriis nominibus distincta minora quoque vaticinia ; ita v. g. parvulum Abdiae oraculum non solum religiose est custoditum, ne ipsa sua exigua mole quasi excideret et interiret, verum etiam a reliquis separatum proprii vatis nomine inscriptum ad nos usque descendit. Sed si minima oracula tanta cum cura suis servabantur auctoribus, quis sibi persuadere poterit, maiora vaticinia vel sine auctoris nomine esse pervulgata vel cuiquam perperam esse assuta ? Neque prius neque alterum fieri potuit. Oracula enim inde solum accipere auctoritatem poterant, quod a propheta legitimo et divino testimonio comprobato edebantur ; quare nomen prophetae necessario iis addebatur, simili ratione, uti leges promulgari non possunt nisi auctoritate legitima munitae. Homines porro res religiosas cum cura et sollicitudine tractare solent ; id a fortiore valet de oraculis veteris foederis, quibus laeta spes et exspectatio populi iudaici continebatur ; unde plane fieri nequit, ut iam tempore Esdrae et Nehemiae oraculorum series tanta, tam gravis, tam illustris, fuerit Zachariae attributa et cum eius oraculis adscripta, nisi ex rei veritate indubie de eorum origine constitisset. Ea vero fuisse attributa Zachariae et veteres versiones ostendunt, in quibus sine ulla

1. De qua re vide *Zschokke* l. c. p. 327 ; *Vigouroux* (Manuel bibl. II p. 662 seq.) ; *Kaulen* (Einl. p. 367).

varietate immediate post capita priora leguntur adscripta, et codices quotquot supersunt et unanimis et synagogae et Ecclesiae christianae antiquae consensus et affirmatio (de Iudaeorum consensu vide *Fürst*, der Kanon d. A. Test. p. 45).

Hisce accedunt clara indicia in ipsis oraculis expressa, quibus tempus *post exsilium* proditur. Invitantur enim 9, 11. 12 exsules ad reditum et urgentur, ut ad Sionem revertantur; id quod ad Zachariae tempus apprime, ne dicam unice, est factum; item 10, 2 populi dispersio et captivitas uti res iam facta exhibetur; 10, 6 vero et Iudaeorum et Israelitarum restitutio promittitur ita, ut utriusque abductio et punitio simul enuntietur iam facta : « erunt sicut fuerunt, quando non proieceram eos »; 10, 8 praesertim Ephraimitae dicuntur adhuc esse reducendi et congregandi, id quod supponit iam Iudaeorum partem magnam esse reductam; 10, 10 ex Aegypto et Assur multos fore reduces et in Galaad et Libanon esse collocandos promittitur; ergo ex Chaldaea iam plerique redierunt et terra meridionalis circa Ierusalem iam est incolis praedita. Neque id negligendum est, 9, 13 ostendi *Iavan* i. e. Graeciam tamquam potestatem praecipuam, immo unicam, quae theocratiae instauratae bellum moveat; tempus igitur delineatur post exsilium excisis iam et destructis regnis Assyriorum et Chaldaeorum; illa describitur potestas inimica, de qua Daniel 8, 5. 21 vaticinatus est. Populum theocraticum iam esse gentibus traditum et veterem theocratiam dissolutam, haud obscure in ipso symbolo muneris pastoritii indicatur 11, 10. 11 : « et tuli virgam meam... et abscidi eam, ut irritum facerem foedus meum, quod percussi cum omnibus populis *et in irritum deductum est in die illa* »; immo iam aliquis exsilii et punitionis fructus exstitisse dicitur : « et cognoverunt sic pauperes gregis » (vide comment.). Ducum Iuda domusque Davidis ea fit mentio, quae non tum cum oraculum funderetur, sed solum pro futuro tempore eis honorificam dignitatis conditionem assignet (cf. 12, 7. 8. 12; 13, 1). Adde quod 12, 11 mortem Iosiae iam evenisse eiusque luctum in Israel iure quodam hereditario celebrari aperte supponitur. Insuper negari nequit, locos sat multos ita efferri, ut vatem nostrum respexisse ad priores prophetas, ad Ieremiam, Sophoniam, Ezechielem, ut de Isaia aliisque taceam, res sit satis explorata. Qua de re inter se confer: 9, 2. 3 et Ez. 28, 4. 5; 9, 5 et Soph. 2, 4; 9, 10 et Mich. 5, 9; 9, 12 et Is. 40, 2; 10, 3 et Ez. 34, 17; 11, 4 et Ez. 34, 4; 13, 8. 9 et Ez. 5, 12; 13, 9 et Os. 2, 25; 14, 8 et Ez. 47, 1-12 (Ioel 3, 18); 14, 10. 11 et Ier. 31, 38-40; 14, 16-19 et Is. 60, 12 et 66, 23; 14, 20. 21 et Ez. 43, 12 et 44, 9 et forte etiam 12, 1 et Is. 44, 24 et 51, 13 (cf. *Reinke*, Beitraege, 6 p. 6. *Keil*, Lehrb. d. Einl. §. 103, 3. *Vigouroux*, Manuel biblique II p. 663. *Kaulen*, Einl. p. 368 etc.).

Si haec tempus arguunt post exsilium, etiam talia non desunt quae *eundem auctorem* horum capitum fuisse suadeant, qui priora condiderit. Ad id ostendendum iam confert magna illa similitudo quae inter priorem ac posteriorem partem pluribus in rebus deprehenditur : v. g. 1, 14. 15 et 6, 8 hostes theocratiae interituros vaticinatur ; idem in altera parte per singulas gentes prosequitur 9, 1 - 6 et 12, 2 seq. et 14, 12 ; Messias Rex in utraque parte insigni modo effertur 3, 8 et 6, 12 et 9, 9. 10 ; instauratione messianica ostensa utrimque fit invitatio ad reditum 2, 6. 7 et 9, 11 - 17 ; utrimque gentes multas nomen daturas esse Domino praedicitur 2, 11 et 6, 15 et 8, 22 et 14, 16. 17 ; utrimque sanctitas in nova theocratia effulgens praeclaro modo illustratur 3, 2 seq. 5, 1 -11 et 13, 1 - 6 et 14, 20. 21 ; in utraque parte impietatem iri ablatum a theocratia et punitum clare exprimitur 5, 7 seq. 6, 7 et 11, 1 seq. 11, 16. Eadem ratione vaticinia de abundantia et prosperitate epochae instaurationis inter se collata iuremerito ad eundem auctorem interna sua similitudine referri debent ; ita v. g. 1, 16. 17 ; 2, 9 ; 8, 3 - 5 et 9, 10 - 17 ; 10, 7 ; 12, 8 ; 14, 7 - 11. 14 ; ubique pariter promissiones praecipue dantur centro theocratiae Ierusalem : 1, 16. 17 ; 2, 2. 12 ; 3, 2 ; 8, 3 - 5 et 9, 8 seq. 12, 2 seq. 13, 1 ; 14, 8. 10 - 12. 16. 21 ; eaedem fere promissiones de reditu, de confortatione leguntur 8, 8. 9 et 10, 6. 10 etc.

Hisce addi debet similitudo quaedam, quae utrobique in peculiaribus dicendi modis reperitur ; aliqua ex praecipuis accipe : phrasis rara et satis inusitata מֵעֹבֵר וּמִשָּׁב legitur 7, 14 et 9, 8 ; הֶעֱבִיר in significatione auferendi, removendi habetur 3, 4 et 13, 2 ; providentia Dei *oculi* nomine designatur 3, 9 ; 4, 10 ; 9, 1 ; nomine Iuda et Israel vel Ephraim et Ioseph theocratia appellari solet ; praeterea inter se confer 2, 10 et 9, 9 (cf. *Reinke* l. c. *Keil* l. c. *Kaulen*, Einl. I, 367, *Trochon*, Les pet. proph. p. 401).

Hisce veritate rei stabilita paucis quoque exponendum erit, in quam multiplices opiniones et quasnam ob causas adversarii abeant, qui ea capita non Zachariae, verum cuiquam prophetae vel antiquiori vel etiam multo iuniori attribuenda esse coniectant. Prima dubii de Zacharia auctore cp. 9-11 origo exorta est ex allegatione apud Matth. 27, 9. 10, qua aliquibus ea capita Ieremiae adscribi visum est. Ita opinatus est *Mede* Anglus, quem alii ex Anglis secuti sunt, uti *Whiston*, *Kidder*, *Bridge*, *Hammond*, *Newcome*, et ex Germanis *Doederlein*. Mox ex « rationibus internis » totam partem tertiam Zachariae esse adimendam iudicarunt *Flügge*, *I. D. Michaelis*, *Eichhorn*, *Corrodi*, *Bertholdt*, *Forberg*, *Augusti*, *Rosenmüller*, *Maurer*, *Hitzig*, *Reuss*, *Knobel*, *Ewald*, *Bleek*, *von Ortenberg*, *Kahnis*, *de Wette-Schrader*, *Stade*, *Pressel*, aliique quos vide apud *Keil*, Einl. § 103, 1 ; *Bleek-Kamphausen*, Einl. p. 553 ; *de Wette-Schrader*,

Einl. p. 480; *Kaulen*, Einl. l. c. *Trochon* l. c. Immo aliqui, uti *Hitzig*, alium statuunt auctorem pro cp. 9-11, alium pro 12-14; similiter *Kamphausen*, *Schrader*, aliique.

Isti critici omnes *solis* se duci alta profitentur voce *rationibus internis* ex oraculorum argumento, lingua, conditione historica petitis. Eousque bene. Verum si accuratius inspexeris, quid tandem his rationibus internis quas adeo manifestas esse singuli affirment apud singulos efficiatur, mirum est ac pene incredibile, quae opinionum portenta, quae sententiarum diversitates ex his *rationibus internis* sint enata et in diem fere enascantur. Si quaesieris, cuinam tempori ex rationum internarum indole et praescripto capita ista attribui debeant, a temporibus Azariae (Oziae) regis usque ad Antiochum Epiphanem (i. e. circ. 770-160 a. Chr.) nulla est epocha, cui non ea capita vel omnia simul vel plura fuerint adscripta (vide catalogum sat longum, quem a *Pusey* mutuatum *Trochon* p. 399 proponit). Singula recensere et refutare non vacat neque veritate rei aliunde probata opus est; praecipua opinionum fulcra paucis ad trutinam revocare sufficiet. Contendunt, regnum israeliticum supponi adhuc consistens 9, 1. 10. 13; 10, 6-10; 11, 14 — at hisce in locis vel sermo est de *futura* rerum conditione, quae scil. populo theocratico ex dispersione collecto oritura sit, vel *Israel*, Ephraim eodem modo usurpatur, quo usus iam invaluit apud Ieremiam (30, 3. 4; 31, 27. 31; 33, 14 etc.), apud Ezechielem (37, 16 etc.) et invenitur apud ipsum Zachariam 8, 13. Sicuti ergo *Israelis* mentio apud Ier. et Ez. et Zach. 8, 13 minime ostendit, regnum Israel etiam tum stare, ita minime id inferri potest ex locis allatis[1].

Porro mirantur nominari Assur 10, 11, indeque concludunt regnum Assyriorum adhuc florens supponi; sed cur non potius de *regione* Assur, de terra assyriaca ibi sermo sit, non perspicitur[2]. Volunt 11, 2. 3. 8 referri ad tempus descriptum in 4 Reg. 15, 10-14 et 11, 6 intelligi ac describi Menahem (4 Reg. 15, 16); at plane contra contextum, qui symbolica actione divinam rerum iudaicarum administrationem exhibet. Affirmant 13, 9; 14, 2 describi tempus ante exsilium; sed hi loci tempus non praeteritum, sed futurum respiciunt; idololatriae et pseudoprophetarum mentione pariter tempus ante exsilium signari asserunt, quia exsilio soluto neque idololatria neque prophetia adfuerit; verum bene monuit *Patritius*, loqui prophetam non tam de Israelitarum regione, sed de terra in universum, neque idola, sed idolorum *nomina*, hoc est memoriam ipsam delendam praenuntiari; pseudoprophetam autem esse, qui falsa doceat; tales vero nunquam deesse. Ceterum eiusmodi ne tempore quidem Nehemiae defuerunt (Neh. 6, 14). Praeterea aliqui dicunt, cum 9, 1 oraculum fiat contra Damascum, aperte supponi, regnum damascenum tum exstare independens; at id

---

1. Idem usus vocis *Israel* reperitur in libro Esdrae; cf. 1, 3; 3, 1. 10. 11; 4, 1. 3; 5, 1; 6, 19; 7, 6. 7. 13 etc. Insuper eodem modo iungitur *Iuda et Ierusalem* cum Israel 7, 13. 14; 10,1. 7 etc.

2. Praeterea Esd. 6, 22 legimus : « et fecerunt sollemnitatem azymorum septem diebus in laetitia, quoniam laetificaverat eos Dominus et converterat cor *regis Assur* ad eos »; ergo dicitur *rex Assur* regno assyriaco iam dudum deleto.

iam a Theglathphalasar esse destructum (4 Reg. 16, 9) ultimumque eius regem, Rasin, esse occisum ab Assyriis, ergo haberi indicium anterioris temporis. O miram argumentationem, quasi non Ieremias quoque 49, 23 vaticinium habeat adversus Damascum: ergone Ieremiae tempora ante Theglathphalasar erunt collocanda? Alii, uti *Pressel*, cp. 9 et seq. tempus Ezechiae regis delineari opinantur. Sed obstant multa: quae de Philisthiim dicuntur, ad illud tempus referri nequeunt, cum neque ab Ezechia neque ab aliis idololatria Philisthiim sit ablata neque alienigenae tamquam *duces in Iuda* suscepti. Rex et regnum 9, 9. 10 ita describitur, ut nullo modo Ezechiae conveniat, neque Ezechias contra *Iavan* pugnavit, neque quadrigas ex Ephraim abstulit neque ope Ephraim proelia commisit etc. (cf. 9, 10-16). Idem censet 11, 1 seq. invasionem exhiberi illam qua regnum israeliticum interierit; 12, 1 seq. delineari expeditionem a Sennacherib contra urbem factam; at actio symbolica in cp. 11 maius aliquid et universalius indicat; Sennacherib vero minime fortitudine Iudaeorum superatus est, ita ut 12, 5. 6. 8 nullo pacto de illa liberatione dici queat; quantopere timor et tremor invaluerit et apud regem et apud populum, Isaias propheta et libri historici referunt (Is. 37, 3 seq. 4 Reg. 19, 3 seq.). Unde si quis satiram scribere vellet in regem et cives, posset impingentem appellare David, et domum regiam angelum Domini (cf. Zach. 12, 8).

Plane autem absurdum est, 12, 1 seq. ad tempus obsidionis urbis per Chaldaeos referre et asserere, prophetam vaticinatum esse ante exsilium. Eo enim tempore Ieremias iam dudum et repetitis vicibus interitum instantem vaticinatus erat, immo ut documentum quo verus propheta a falso distingueretur, diserte proposuerat: prophetae qui fuerunt ante me et ante te ab initio ... prophetaverunt de proelio et de afflictione (Ier. 28, 8), quomodo igitur concipi potest, ipso tempore a vate dari promissionem, Deum esse Chaldaeos miro modo prostraturum? Nonne tali vaticinio potius se pseudoprophetam declarasset et eo censu et ordine habendus esset quo Hananias filius Azur, propheta de Gabaon, qui vaticinabatur: haec dicit Dominus: contrivi iugum regis Babylonis (cf. Ier. 28, 1-11)? Ieremias totus in eo est, ut fiduciam falsam et spem praeposteram omnibus adimat, ut ad subiectionem cives hortetur, immo ut asserat: « sed et si percusseritis omnem exercitum Chaldaeorum qui proeliantur adversum vos et derelicti fuerint ex eis aliqui vulnerati, singuli de tentorio suo consurgent et incendent civitatem hanc igni » (Ier. 37, 9), quomodo ergo fingi potest, eo ipso tempore ab alio vate liberationem urbis ab instante periculo eamque adeo splendidam promitti? Et tamen talia fingunt!

Praeterea critici illi diversum urgent genus dicendi; in priore parte visiones describi; nullam vero in tertia parte; ibi multum sermonem fieri de angelis, hic nullum; ibi vatem nomine suo efferri, hic nullam esse nominis mentionem etc. Sed haec satis levia sunt. Nam diversitas in genere dicendi necessario ex argumento vario sequitur; neque si vates visiones habuit, efficitur, ut eas semper habeat neque de alia re possit vaticinari. Habuit visionem Isaias cp. 6; habuit Ieremias cp. 1; habuit Ezechiel saepius: quis vero unquam dixit, reliqua quae non contineant visiones, ideo esse iis abiudicanda et alteri vati attribuenda? Qua in re laudandus est *Pressel* qui aperte fatetur, ex diverso dicendi genere prorsus

nihil concludi posse, cum argumentum ipsum et res tractatae alium dicendi colorem exigant, eumque virum qui visionibus illis a Deo fuerit donatus, certe potuisse etiam magnifico et sublimi modo loqui. Item *Reuss* (Gesch. d. h. Schr. d. A. T. p. 266) profitetur, stili et linguae diversitate nihil posse effici ; « die Verschiedenheit des Stils und des Sprachguts, so wie die ganze Manier des Vortrags beweist nichts oder zu viel, da auch C. 7. 8 ganz anders angelegt sind als C. 1-6 und C. 11 wiederum ganz anderer Natur ist als C. 9, 10. Mit gleichem Rechte koennte man im Hosea und anderwaerts aehnliche Scheidegründe finden ».

Ceterum non desunt etiam ex castris protestantium qui haec quoque capita Zachariae vindicent : ita *Carpzov*, *Beckhaus*, *Koester*, *Hengstenberg*, *Burger*, *de Wette* (Einl. a 4 editione, cum in 3 prioribus oppositam sententiam tenuerit ; sed cum adverteret, vatem nostrum locis uti Ieremiae, Ezechielis etc. victas dedit manus), *Umbreit*, *Haevernick*, *Keil*, *Staehelin*, *von Hofmann*, *Neumann*, *Lange*, *Kliefoth*, *Koehler*, (cf. *Pressel* p. 41 ; *Keil*, *Schrader* l. c.) et ex catholicis *Iahn*, *Herbst-Welte*, *Glaire*, *von Haneberg*, *Danko*, *Lamy*, *Schegg*, *Reinke*, *Scholz*, *Kaulen*, *Ubaldi*, *Vigouroux*, *Trochon*, *Cornely etc.*

LIBER ZACHARIAE

PROOEMIUM PROPHETIAE 1, 1-6.

ARG. — Serio admonentur, ne patrum exempla secuti Domino sint inobedientes, verum ut toto corde se Deo dedant.

Temporis designatio quae communiter apud prophetas fieri solet, cum non pro aequalibus fieri censenda sit — ipsi enim tempus norunt — sed pro posteris reique memoria, iam indicat Deum in prophetiis dandis non solum aequalium curam agere sed in futura quoque tempora hominum spectare utilitatem et doctrinam. Praeterea « oportebat, ut quando voluit Deus, ut legati a se prophetae monumentum exstaret, tanti beneficii tempus amplissimi alicuius et nobilissimi regis aetate notaretur » (*Sanct.*). v. 1 « *In mense octavo, in anno secundo Darii regis factum est verbum Domini ad Zachariam, filium Barachiae filii Addo, prophetam dicens* » ; — quid regis exteri mentio suggerat, vide ad Agg. 1, 1 ; mensis est octavus [1] scil. a mense primo Nisan ; « dicitur apud Hebraeos *Maresvan* (מַרְחֶשְׁוָן), apud Aegyptios *Athir*, apud nos *November* » (*S. Hier.*) ; de aliis vide Prolegomena.

Recens erat exsilii et collapsae theocratiae memoria ; ipsi testes fuerunt calamitatum et castigationis divinae neque earum causam ignorare poterant. Quare ab iis rebus incipit prophetia, quarum sensu omnium animi erant imbuti v. 2 « *iratus est Dominus super patres vestros iracundia* » ; — i. e. iratus fuerat ; locutio *irasci ira* et sim. magnitudinem vindictae et exinde delicti enormitatem declarat ; quare LXX recte efferunt sensum ὠργίσθη... ὀργὴν μεγάλην [2]. « Sapientiae plenum prooemium prophetiae et illius aetatis hominibus ad divina institutis conve-

---

1. Vertunt aliqui : in novilunio octavo i. e. primo die mensis octavi ; חֹדֶשׁ utique dicit novilunium ; at talis numeratio non est usitata et primus dies mensis explicite solet efferri cf. Gen. 8, 5. 13. Ex. 40, 1. 17. Num. 1, 1 ; 29, 1 ; 33, 38 etc.

2. Iram bene declarat *S. Cyr.* ad h. l.

niens ; recentem enim habebant memoriam eorum quae patribus acciderant neque causam eorum ignorabant » (*Theod.* sim. *Theod. M.*). Et quem in finem talia monere iubeatur vates, sequentia declarant v. 3 « *et dices ad eos : haec dicit Dominus exercituum : convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum* » ; — i. e. non conversio ab idololatria iis praecipitur, sed plena ac perfecta ad Deum conversio, ut scil. abiecta omni segnitie et abstersis maculis magno studio se dedant divino obsequio. Uti ex Aggaeo elucet, talis animorum devotio valde desiderabatur. Insuper sane aliqua iis adhaerebant ex moribus babylonicis contracta (*Sanct.*) et quae postmodum sub Esdra reprehenduntur (Esd. 9, 2), forte iam primos advenas inquinaverant (cf. *Cyr.*). Si ergo Deum experiri volunt insignem protectorem qui *totus* sit in suorum curam intentus, ut *toto corde* se ei tradant oportet [1] ; « iubet ergo Dominus, ut vetera deponant, nova meditentur et unum in omnibus intueantur Deum, si modo illum velint habere rerum suarum custodem et curatorem » (*Sanct.*). Neque enim de prima conversione est sermo, sed de perfectiore cultu et studio rerum divinarum, quo maiorem Dei favorem maioraque beneficia acquirant, uti ex Aggaeo facile colligitur. Merito autem is quoque conversionis admonetur, qui segnem ac tepidum se exhibet ; nam « qui *serio* divinos audire sermones non dignatur, adversanti ac dorsa danti persimilis est » (*Theod.*).

Quare serio excitantur, ut verbis Domini promptos animos offerant neve patrum inobedientiam sectentur v. 4 « *ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamabant prophetae priores dicentes : haec dicit Dominus exercituum : convertimini de viis vestris malis et de cogitationibus* [2] *vestris pessimis, et non audierunt neque attenderunt ad me, dicit Dominus* » ; — « hoc clamabat Isaias, hoc Osee, Ioel, Amos, Ieremias, ut vias malas desererent et cogitationes pessimas derelinquerent, quibus et opere et mente peccabant » (*S. Hier.*) ; cf. 4 Reg. 17, 7-23. 2 Par. 36, 15. 16. Advertit *S. Hier.* : « notandum quod in pauculis versiculis brevibusque sententiis semper in Aggaeo et Zacharia addatur dicit Dominus exercituum, ut sciant Dominum esse qui praecipit adversus regis imperium et hostes circumfrementes et hac ad aedificationem templi fiducia concitentur » ; « bellator nominatur et potens, cuius virtuti omnis succumbat potentia

1. Notat Tridentinum : « in sacris literis cum dicitur : *convertimini ad me, et ego convertar ad vos,* libertatis nostrae admonemur ; cum respondemus : *converte nos Domine ad te, et convertemur,* Dei nos gratia praeveniri confitemur » (sess. 6 cp. 5).

2. Hebr. *ab operibus*, sive *kethib* derivaveris ab עלילה vel malueris cum nota *mas.* formam revocare ad מעלל, ita ut praepositio מן sit supplenda. LXX vertunt ἀπὸ τῶν ἐπιτηδευμάτων.

mortalium ; vel certe cum minetur propheta his quibuscum loquebatur gravia incommoda, qualia parentes olim passi fuerant, ut ostendat haec posse inferre Deum contra omnium gentium potentiam atque conatus, Deum appelat exercituum » (*Sanct.*) ; cf. Os. 12, 5.

Ut ad patrum sortem attendant, interrogatione eos excitat v. 5 « *patres vestri ubi sunt* » ? — i. e. ubi sunt, qui inania putabant prophetarum verba; nonne in Babylonia, in aliena terra, quo se venturos non putabant, consumpti sepulcris in alieno solo computrescunt (cf. *Sanct.*)? Et quantum vis et roboris insit verbis divinis, quae certe implentur quamvis saepe post spatium diuturnum iisque qui annuntiaverant iam diu vita functis, sequentibus proponitur : « *et prophetae numquid in sempiternum vivent?* v. 6 *verumtamen verba mea et legitima mea, quae mandavi servis meis prophetis, numquid non comprehenderunt patres vestros et conversi sunt et dixerunt : sicut cogitavit Dominus exercitu-um facere nobis secundum vias nostras et secundum adinventiones nostras, fecit nobis* » ? — diu enim antequam eveniret exsilium, id per prophetas Deus praedixit, atque hac longa mora ante impletionem illusores et contemptores prophetarum usi sunt ad eos irridendos (cf. Is. 5, 19. Ez. 12, 22 : « quod est proverbium istud in terra Israel dicentium : in longum differentur dies »?). Ad tale aliquid videtur interrogatio referri; verbum Dei non caret effectu, neque tamen opus est ut illi qui annuntiaverint effectum videant; mortem obierunt prophetae, at eorum annuntiatio adhuc valet et viget (cf. *Theod. Rib.* secundo loco).

Eius rei evidens exemplum cernunt in patrum historia, qui demum diuturnas illas minas non frustra iactari experti et confessi sunt; « oculos enim quos culpa clausit, poena aperuit » (*Alb.*) ; talem confessionem fecerunt tres iuvenes Babylone (Dan. 3, 27 seq.), fecit nomine omnium Daniel (9, 5 seq.), talem eis praescripsit Baruch (1, 15-2, 10) etc.

Dissentiunt interpretes, utrum veri prophetae an pseudoprophetae sint h. l. intelligendi ; falsos designari volunt *S. Hier. S. Cyr. Alb. Rib. Lap. Tir.* ; veros agnoscunt *Theod. Theod. M. Sanct. Mar. Schegg, Trochon ;* alii utramque explicationem proponunt pro neutra certam dicentes sententiam, v. g. *Sa, Men. Calm.* At veros intelligi prophetas ex eo puto, quia simpliciter sine ullo addito dicuntur prophetae ; si falsi designantur, non sine aliquo vituperio solent nominari vel ita aliis adiungi, ut statim pateat, de quibus sit sermo ; cf. Is. 9, 15 propheta docens mendacium ; 28, 7 sacerdos et propheta nescierunt prae ebrietate ; Ier. 5, 31 prophetabant mendacium ; 8, 10 faciunt mendacium ; 14, 14 falso vaticinantur ; 23, 11 seq. 26, 8 ; 27, 9 seq. Ez. 13, 3 seq. 22, 25. 28. Os. 4, 5 ; 9, 7. 8. Mich. 3, 6. 11. Dein sermo hic ita est conformatus, ut de quibus mentio fiat in v. 5, eorum quoque maior addatur determinatio in v. 6 ; sed in v. 9 certe de veris prophetis est sermo ; ergo etiam in v. 5. Aliqui, uti *Lap.*, urgent

in v. 6 dici servos Dei; non item in v. 5; et proinde v. 5 pseudoprophetas designari. Sed haec ratio rem non probat, cum *prophetae* nomen de se sit satis honorificum et eo loco, quia modo mentio facta est priorum prophetarum, qui patres sint adhortati, de iisdem debet intelligi. Habes enim v. 4 et v. 6 patres et veros prophetas; cur igitur v. 5 intermedio eodem nomine genus toto coelo diversum designari censebimus? Neque una est sententia, cur h. l. dicatur eos non in sempiternum vivere. Censet *Sanct.* deterreri Iudaeos comminatione, defuturos esse prophetas, qui Dei mandata ad eos perferant; iam instare tempus, in quo defutura sit prophetia; quare nunc audiant illos eisque obsequantur; sim. *Calm.* Sed ad futurum prophetarum silentium referri sententia non potest, quia sequitur particula adversativa: *verumtamen* etc.; id quod *Sanct.* bene perspexit; quare particulam vult aut non sumi sensu adversativo, aut eo sensu retento mutandam esse explicationem v. 5 in aliam, scil. licet exstincti sint prophetae. Qui de falsis prophetis explicant, facile irrisionem eorum gravem deprehendunt in locutione: numquid in aeternum victuri erant (cf. *Rib.*). Alii v. 5 ad antecedentia coniungunt: patres et prophetas qui possent testimonium dare, tales admonitiones revera olim fuisse populo intimatas, iam non esse in vivis; sed quorsum hoc dicatur difficile dixeris; nam factum illud adeo apud omnes erat notum et pervulgatum, ut nulla egeret testificatione.

Cum adhortatio haec fiat mox postquam Aggaeus mense septimo vigesima et prima mensis ad templi aedificationem animos excitavit, et antequam mense nono benedictionem futuram temporalem certo promittebat, iuremerito colligimus, eam dirigi inter alia ad opus domus Domini urgendum et ad hanc praecipue obedientiam quam Domino praestare debeant inculcandam; verba autem: « convertimini ad me et convertar ad vos » esse responsionem ad populi querelas de sterilitate ceterisque calamitatibus, quibus afflicti gemebant (cf. Agg. 2, 15 seq.); quarum causam explicat Zacharias eodem modo quo Aggaeus: quia non corde perfecto et volenti opus Dei aggrediuntur. Verum Zacharias *generali* monitione etiam satis clare docet alios quoque socordiae ac negligentiae defectus in populo adesse, praesertim cum eos maiorum suorum exemplo et castigatione deterreat, ne iisdem incedant vestigiis.

Iam incipit explanare, quomodo Deus sese sit conversurus ad populum suum: exhibet scil. sacer vates visiones sibi a Deo oblatas, quibus theocratiae instaurationem et instauratae indolem delineat. Hac visionum narratione declarat, quid Deus facturus sit; quare visiones vati divinitus immissae pignora sunt rerum futurarum et magna populi afflicti consolatio et eruditio; neque minus commodi et utilitatis nobis afferunt: explanant enim partim vaticinia iam data, partim nos docent de modo instaurationis, de eius indole *spirituali*, de officio Messiae. Prophetam autem visionibus doceri, frequens est; cf. Is. 6, 1; 21, 2. Ez. 1, 1; 8, 2; 40, 2. Dan. 7, 2 etc.; est enim unus e modis, quibus Deus res suas cum

prophetis communicare solet : « si quis fuerit inter vos propheta, in visione apparebo ei » (Num. 12, 6) ; vide Am. 7, 1.

PRIMA VISIO : GENTIUM POTESTAS DEIECTA 1, 7-21.

ARG. — Nuntius affertur angelo Domini ab iis qui singulorum populorum curam habent, terram adhuc et nationes quiescere ; quare angelus apud Dominum pro Ierusalem intercedit (1, 7-13) ; cui Dominus optatum in modum respondet : se gentes deiecturum et sanctam civitatem restituturum et bonis abundanter donaturum (1, 14-17). In cuius rei confirmationem statim cernit vates, quomodo quattuor cornua quae ventilaverint populum Dei per totidem fabros sint confringenda (1, 18-21).

a) Nulla adhuc terrae gentiumque commotio 1, 7-13.

Trimestri interiecto post verbum Domini primo ad Zachariam factum secunda vice ei affertur revelatio divina : v. 7 « *In die vigesima et quarta undecimi mensis Sabath in anno secundo Darii, factum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiae filii Addo, prophetam dicens* » ; — cum nulla verba Domini subsequantur, sed visionis narratio : « vidi per noctem », ipsam hanc visionem designat vates ut verbum Domini rebus et symbolis expressum ; « Deus ita rebus, ut verbis loquitur, visio ipsa sive res in visione repraesentatae verba quaedam Dei sunt » (*Rib.*), vel ut *Theod.* haud incongrue advertit : « sive enim sermonem dicit, sive verbum, sive assumptionem (λῆμμα), sive manum [1], divinae gratiae operationem indicat ».

Quare ex modo loquendi docemur, non solum visionem ipsi esse a Deo immissam, sed eius visionis narrationem pariter ad Deum referri ac proinde nos certos esse debere, prophetam in visione narranda nihil addidisse de suo, nihil perperam retulisse, nihil mutasse, in nulla re errasse, verum exposuisse visionem, sicut illam acceperat [2].

V. 8 « *Vidi per noctem, et ecce vir ascendens super equum rufum et ipse stabat inter myrteta quae erant in profundo, et post eum equi rufi, varii et albi ;* v. 9 *et dixi : quid sunt isti, Domine mi ? et dixit ad me angelus qui loquebatur in me : ego ostendam tibi quid sint haec,* v. 10 *et respondit vir qui stabat inter myrteta et dixit : isti sunt quos*

---

1. I. e. facta est super eum manus Domini et sim.

2. Id monere non erit inutile, cum in visionibus sanctis hominibus concessis accidere possit, ut quae viderint, ex memoriae errore vel defectu falso referant.

misit Dominus ut perambulent terram »; — cum somni vel somnii nulla fiat mentio, supponendum erit vigili prophetae, ut iam *Barh.* notat, visionem esse oblatam. Nocte immittitur, vel quia nox aptior est animi recollectioni et visionibus; in ea enim quiescentibus collectisque sensibus phantasia vivacius concipit et intuetur sua phantasmata, praesertim a Deo vel angelo impressa (*Lap.*) et quia ipsa tranquillitas nocturna et caligo aliquid spirare videtur sacri sensusque rebus externis clausi aptiores sunt et attentiores ad eloquium divinum (cf. Ps. 4, 5. Iob 4, 13; 33, 15); vel quod ad symbolicam visionis indolem magis aptum et accommodatum videtur, quia nocturno tempore status ipse Iudaeorum afflictus, aerumnosus, obscurus melius adumbratur (*Sanct. Rib.*); « sed ut noctem dies consequitur, ita hac visione praedicitur illis ventura paulo post consolatio aedificatis urbe et templo » (*Rib.*). Cernitur vel oculis corporis vel interna animi acie *ea* nocte (hebr. adest scil. articulus; cf. LXX τὴν νύκτα), quae scil. diem vigesimum quartum inchoabat, *vir insidens super equum rufum* (hebr.) et stans inter myrtos, quae erant in profunda valle vel ad lacum vel aquam profundam [1], undique myrtis septam. Amant enim myrti loca humida secundum illud Virgilii : « et amantes littora myrtos » (*Rib.*). Post eum cernuntur alii equites vecti equis rufis, variis et albis; ita enim *equos* simul cum equitibus intelligi, omnes interpretes consentiunt et aperte ex v. 10 et 11 colligitur, quo omnes loquentes inducuntur.

Disceptari potest, cuiusnam coloris sint equi שְׂרֻקִּים; vox haec non occurrit nisi Is. 16, 8; sed ibi flagella vitis vel palmites dicuntur. Explicant multi ex arabico et voce cognata *soreq* (Is. 5, 2. Ier. 2, 21 : vitis cum uvis suco rubro et praestanti impletis) de colore rutilo, fusco (cf. *Ges.* Thes. p. 1342. *Fürst* C. p. 1211), de rubedine clara et nitente vel de colore gilvo, qui sit flavo proximus, sed dilutior (cf. *Ros.*). Verum LXX praebent ψαροὶ καὶ ποικίλοι i. e. sturnei; cinerei instar sturni (staargrau, aschgrau) et maculis parvis variegati — sed videtur adesse duplex versio unius vocis, quia *S. Hier.* in sua versione textus graeci quam commentariis inserere solet, tantum *varii* habet. *Syrus* habet *versicolores*, uti *Barh.* quoque vocem explicat : variegatos habentes pilos. *Keil* equos explicat ψαρούς, uti 6, 3 et eundem colorem agnoscit, quem in Apoc. 6, 8 equus χλωρός fert. Sed non est, cur a sententia et versione LXX, *Syri*, *S. Hier.* recedamus, quibus vox ex certa traditione potuit esse nota. Vocem hanc disceptatam *Chald.* vertit קוחין; sed quid voluerit, pariter sub iudice lis est; alii enim

1. מְצֻלָּה alii explicant a צֵל *umbra* vel locum umbrosum vel umbraculum, tabernaculum (cf. *Fürst* L.), sacrum scil. Dei habitaculum; *umbram* etiam LXX et *Syrus* exprimunt; illi praebent montes umbrosos, iste arbores umbriferas; sed cum myrti umbram secum habeant, quid sibi vellet locutio : myrti in loco umbroso? Unde praeplacet cum *S. Hier.* vocem explicare a מְצוּלָה *profundum* cf. Ion. 2, 4. Ps. 107, 24. Iob 41, 43. Zach. 10, 11; quam notionem etiam *Ros. Schegg, Keil* aliique sequuntur. *Aq.* et *Theod.* vertisse βυθός affert *Fürst* C.

vocem chald. explicant de rubore (*Bochartus*); sed *Buxtorfius* in lex. chald. p. 1986 scribit : « balii, spadicei vel varii coloris epitheton equorum pro hebr. Zach. 1, 8, ubi Hebraei dicunt, se ignorare quem colorem ista vox proprie denotet »; *Levy* vero in lex. chald. vocem censet probabiliter ortam ex graeco κυανοχαίτης eique eandem attribuit notionem, censens Zach. 6, 2 in loco parallelo equos *nigros* legi. In tanta explicationum varietate semper tutissimum erit, veteres sequi interpretes praesertim si invenies eos inter se concordes. Sed dices : fortasse ex mera coniectura et graecus interpres posuit et alii eum caece secuti sunt. Bene fortasse dicis; at in aliorum quoque explicationibus non video nisi coniecturas. Neque coniecturam excedit, quod *Trochon* tamquam usui hebraico (?) conforme proponit : c'est bien plutôt cette espèce de gris, dans lequel le noir est mêlé au blanc, que le mot désigne.

Propheta hos cernens quaerit ex angelo quem habet in visione hac comitem et interpretem, quid sunt isti? qui sunt, quali munere funguntur, quid eorum apparitio et praesentia sibi vult? Respondet ei angelus : *faciam te videre* (hebr.) i. e. intelligere et percipere, quid sint. Angelus hic designatur tamquam loquens *in* vate ; ita quoque v. 13. 14 et in visionibus sequentibus v. 19; 2, 3; 4, 1. 4. 5; 5, 5. 10 ; 6, 4; exprimi videtur locutio intime in eius animo facta, quam non percipit quasi extrinsecus ad se advenientem sed in ipsius mente tamquam natam et insitam. Unde ex eo loco aliqui collegerunt, Deum ita quandoque loqui per angelos hominibus, ut nulla appareat corporea species, sed ipsa angeli substantia sit intra hominem, cui loquitur (cf. *Rib.*); immo hominem possideri ac regi per angelum eo modo, quo energumenus a daemone (cf. *Lap.*). Verum hoc gratuito asseritur, quia in textu hebr. eadem loquendi ratio de Deo quoque loquente *in* propheta adhibetur ; uti Num. 12, 6. 8. Os. 1, 2. Hab. 2, 1. Sed certe quamvis *Trochon* aliique id asserant, non est plane idem atque *ad* vatem. Etiam LXX servant ὁ λαλῶν ἐν ἐμοί. Hac promissione interna accepta statim audit vates illum equitem inter myrteta stantem (v. 8) *respondentem* [1] ad quaestionem, quam angelo interpreti proposuerat. Ex angeli promissione, quam statim alterius responsio excipit et adimplet, fortasse discere licet, quam celeriter angelus angelo suos communicet conceptus. Nam equitem illum etiam angelum fuisse, concors est interpretum sententia et plerique ei opinioni libentissime subscribunt, quam Hebraeos amplecti *S. Hier.* commemorat, esse scil. eum Michaelem (ita quoque *Theod. Barh.*), tutorem ac protectorem populi Dei.

Is igitur equites alios nuntios esse Domini et legatos declarat, qui missi fuerint ad terram perlustrandam, ut de statu eius et conditione referant (cf. Iob 1, 7; 2, 2). Et statim isti munere isto fungi perhibentur v. 11 « et-

---

1. Unde vox in propria sua notione retineri potest contra plerosque latinos interpretes et *Schegg*.

responderunt angelo Domini, qui stabat inter myrteta et dixerunt: perambulavimus terram, et ecce omnis terra habitatur ac quiescit »; — rationem reddunt nuntii isti angelo Domini quasi eorum domino ac superiori. Iste angelus certe talis est, cui populi israelitici cura est commissa (*S. Cyr. Theod. M.*), quia statim pro huius populi salute studiose Dominum interpellat (v. 12). Plerique interpretes eum censent eundem qui modo vir insidens super equum rufum nominatus est i. e. Michael (cf. *S. Hier. Theod. Haimo, Alb. Rib. Sanct. Lap. Tir. Gord. Calm. Schegg*), cui, ut praesidi synagogae (*Alb.*) intercessio pro populo et cura optime congruit, et qui eodem modo ac *vir* v. 8 designatur stans inter myrteta.

Eum tamen alium esse volunt a viro v. 8 *Keil* et *Trochon*. Ille urget, virum describi tamquam primum equitum, *post* quem alii adsint, qui igitur omnes uno ordine et eadem serie dispositi alicui superiori, qui e regione eorum stet, nuntium afferant ; *Trochon* vero eum propterea distinguit, quia in angelo Domini ipsum cernit Verbum divinum apparens. Verum hoc non obstat, dummodo rite percipiatur modus quo Verbum apparuit in vetere testamento. Neque enim ipsum *per se* apparuit, sed apparuit vero aliquo angelo intermediante, i. e. is qui apparuit angelus erat, sed qui nomine et auctoritate Dei loquebatur et agebat. Ita concors est theologorum doctrina duce S. Thoma (cf. *Suarez*, de angelis 6, 22) et quicumque ex patribus de *modo* apparitionis loquuntur, Deum per angelum vel in angelo dicunt apparuisse ; de qua re vide Katholik 1882, II p. 149-169 et meam explanationem ad Is. 63, 9 (in libro : Erklaerung des Propheten Isaias).

Neque ullo modo repugnat, quod alii exhibentur *post* angelum stantem ; potest enim v. 8 ex ratione visionis ita intelligi, ut vati prius sit oblata visio viri sedentis super equum rufum et *post* ipsum i. e. deinde postquam ipsum vidit, etiam alii equites apparuerint ; *post* igitur, אחר non de loco, sed de tempore, uti saepissime accipi debet, etiam hic accipi potest. Accedit quod angelus iste eodem modo stans inter myrteta exhibetur, sicuti designatur vir v. 8, neque ullum adest vestigium, novam speciem obiici prophetae. Vel rem ita concipe : omnes stant una serie dispositi, ut vati rationem reddant itinerum suorum ; exorsus est *vir* v. 10 ; eum loquentem excipiunt alia responsione pleniore reliqui ; non proprie ipsi respondent, qui quaestionem nullam posuerat, sed *cum eo* rationem reddunt missionis suae. Unde nil obstat quin virum et angelum Domini unum eundemque dicamus cum plerisque interpretibus.

Respondent pacata esse omnia, nihil adesse indicii commotionis illius, qua terra omnesque gentes sint commovendae ; cf. Agg. 2, 7. Quare angelus, populi comes ac tutor — *S. Cyr.* eiusdem angeli munus designari vult, qui populum Dei contra impetum Pharaonis tuitus erat Ex. 14, 19 — Dei misericordiam implorat, ut moris abruptis populi sui exsistat auxiliator ac sospitator ; v. 12 « *et respondit angelus Domini et*

dixit : Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Ierusalem et urbium Iuda, quibus iratus es ? iste iam septuagesimus annus est » ; — ex vaticiniis enim antecedentibus praesertim ex oraculo Aggaei constat, salutem messianicam vel theocratiae plenam instaurationem iri coniunctum cum magna quadam gentium regnorumque commotione, regna iri deiectum, gentes iudiciis divinis iri perculsum ; cum igitur omnia adhuc sint quieta, Deus populo suo nondum videtur salutis suae fontes aperire. Quare angelus exclamat : *usquequo* etc. desiderans, ut mora abrumpatur, ut omnia impedimenta removeantur, ut demum urbs sancta et regio Iudaeorum deserta a reducibus novo cultu novoque splendore exornetur. Iam enim volvitur annus septuagesimus, ex quo urbe et templo destructis tristes ruinae iram Dei in populum foedifragum omnibus palam denuntiant (i. e. ab anno 588 - 519 vel 518) ; post annos autem septuaginta restitutionem fore certa spe ex Ieremiae vaticiniis omnes exspectant. Semel iam terminus iste annorum septuaginta erat expletus, quo facto statim sub Cyro redeundi venia est concessa et exsilium solutum (cf. 2 Par. 36, 22. Esd. 1, 1. Dan. 9, 2) ; fluxit enim prior terminus captivitatis populi et servitutis sub iugo Chaldaeorum, uti Ieremias clare indicat (25, 1 - 13),a primo anno Nabuchodonosoris i. e. a prima urbis expugnatione ab ipso facta et a prima multorum abductione (cf. 4 Reg. 24, 1 - 4. 2 Par. 36, 6. 7. Dan. 1, 1 - 4) i. e. ab anno 606 et expletus est anno 536 ; in ultima urbis expugnatione demum templum quoque ruinis concidit ; quare a plena vastatione alter annorum septuaginta terminus computari poterat (cf. *Theod. Rib. Sanct. Lap. Calm.*).

Quare interpellator angelus vel ex prophetae piorumque Iudaeorum mente vel ex proprio desiderio terminum hunc adesse Deo proponit, quo eum moveat ad sanandas urbis regionisque ruinas. Sicut enim angelis docente Paulo in novo foedere per ea, quae in Ecclesia Deo disponente fiunt, innotescit multiformis sapientia Dei (Eph. 3, 10), ita in veteri quoque revelationis et divinae miserationis consilium atque cursum sollicita pro piis cura considerasse [1] censendi sunt, et cum sine speciali Dei revelatione rerum futurarum et divinae de salute dispositionis sint ignari, facile concipitur, cur tali modo apud Dominum preces fundant implorantes, ut omnem abrumpat moram, et rationem suggerentes, cur

---

1. Apposite enim adnotat *Estius* : « habemus hic clarum et irrefragabile Scripturae testimonium, quo ostenditur sanctos angelos intercedere pro hominibus apud Deum ac divinam iram deprecari et misericordiam flagitare. Testimonium, inquam, ita clarum, ut mirum sit, qua fronte illud haeretici obscurare conentur. Quodsi sancti angeli interpellant pro nobis, ergo multo magis sanctorum hominum defunctorum animae quae cum Christo regnant, pro fratribus suis hic adhuc in terra militantibus Dei misericordiam interpellabunt ; multa enim maior est naturae societas hominibus inter se, quam inter homines et angelos ».

miserationem accelerari iubeat. Neque frustra fit intercessio; v. 13 « *et respondit Dominus angelo qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria* »; — intercessionem illam quam audit vates fieri ab angelo, ipsi magnae consolationi propter interpellatoris dignitatem et curam fuisse, satis perspicitur; illam etiam factam esse ex mente vel forte nomine prophetae, ex eo licet coniicere, quia responsio Domini fertur ad angelum interpretem et comitem [1] prophetae. Responsio est bonorum augurium; « verba bona de futurorum promissione, consolatoria de praesentium necessitate » (*S. Hier.*). Qualia fuerint haec verba, statim in subsequentibus declaratur v. 14 - 17.

Verum antequam pergamus, ipsa ratio et conformatio visionis distinctius est indaganda. Neque enim Deum frustra vel sine certo consilio talia symbola menti prophetae exhibuisse aliquis affirmare ausus fuerit; sed Deus rebus et imaginibus loquitur et temporum hominumque conditionem eiusmodi involucris vestitam menti prophetarum repraesentare solet.

Virum sedentem equo rufo angelum esse qui tali specie oculis prophetae sese obviam fert, fere omnes consentiunt et ex v. 10 non obscure colligitur. Etiam alios equites angelos exhibere, consequens videtur ad hanc acceptionem et revera plerique interpretes in iis agnoscunt angelos singulis provinciis vel regnis et populis praesidentes, vel, ut alii loquuntur, angelos provinciales (cf. *S. Hier. Theod. M. Alb. Rib. Sanct. Vat. Lap. Sa, Mar. Men. Tir. Gord.*), quales regionibus praeesse in Danielis prophetia aperte docetur (Dan. 10, 12. 13. 20. 21). Angelis quoque convenit mitti a Domino ad ministerium eorum, qui hereditatem capiunt salutis; angelorum quoque est sollicitam gerere curam eorum qui ipsis commissi sunt, uti ex locis allegatis apud Dan. constat. Equis insidentes apparent, in apparatu scil. habituque nuntiorum. In equis cernitur celeritas, promptitudo angelorum (*Theod. M. Barh. Rib. Sanct. Lap.*).

Varietas autem colorum apte adumbrare videtur variam populorum regnorumque eis commissorum indolem, propensionem, habitudinem (*Rib. Sanct. Lap. Men. Tir.*); nam ut notat *S. Cyr.* : « aenigma colorum de differentia cuiusque voluntatis et sententiae interpretari quispiam commodissime poterit »; aliis (*Sa, Mar.*) praeplacet varia designari angelorum munia. Color rufus ad indignationem versus hostes, ad belli peritiam, ad vindictam facile accommodatur (cf. *Theod. Theod. M. Barh. Rib. Lap.*); color albus ad pacem, prosperitatem, laetam spem,

---

1. Ex veteribus hunc angelum eundem esse censuerunt *Theod. Theod. M.* cum viro sedente in equo rufo, idque variis rationibus persuadere conantur. Pauci in hanc sententiam concesserunt. Atque certe ex modo loquendi in v. 9 et 10 duo illi clare distinguuntur.

benignitatem, indolem amicam et placidam ; color varius ad varios impetus, motus animorum inquietos, inconstantes vel ad varia calamitatum genera designanda assumi poterit. Ita ipsa externa angelorum species variam ac multiplicem gentium regnorumque formam et indolem effert, cum qua muneris eorum exercitium intime videtur esse consertum et connexum, ita ut duae hae acceptiones ad unam redigi possint. Neque significatione carere censendum erit, quod stare perhibetur primus angelus inter myrtos in profundo. Qui cum sit angelus tutelaris populi Dei vel theocratiae (cf. v. 11. 12), myrti in profunda valle conditionem theocratiae qualis eo tempore fuerit, exhibere videntur; stat in profundo ad statum calamitosum et aerumnosum atque depressum designandum (cf. *Rib. Sanct. Lap. Calm. Keil*) ; stat inter myrtos, arborum genus odoriferum ac viride et hortorum decus et ornamentum, quare iam ab Isaia ad theocratiae instauratae amoenitatem et gratiam adumbrandam adhibitum (Is. 41, 19 ; 55, 13). Quare myrti theocratiam Deo gratam designant, quae suavem suum odorem per terram transfundit, viriditatis amoenitate et decore suo terram illustrat; a qua acceptione non absunt, qui viros bonos ac sanctos myrtis designari volunt (cf. *Rib. Sanct. Lap.*) [1], « redolentia devotionis in oratione et virore virtutis in opere » (*Alb.*) praeclaros. Myrtum *Theod.* ad consolationem Iudaeis futuram refert ; nam « est planta odorata babens vim morbos calidos refrigerandi (τὰ θέρμα τῶν παθῶν καταψύχειν) ». Cum angeli tutelares provinciarum et regionum ex omni terrae parte ad angelum synagogae conveniant (v. 11), optime eo symbolo declaratur, omnia regna omnesque eventus ad theocratiam i. e. ad regnum Dei inter homines collocatum referri ac dirigi a divina providentia, in una theocratia cardinem verti ac centrum adesse omnium. Sicuti symbolo montis Domini elevati super omnes colles ad quem omnes populi confluunt (cf. Mich. 4, 1. Is. 2, 2), ita hoc nuntiorum conventu theocratiae dignitas, excellentia, propter quam reliqua fiant in mundi administratione, egregie delineata cernitur.

Equos vel equites varia regna designare, iam erat Hebraeorum traditio, quam refert *S. Hier.* : « *albi* Medos Persasque significant, quia sub ipsis dimissa est captivitas ; *varii* Macedonas, quorum nonnulli amici, alii persecutores fuerunt; *rufi* vero regnum Romanorum cruentum et sanguinarium ». Praeter eam etiam alterius traditionis mentionem facit, qua *rufi* Assyrios et Chaldaeos exhibeant sanguinarios, qui populum captivum duxerint, *varii* autem et *albi* Medos et Persas, quorum alii clementes fuerint, ut Cyrus, Darius, Assuerus (Artaxerxes),

1. Ita iam, ut *S. Hier.* refert, « Hebraei myrtos intelligi volunt prophetas et sanctos, qui in medio captivi populi versabantur et erant in profundo » ; unde *Chald.* habet : inter arbores myrtinas quae sunt in Babel.

alii crudeles, ut Cambyses. Reges quoque et gentes belli cupidas significari censet *S. Cyr.*, « quae per totum orbem velut dispersae omnes provincias et regna sub sole in suam redigere ditionem connitantur, quales fuerunt Phul, Salmanassar, Sennacherib, Nabuchodonosor ». Aliis tamen iuremerito praeplacet, non intelligi regna praeterita vel futura, sed angelos tutelares variarum gentium et provinciarum tempore visionis concessae (cf. *Rib. Sanct. Lap. Men.*) et coloribus designari vel regnorum statum sanguinarium, pacificum, mutabilem vel gentium adversus Iudaeos indolem inimicam, amicam, mutabilem. Cum in Apocalypsi qui varias plagas infligunt sedere perhibeantur super equum album, rufum, nigrum, pallidum, aliis visum est angelos interpretari vindices et ultores, qui similibus plagis homines visitent (cf. *Keil*). At hic de tali angelorum munere non est sermo et cum reduces nuntient de conditione terrae tranquilla, nulla apparet ratio, cur in visione tamquam ultores et auctores calamitatum repraesententur. Reliqua vide ad Zach. 6, 2 seq.

Nexum inter v. 11 et 12 plerique aliter adstruunt : omnibus scil. pace fruentibus angelum tutelarem aegre ferre, quod suus populus in aerumnis adhuc versaretur varieque turbaretur (cf. *S. Hier. Theod. Theod. M. Alb. Lap. Schegg*) ; at vix pax illa et prosperitas unquam in terra aderat, neque sufficit dicere cum *Sanct.* occasionem sumptam esse ex pace et tranquillitate, quae propediem futura speraretur, vel tali pace significari terram fuisse pacatam in Iudaeos eisque amicam ; carent enim hae explicationes solido fundamento, quod vel ex rerum gestarum historia vel ex sacris literis aliisque prophetiis adesse demonstretur.

Quare id quod Aggaeus significat de terrae gentiumque commotione et salute futura, optime inservit ad nexum hunc declarandum. Ita simul haec visio docet, commotionem illam proximo tempore iam non esse exspectandam, et altero hoc vaticinio propheticum illud « adhuc unum modicum » ad longius temporis spatium referri demonstratur.

b) Verba bona et consolatoria 1, 14-17.

Verba bona et consolatoria quae Deus cum angelo communicaverat, hic vati aperit sane ipse gavisus et « ex ingenti laetitia exclamare prophetam iubet et a Deo dicta cum omnibus communicare » (*Cyr.*) ; v. 14 « *Et dixit ad me angelus qui loquebatur in me : clama dicens : haec dicit Dominus exercituum : zelatus sum Ierusalem et Sion zelo magno* » ; — zelus est vehemens quidam amor cum indignatione contra obstacula coniunctus ; cf. Ioel 2, 8. Iam in solutione exsilii Deus amorem revera exhibere incepit ; nunc vero maximum spondet se habere studium pro Ierusalem i. e. pro populo et urbe et pro Sion i. e. pro templo. Proinde vetera vaticinia de salute et gloria theocratiae omnino valere asserit et se magno fervore et potentia invicta illa in opus deducturum. Quando Deus zelo suo aliquid se peracturum vovet, promissionem ait iri impletum

absolute i. e. non habita ratione conditionum, quas quandoque ut minae et promissiones compleantur tacite intelligi et supponi vult (cf. Ier. 18, 7-10). Ut olim de regno pacis sempiterno in domo David confirmando ac corroborando dixit : « zelus Domini exercituum faciet hoc » (Is. 9, 7), ita nunc suum zelum quasi pignus exhibens theocratiae instaurationem certissimo argumento comprobat. Zelus pro populo necessario dicit magnam indignationem adversus eos qui dilecto obsistunt; quare sua quasi sponte fluit v. 15 « *et ira magna ego irascor super gentes opulentas, quia ego iratus sum parum, ipsi vero adiuverunt in malum* » ; — *super gentes securas* hebr. i. e. quae opibus suis innixae suarum virium fiducia superbe efferuntur et se posse deiici a nullo confidunt, quae superba securitas optime illustratur verbis illis Babylonis : « ego sum et non est praeter me amplius » (Is. 47, 8. 10). Ea elatione superba etiam factum est, ut in oppressione populi iudaici iustos excederent limites; id quod Deus iam Assyriis exprobravit : « ipse autem non sic arbitrabitur et cor eius non ita existimat, sed ad conterendum erit cor eius et ad internecionem gentium non paucarum » (Is. 10, 7), et Babyloniis : « dedi eos in manu tua; non posuisti eis misericordias; super senem aggravasti iugum tuum valde » (Is. 47, 6; cf. 52, 4, 5). Bene rem proponit *S. Hier.* : « ipse tradidit eos (Iudaeos) ad corripiendum, illae vero saevierunt in traditos; hic ut filium a paedagogo voluit emendari, illae ut hostem interficere et punire conatae sunt ».

Deus igitur fidelis et misericors pro suo zelo auferet opprobrium et miseriam populi sui; v. 16 « *propterea haec dicit Dominus : revertar ad Ierusalem in misericordiis et domus mea aedificabitur in ea, ait Dominus exercituum, et perpendiculum extendetur super Ierusalem* » ; — mplebit quod supra promisit : convertar ad vos (v. 3); benignum suum amorem et viscera amoris (cf. hebr.) exhibebit suis. Prima favoris divini pignora erunt templi restitutio urbisque aedificatio; in templo enim et urbe vertitur theocratiae veteris cardo, iis alligata inveniuntur pleraque vaticinia, ergo illorum instauratio signum erat et praeambulum instaurationis theocratiae. Aedificatio extensione perpendiculi designatur i. e. funiculi secundum mensuras et ordines singulorum in ea tendendi (*S. Hier.*).

Haec quidem beneficia promittit pro proximo tempore. Ea excipientur aliis maioribus; quare v. 17 « *adhuc clama dicens : haec dicit Dominus exercituum : adhuc affluent civitates meae bonis et consolabitur adhuc Dominus Sion et eliget adhuc Ierusalem* » ; — ab urbe principali benedictio diffundetur in regionem universam, quam tenero affectu *suam* vocat; amorem quoque spirat promissio consolationis Sion, qua antiquas calamitates liberaliter compensat; electio olim facta, qua cor et oculos

suos posuit in Ierusalem, firma manet et stabilis. Etsi igitur tempus *gloriosae* instaurationis universaeque salutis secundum arcanum divinae providentiae consilium nondum proxime instet, iam magno solatio piis et fidelibus esse debet, quod antiquae promissiones renovantur, quod Deus patrum iniquitatibus populique socordia ac tepiditate offensus nihilominus benignus stat ac misericors promissis olim datis. Aequalibus autem vatis idem proponitur quod sanctis quoque patriarchis : « iuxta fidem defuncti sunt omnes non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes et salutantes et confitentes, quia peregrini et hospites sunt super terram » (Hebr. 11, 13).

c) Impetus hostiles compescentur 1, 18-21.

Atque verba bona et consolatoria statim etiam visione comprobantur, ut vates « non solum verbo quae futura sunt doceatur, sed cum eventura etiam viderit, subtiliter et perfecte quae significantur intelligat » (*Cyr.*). Duo enim ex verbis innotuerant : iudaici populi offensores puniendos esse et urbem iri restitutum ; « iam ad utriusque rei confirmationem duas alias posthinc exponit revelationes, quas cum ipse vidisset, firmam circa res dictas fidem retinebat et populo universo ut idem existimaret suadebat. Priorem quidem de adversariorum punitione recitat, quam etiam in superiore revelatione primam posuerat » ; ita bene nexum proponit *Theod. M.*; ex duobus enim, quae zelus Domini complectitur, prius (cf. v. 15) declaratur ; v. 18 « *Et levavi oculos meos et vidi, et ecce quattuor cornua;* v. 19 *et dixi ad angelum qui loquebatur in me : quid sunt haec? et dixit ad me : haec sunt cornua quae ventilaverunt Iudam et Israel et Ierusalem* » ; — *cornu* designari potentiam, fortitudinem, frequens est in s. Scriptura (cf. Ps. 43, 6 ; 74, 5. 6. 11 ; 88, 18. Am. 6, 14 etc.) atque etiam actionibus symbolicis cornua aptantur, uti v. g. 3 Reg. 22, 11 : « fecit sibi Sedecias cornua ferrea et ait : haec dicit Dominus : his ventilabis Syriam, donec deleas eam » cf. Ez. 32, 2 ; 34, 21. Sollemne est symbolum istud apud Danielem (7, 7-24 ; 8, 3-21), quo reges inimici designantur. Hebr. *quae disperserunt Iudam...* Cum de *quattuor* sit sermo *cornibus*, sponte sua ea tangi videntur, quae Daniel de quattuor bestiis (cp. 7) habet et de ariete et hirco qui cornibus ventilabant gentes (cp. 8), nec non quae de quattuor regnis [1] effert, quae regnum messianicum comminuet atque consumet (cp. 2). Posteriores enim prophetas saepe vestigiis priorum insistere, adverti potest frequenter.

---

1. *Chald.* statim offert quattuor regna esse vati ostensa, cornu igitur regnum interpretans.

Quare a vero vix aberrabimus, si cum *S. Hier.* dicemus : « quattuor cornua quae ventilaverunt et disperserunt Iudam et Israel et Ierusalem, quattuor gentes esse, Babylonios, Medos et Persas, Macedonas et Romanos et nunc Dominus a propheta interrogatus exponit et Daniel plenissime explicat ». Ea vero est ratio visionis, ut quae tempore disiuncta sint simul exhibeantur ; quare non mirum est hostes theocratiae proponi uno schemate, quamvis alii iam exsistere desierint, alii nondum adsint. Unde pro indole visionis fortasse non de certis ac definitis populis erit cogitandum — nam praeter eos quos *S. Hier.* recenset, etiam Aegyptii, Assyrii, Phoenices, Syri, Philistiim, Idumaei etc. hostes exstiterunt theocratiae Iudaeosque disperserunt (cf. Ioel 3, 6. Am. 1, 6. 9) — sed generatim regna erunt intelligenda, quae a quattuor mundi plagis variis temporibus afflixerunt populum Dei ; atque haec est explicatio a longe maiore parte interpretum proposita (cf. *Theod. Theod. M. Rib. Sanct. Lap. Mar. Men. Tir. Gord. Trochon*). Enumeratione « Iudam et Israel et Ierusalem » omnes omnino hostes designari videntur, qui unquam vel unam alteramve partem populi vel regni sedem et regiam familiam aggressi sunt (cf. *Alb.*).

Si visionis ratio *universalis* spectatur, fortasse interpretatio secundo loco proposita erit praeferenda. Eam, ut dixi, plerique tuentur, qui simul contra explanationem a *S. Hier.* datam monere solent : visionem spectare tempus praeteritum, non futurum; Persas fuisse Iudaeis benevolos, Israelem non potuisse affligi a Persis, Graecis et Romanis, utpote iam ab Assyriis abductum ; fabros venire, ne ultra isti populi affligant Iudaeos et ut Iudaeis sit consolatio, ergo non posse intelligi hostes qui exstaturi sint in posterum (cf. *Rib. Sanct. Lap.*). At ista rem tamen non evincunt. Nam non opus est, visionem tam arctis includere limitibus, ut solum tempus Zachariae spectet, sed magis ad visiones propheticas accommodatum et consentaneum videtur, ut veritas quaedam universalis symbolo repraesentur, scil. theocratiam impugnari a regnis gentium ; hanc esse sortem eius ; at Deum demum omnes inimicos prostraturum. Ii vero qui quam maxime hanc pugnam susceperunt, sunt quattuor illa regna, de quibus Daniel loquitur. Et quantopere consuetum sit in visione ea simul videre coniuncta quae et tempore et loco dissita sunt, disce ex ipso nostro vate (6, 2) qui cernit quattuor quadrigas simul egredientes, disce ex modo loquendi apud Danielem : « in diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur » (Dan. 2, 44), disce ex *una* illa statua qua quattuor regna inter se succedentia repraesentantur ita, ut tamen quasi simul exsistentia et corruentia exhibeantur (Dan. 2, 31-43).

Ceterum neque ii qui certa ac definita regna agnoscunt, inter se con-

sentiunt. Explanationem a *S. Hier.* propositam sequuntur *Haimo* et *Rup.*; quattuor reges : Phul, Salmanassar, Sennacherib, Nabuchodonosor agnoscit *S. Cyr.*; eosdem interpretatur *Barh.* solum pro Phul nominans Theglathphalasar; Assyrios, Chaldaeos, Medos, Persas *Alb.* proponit, at *Calm.* Assyrios, Chaldaeos, Persas, Aegyptios.

Verum — et haec est solida consolatio piis data — quotquot hostes exsurgunt, omnes demum divina potentia conterentur; nam suus cuique a Deo providetur victor et expugnator; de ea re per symbolum conveniens edocetur vates : v. 20 « *et ostendit mihi Dominus quattuor fabros;* v. 21 *et dixi : quid isti veniunt facere? qui ait dicens : haec sunt cornua quae ventilaverunt Iudam per singulos viros et nemo eorum levavit caput suum; et venerunt isti deterrere ea, ut deiiciant cornua gentium, quae levaverunt cornu super terram Iuda, ut dispergerent eam* »; — hebr. *quae disperserunt Iudam ita* (secundum mensuram), *ut nemo levaret caput* i. e. Iudam afflixerunt eum in modum, ut prae gravitate malorum et pondere penitus prosterneretur. Sed ad quattuor cornua confringenda Deus excitat totidem fabros, qui *ferrea* cornua conterant; cf. Is. 54, 15. 16 : « ego creavi fabrum... et ego creavi interfectorem ad disperdendum; omne vas quod fictum est contra te, non dirigetur ». Fabri isti, Domini instrumenta, potestatem hostilem primo terrore coercebunt, dein plane deiicient et superabunt. Cum emphasi repetitur in fine causa interitus, quia potentia sua hostes abusi sunt et theocratiae sacrilegas manus intulerunt, ut eam dissiparent et destruerent, ideo funditus eradicabuntur et quo magis sese superbe extulerunt, eo magis cum ignominia humiliabuntur. Ad symboli rationem fabri apparent, per quos ii designantur, quibus tamquam instrumentis Deus utitur ad potestatem mundanam deiiciendam; vel veritas illa : *non praevalebunt*, modo visioni apto exprimitur.

Non liquet, utrum in iis cum plerisque angeli sint agnoscendi (cf. *Hier. Theod. Theod. M. Barh. Sanct. Lap. Tir. Mar.*), necne; homines quos Deus ad talem vindictam capiendam elegerit, uti Cyrum, Machabaeos aliosque *Alb.* interpretatur [1]. Unum certum est idque rei caput et summam continet : theocratiam invictam omnium hostium interitui fore superstitem (cf. *Trochon*).

LXX formam *hiph.* verbi חדד *acuere* legisse et ידות ut pluralem a יד *manus* [2]

1. Alii alia proponunt : *Calm.* intelligit Nabopalassarum qui regnum Assyriorum evertit, Cyrum qui chaldaicum, Alexandrum qui persicum, Ptolemaeum qui Aegyptum usurpaverit. Varias sententias relatas invenies apud *Calm. Trochon.*

2. Quae pluralis numeri forma de manibus artefactis et de rebus adhibetur, quae manuum

explicasse censendi sunt; vertunt enim τοῦ ὀξῦναι αὐτὰ εἰς χεῖρας αὐτῶν i. e. uti graeci explicant : acuuntur quidem cornua, non tamen contra Israel, sed contra semetipsa, ut poenas inter se mutuo darent eorum quibus Israel offendissent ; ita *S. Cyr.* et *Theod.* ; at *Theod. M.* verbum ὀξῦναι explicat per ἐκλεπτῦναι αὐτὰ καὶ πάντα τὸν ὄγκον ἀφελεῖν i. e. vires attenuare prorsus et auferre.

Haec visio de quattuor cornibus fabrisque intime cohaeret cum visione equitum, qui nuntium afferunt terram habitari et quiescere. Nam ostendit, hostes etsi nunc secure degant, tamen certissime iri deiectum ; ergo quod in priore parte visionis aderat triste, id altera hac parte victoria demonstrata et laeta spe exhibita quam maxime emollitur. Praeterea intime refertur ad v. 15 ; quare divisio capitum, uti est in LXX et *vulg.* hoc loco prorsus est ad rem.

Capite secundo iam parti, ut ita dicam, negativae additur positiva de instauratione Ierusalem et theocratiae gloriosa.

ALTERA VISIO : INSTAURATIO URBIS GLORIOSA 2, 1-13.

ARG. — Symbolum urbis aedificandae proponitur ; civitas nova multitudine incolarum abundabit ; Dominus ipse erit eius munimen et gloria (2, 1-5). Quare omnes qui adhuc Babylone versantur, ut redeant invitantur : Dominus teneram iis exhibebit curam, vindictam hostibus ; exinde erit laetitia et gloria Sionis, ad quam gentes affluent, quam Dominus diligit (2, 6-13). — Hac scil. adhortatione simul ostendit propheta, quomodo quae in visione acceperit, etiam ad usum et institutionem suorum deduxerit.

a) Urbis magnitudo et custodia 2, 1-5.

Iam altera hac visione ea confirmantur, quae Dominus zelator de urbis aedificandae ratione supra promiserat (1, 16). Et quia urbis reaedificatio est inchoata theocratiae instauratio, in ipsa visione symbolica magis ipsam respicit theocratiam, quam urbem quae sit theocratiae instaurandae pignus.

Cernit igitur omnia iam parari ad urbem aedificandam v. 1 « *Et levavi oculos meos et vidi : et ecce vir et in manu eius funiculus mensorum* » ; — angelum visum esse a propheta viri specie, fere omnes censent ;

---

speciem referunt, et quando de partibus est sermo ; cf. *Ges.* Thes. p. 567. 568. — Hebr. יַדּוֹת explica inf. piel a יָדָה proiicere. Ceterum *Syrus* et *Chald.* textum hebr. fideliter exprimunt.

quis autem angelus putandus sit, incertum est; Michaelem alii esse volunt (*Alb. Lap.*), alii angelum Domini qui vocari solet eundemque qui Ez. 40, 3 mensurae funiculo instructus apparet (cf. *S. Hier.*). Certe conveniens omnino est, quod etiam habet Hebraeorum traditio apud *S. Hier.*, ut angelus theocratiae tutelaris, Michael, de urbis instauratione sollicitus et ad ipsum opus aggrediendum iam succinctus et paratus cernatur. Symboli rationem exquirit vates : v. 2 « *et dixi : quo tu vadis? et dixit ad me : ut metiar Ierusalem et videam, quanta sit latitudo eius et quanta longitudo eius* » ; — i. e. uti plerique explicant, quanto ambitu urbs sit aedificanda ; quantam habere debeat longitudinem et latitudinem. Si architectus iam in eo est, ut metiatur longitudinem et latitudinem areae, ut mensura utatur ad variarum partium symmetriam habendam, ipsum aedificationis opus instat quam proxime. Quare haec visio prophetam certiorem reddit de urbis instauratione mox futura.

Verum ut ei praeter hanc cognitionem alia eaque sublimior communicetur, angelum suum interpretem cernit sollicitum ; v. 3 « *et ecce angelus qui loquebatur in me egrediebatur, et angelus alius egrediebatur in occursum eius* » ; — i. e. angelus interpres qui iuxta vatem constiterat vel in eius quasi animo et mente habitaverat, egreditur, ut novam revelationem ab altiore angelo accipiat (cf. *Rib.*), statimque alium angelum, quem multi Gabrielem esse volunt (cf. apud *S. Hier. Alb. Lap.*) obvium habet, qui optatum affert nuntium : v. 4 « *et dixit ad eum : curre, loquere ad puerum istum dicens : absque muro habitabitur Ierusalem prae multitudine hominum et iumentorum in medio eius* » ; — cum angeli verba fiant ad angelum interpretem prophetae, dubium esse non potest, quin ea non priori angelo qui habet funiculum mensorium dicantur (uti volunt *Theod. Theod. M. Schegg, Trochon*), sed interpreti, ut ea perferat ad suum clientem, scil. ad prophetam. Si ad virum cum fune mensorio referrentur, iste admoneretur, ne scil. laborem in se susciperet inutilem id metiendi quod esse debebit sine limite (ita *Trochon*). At dubito, num pro visione satis aptum sit angelum doceri, ut a labore inutili desistat. Ergo si ad angelum verba diriguntur, id enuntiare debent, ut urbis aedificandae mensuram quam latissimam definiat. Sed ne hoc quidem placet. Nam si angelus adstat ad opus aliquod perficiendum, conveniens est, ut iam sciat, quid et quale opus sit aggrediendum, ne quasi in incertum laborare videatur. Unde quod ipsa verba ad angelum interpretem dicta indicant, erit cum plerisque interpretibus (*S. Hier. Rup. Alb. Rib. Sanct. Lap.* etc.) retinendum : doceri scil. prophetam et nuntium ad ipsum perferri. Dicitur *puer* נַעַר, quae vox ad clientem, ministrum, servum designandum saepe adhibetur :

ergo dic ad clientem, discipulum tuum (*Lap. Tir.*), ad eum [1], qui minister est et servus Dei ad Dei mandata populo perferenda (*Sanct.*). Statim enim propheta est docendus, ut in parvis restaurationis initiis ad culmen et fastigium oculos et mentem dirigat, proinde intelligat, ad quem tandem exitum et finem natura sua ex divinae providentiae ordine haec theocratiae instauratio tendat; quare ingens ei offertur multitudo incolarum urbis Dei et huius sine limite amplitudo: *absque muro* [2] i. e. nullus murorum circuitus eos capere potest; non sunt muri ponendi, ne urbs ad certum quoddam spatium definiri ac restringi videatur; urbs non est coarctanda, ei enim iam ab Isaia dictum est: « dilata locum tentorii tui, ne parcas, longos fac funiculos tuos; ad dexteram enim et ad sinistram penetrabis » (Is. 54, 2. 3; cf. 49, 18 seq. 60, 4. Ier. 31, 27. Ez. 36, 10. 11. 37. Os. 1, 10 etc.).

Sed immensa haec civitas, quamvis aperta iaceat quasi in planis regionibus et nullo vallo septa, habet quo firmissime custodiatur ab hostili expugnatione plane tuta v. 5 « *et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu et in gloria ero in medio eius* »; — « quis ibi hostem timebit, quis de inimico sollicitus erit » (*Rup.*)? « nec se murum lapideum aut etiam aeneum futurum pollicetur, sed igneum qui longe terreat hostes nec accedere ullo modo sinat; nam quemadmodum pyra ingens transsiliri nequit, sic non vinci potest, qui gratia Dei custoditur » (*Rib.*). Deus ignis est consumens (Deut. 4, 24); hac metaphora zeli eius vis et efficacia in inimicos declaratur; uti dicitur: « sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei » (Ps. 67, 3). Invictam fore theocratiam, insigni promissione declaratur, neque minus innuitur, quam male cessurum sit omnibus, qui vi sacrilega eam impetere ausi fuerint. Sed ut olim in egressu ex Aegypto columna nubis, symbolum praesentiae divinae, inimica erat et perniciem afferens Aegyptiis — « ecce respiciens Dominus super castra Aegyptiorum per columnam ignis et nubis interfecit exercitum eorum » Ex. 14, 24 — Israelitis vero amica, salutifera, viam pandens, ita Dominus et zelus eius ignis est hostibus, at pro ipsa urbe et pro incolis eius erit *in gloria in medio eius* vel erit ad gloriam (hebr. LXX) vel ut *Chald.* habet: in gloria habitare faciam maiestatem meam in medio eius. Sensus planus est: ipse Deus habitabit in media urbe in gloria, se omnibus exhibebit tamquam in gloria versans ibi (*S. Hier.*); « nam me conspicuum factis ipsis et providentia erga eos efficiam et lau-

1. Aliqui aetatem iuvenilem prophetae designari volunt; cf. *Rib. Sa.*
2. Cf. Ez. 38, 11. Esth. 9, 19; פְּרָזוֹת regiones planae sunt; unde sensus est, fore urbem sicut in regione plana quae longe lateque diffunditur sine ullo obstaculo. Quare sensum bene expressit *S. Hier*.

dibus praeconiisque celebrabor ob meorum erga eos magnitudinem beneficiorum » (*Theod. M.* sim. *Schegg*); inde autem consequens est, ut sicut sol ipse est lucidus et cuncta reddit splendentia, ita etiam Dei gloria redundet in urbis splendorem secundum illud : « illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum et gloria Domini super te orta est... gloria eius in te videbitur » (Is. 60, 1. 2); vel similiter, ut dicitur : « erit Dominus in lucem sempiternam » (Is. 60, 19), « civitas non eget sole, nam claritas Dei illuminavit eam » (Apoc. 21, 23; 22, 5). Ita civitas reddetur illustris, ut gloria eius omnes oras pervadat. Plerique interpretes hoc ultimum solum efferunt (cf. *Theod. Rib. Sanct. Lap. Tir. Keil, Trochon*); at verba adeo sunt ampla et prorsus apta [1], ut proprius sensus potius sit : ego ero in gloria, ex quo utique alterum est consequens.

Disceptant interpretes, utrum historice sermo sit de urbe et mystice (vel allegorice, vel sensu spirituali) de Ecclesia, an sensu iam literali sola Ecclesia debeat intelligi. Qui sensum literalem de urbe accipiunt (*Sanct. Lap. Men. Tir.*), urgent de ea aedificanda vatem fuisse sollicitum, eius demum aedificationis promissione ipsi potuisse afferri consolationem, de Ecclesia vero fortasse ne cogitationem quidem ullam eius mentem subiisse; praeterea ostendere conantur, omnia rite in urbe esse expleta; urbem quidem muris fuisse munitam, at multos extra muros habitasse, vel verba ita posse accipi : Deum adfore custodem, ut etiam sine muris urbs tuto possit habitari. Alii e contra, uti potissimum *Rib.*, canonem illum in medio proferunt a S. Augustino [2] egregie expositum : si quae dicuntur maiora sunt quam ut possint illi rei convenire de qua dicuntur, pro certo habere alium sensum occultiorem, qui quamvis spiritualis videatur, historicus tamen sit; iam vero quae hic dicantur, longe grandiora esse quam ut de urbe possint intelligi etc., quare sensu literali de Ecclesiae felicitate esse cuncta interpretanda.

Quomodo nodum solvendum putemus, supra iam indicatum est. Omnino verum est, quod priores in medium proferunt de sollicitudine prophetae, de consolatione quam exspectat, et ita quidem verum est, ut ipsis verbis consolatoriis eadem indicentur 1, 17. Quare in priore visionis parte de fune mensorio et de urbis latitudine, revera urbis restitutio vati repraesentatur. Sed ex eo non sequitur, in altera visionis parte, qua angelus interpres ad revelationem accipiendam egreditur aliusque angelus ei obviam fit, solum de *eadem* re institui sermonem. Eo in loco quae ultra urbis aedificationem futura sunt, prophetae proponuntur; eo vaticinio discit, ad quid haec inchoata instauratio ultimatim dirigatur; qui transitus ad rem altiorem ut frequens est apud prophetas, ita summae quoque consolationis materiam animis afflictis et miseria et vili conditione depressis

1. Neque enim dicitur quasi cum restrictione : ego ero *ei* in gloriam. Sensum illum pleniorem : *ego glorificabor* etiam *Hitz.* explicat; cf. Agg. 1, 8. Is. 24, 23.
2. Vide de doctrina christ. 3, 10. 11.

subministrare potest. Haec duo igitur, quae in divino consilio arcte inter se connexa sunt atque conserta, si simul consideraveris, habebis theocratiae instaurationem[1] plenam et perfectam.

b) Gloria Sionis ad eam invitantur 2, 6-13.

Iam cum in visione consilium divinae providentiae pandatur adeo benignum, splendidum, gloriosum, quid magis consequens est, quam ut quicumque demum de populo electo adhuc degunt in terra peregrina, abrupta omni mora revertantur ad urbem, quo certius et citius divinorum bonorum fiant participes? Quare pergit angelus — is enim qui v. 4 loqui inceperat, etiam hic loqui censendus est cum *S. Hier. Theod. Sanct. Lap.* aliisque —; v. 6 « *O, o fugite de terra aquilonis, quoniam in quattuor ventos coeli dispersi vos, dicit Dominus;* v. 7 *o Sion, fuge, quae habitas apud filiam Babylonis* »! — multos eousque remansisse in terra aliena, vel addictos moribus gentilium aut suis bonis possessionibusque[2] affixos, vel difficultatibus itineris vitaeque afflictae in Iudaea deterritos, ex parvo numero redeuntium liquet. Hos excitare, ut segnitiem excutiant, ut forti animo spretis commodis temporalibus ad Deum et ad promissiones divinas revertantur, inter praecipua munera prophetica eius temporis erit adnumerandum. Ipsa loquendi forma, verborum adhortationisque geminatio « vim adhibet magnam et stimulos et communiter contentionem et studium significat » (*Sanct.*); hebr. הוֹי, heus, heus! « quod est adverbium hortandi et incitandi ad celerem fugam; ideoque geminatur, immo triplicatur, ut ingentis cladis ingentem pavorem incutiat et ingentes stimulos ad eam fugiendam addat » (*Lap.*). *Terra aquilonis* apud prophetas usitata est pro Babylonia (cf. Ier. 1, 14; 4, 6; 25, 9 etc.); *in quattuor ventos* dispersi dicuntur[3] eo modo, quo apud Ezechielem fuga Iudaeorum exhibetur: « tertiam vero partem tuam in omnem ventum dispergam et gladium evaginabo post eos » (Ez. 5,

---

1. Notat *Theod.*: « haec vero omnia vidit propheta et praefecti angeli curam et aliorum angelorum cursum et urbis dimensionem, tum ut ipse bonas de Ierusalem promissiones ut certas excipiat, tum ut populus his sermonibus exactam fidem habeat, non verba solum prolata, sed res etiam videns ante descriptas ».

2. Iussi enim erant exsules a Domino, ut stabiles sibi sedes figerent in Babylonia; « aedificate domos et habitate, plantate hortos et comedite fructum eorum » etc. cf. Ier. 29, 5 seq.

3. Eodem modo intelligendus est textus hebr.: *secundum quattuor ventos* (vel *sicut*...) *dispersi vos*; alii vertunt: ut quattuor ventos vos expandam, ut sit promissio, qua moveantur ad reditum, quia Deus reversuros est aucturus miro modo. At פרשׂ sensu hoc bono non occurrit; de dispersione adhibetur Ez. 17, 21 (in eadem locutione) et Ps. 68, 15. De dispersione interpretati sunt *Syrus* et *Chald.* adhibentes verbum בדר. Aliter LXX: de quattuor ventis vos colligam (συνάξω). — In aliquibus codd. hebr. et in multis editionibus legi non *iuxta quattuor*, sed *in quattuor* i. e. non כ' sed ב' vide apud *de Rossi* ad h. l.

12; cf. *Sanct. Calm.*), et « residui in omnem ventum dispergentur » (Ez. 17, 21). Invitantur ut redeant, quia iam Deus eos vocat ea periodo transacta, qua illos in poenam criminum voluit esse dispersos.

Ipsa oppositione nominum *Sion-filia Babylonis* ad reditum urgentur; Sioni enim quaecumque sunt sancta et fausta a prophetis promittuntur, Sion est sedes Dei, ex Sione dominabitur in omnes gentes, ad Sionem venient omnes populi salutem et benedictionem quaesituri etc.; Babylon vero iam dudum ruinae et interitui et maledictioni est devota atque diris exsecrationibus a prophetis onerata (cf. Is. 13, 1-22; 21, 1-9; 47, 1-15. Ier. 50, 2-51, 64); quare maiore cum pondere in textu hebr.: *heus Sion serva te*, i. e. servate vos qui adhuc moramini Babylone ab interitu urbi impendente, ne simul cum ea pereatis. Sunt qui id speciatim applicent ad oppugnationem et expugnationem Babylonis urbis rebellis a Dario factam (de qua *Herodotus* 3, 150 seq. *Iustinus*, histor. 1, 10; cf. *Lap. Calm.*), sed non unus eventus, verum plura et maiora in gentes iudicia a propheta indicantur, uti sequentia docent; v. 8 « *quia haec dicit Dominus exercituum: post gloriam misit me ad gentes quae spoliaverunt vos; qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei;* v. 9 *quia ecce ego levo manum meam super eos et erunt praedae his qui serviebant sibi, et cognoscetis quia Dominus exercituum misit me* »; — angeli verba sunt, qui profitetur se a Deo missum, ut vindictam poenasque repeteret a gentibus, quae populum Dei iniuriis et oppressione lacessissent. Talis vindicta partim iam est inflicta, ita Assyriis regnoque Chaldaeorum, partim etiam infligetur per ruinam regnorum, de quibus Daniel et Aggaeus loquuntur (cf. Dan. cp. 2, 7, 8. Agg. 2, 7. 23). Ad angelum vero refertur, quia Dei minister est in rerum gubernatione et administratione, uti v. g. apud Ezechielem in visione impii ab angelis dicuntur occidi, urbs ab angelis incendio igneque divino concremari (cf. Ez. 9, 1-10, 8) vel uti angelus peste homines percutere atque interimere dicitur (cf. 1 Par. 21, 16. 27). In visione enim non causae humanae secundae ita solent efferri, sed causa et origo rerum a Deo profecta potissimum innuitur (vide fasciculum periodicum Stimmen aus Maria-Laach 1879, XVII p. 521 seq.). Modum loquendi: *haec dicit Dominus: misit me* concipe orationem quam vocant indirectam: dicit Dominus me esse missum ab ipso [1].

---

1. Ita res satis commode expeditur (cf. *Keil*). Aliud proponit *Sanct.*, illud scil. *dicit Dominus* non ad ea quae sequuntur esse referendum, sed ad ea quae proxime antecesserunt; idque probari ait partium quae in denuntiatione sint similitudine, cuilibet enim subiungi *dicit Dominus*, ut: o, fugite... d. D.; quoniam... dispersi vos, d. D.; Sion fuge, quia haec d. D.; at omnes iungunt, uti in *vulg.* legimus.

Ratio autem cur redire debeant, augetur quia angelus ita mittitur ad gentes puniendas, ut hac ipsa punitione gloria Dei exsistat et cernatur; proinde insignis punitio indicatur; ita explica *post gloriam misit me* i. e. ut sequerer et consequerer gloriam, ut opere hoc et legatione mea exoriatur gloria (sim. iam *Theod.* : « ut veterem gloriam recuperaret » ; *Theod. M.* : « misit me gloriam eius nuntiaturum »). Dei enim gloria agitur in populi Dei oppressione, quia ut saepius iam notatum est, populi facinora ad numinis honorem vel ignominiam computari solebant, et in populo victo ipsum eius numen superari et subiici censebatur (cf. Is. 10, 10. 11). Insuper Deus se tenerrimo affectu populum suum ut rem pretiosissimam tueri palam annuntiat; nam qui populum tangit, vexat (*S. Hier.*), iniuria afficit, ab eo tamquam talis habetur, qui vexare cupiat pupillam oculi Dei illumque clara luce privare, qui sacrilegas manus in rem pretiosissimam, quale est oculorum lumen, inferre audeat; cf. Deut. 32, 10 Deus populum suum circumducens et docens in deserto « custodivit quasi pupillam oculi sui » ; quare oratio funditur : « custodi me ut pupillam oculi » (Ps. 16, 8) et iubemur legem Dei servare « quasi pupillam oculi » (Prov. 7, 2).

Cum igitur et *gloriae* Dei et eius *amori* [1] tam atrox inflicta sit a gentibus iniuria, cum emphasi (*ecce ego*) castigationem gravem denuntiat dicens se iamiam *agitare* (hebr.) *manum suam super eos* i. e. ictu et percussione vehementi eos prostraturum (cf. Is. 10, 32; 30, 32), ita ut ii qui eousque servi fuerint et subiecti tamquam domini et spoliatores in pristinos tyrannos consurgant; i. e. victores qui olim fuerant, victi manus dabunt et victi misere spoliabuntur. Ita quoque in regnorum successu evenisse compertum est, Graecis insurgentibus in Persas, Romanis in Graecos. Vel facilior est etiam explicatio, si versus iste ad Iudaeos solos refertur : gentes erunt praeda eo sensu et modo, qui statim v. 11 proponitur et qui iam a prioribus prophetis saepius est expositus (cf. Is. 14, 2; 49, 22; 60, 10. Ez. 16, 61; 35, 11. Mich. 4, 2 etc.). Rerum eventu cognoscent et discent angelum vera loqui eumque legatum Dei fuisse ad populi bona promovenda. Res administrari angelico interventu et divinae providentiae consilia exsecutioni mandari non sine angelorum ministerio, hoc ipso sermone docemur. Simul invitamur, ut ex impletione rerum, quae vati in visione erant exhibitae, ipsam visionem angelico ministerio ei fuisse immissam ipsumque ab angelis edoctum concludamus.

Angelum loquentem etiam in v. 8 agnoscunt *Sanct. Mar. Tir. Gord. Calm.*

---

1. Qui duo sunt affectus vehementissimi et ad opera exhibenda quam maxime incitant.

Schegg, Trochon, etiam *Lap. Men.* qui tamen praeter hunc sensum et literae corticem « alium sensum praecipuum » de Christo Domino adstruunt. Vocem Christi Salvatoris solam hoc loco deprehendunt *S. Hier. Cyr. Theod. Rup. Rib. Sa*; etiam *Eusebius* (*M.* 22, 448. 405) aliique.

Duae hae explicationes inter se conciliari facile posse videntur, si advertamus angelum Domini in V. T. loquentem fuisse quidem verum angelum, sed saepe in se exhibuisse ac repraesentasse personam Verbi, vel Verbum apparuisse non quidem immediate et in se sed angelo mediante. Quae igitur angelus de se loquitur et quae angelus pro ratione V. T. agit, ea suo modo transferri possunt ad eum quem saepe repraesentat. In N. T. Verbum immediate et per se apparet in natura humana assumpta ; quare etiam Ecclesiae suae protectionem et custodiam hostiumque deiectionem ipse perficiet et absolvet.

Variae sunt sententiae de verbis *post gloriam misit me.* Qui Christum unice loquentem ibi audiunt, exponunt vel : cum in forma Dei esset et nihilominus ad formam servi deveniret, quomodo non *post gloriam* ipsi summopere congruentem factus est (*Cyr. Hier.*)? vel : postquam gloriam meam ostendero in terris magnitudine miraculorum, post resurrectionem Deus mittet me i. e. me per Apostolos ad gentes (*Rib.*) et sim. Sed hae explicationes coactae sunt neque eo sensu verba tempore Zachariae intelligi poterant. Alii qui angelum loquentem audiunt, gloriam explicant de instauratione urbis et templi et de prosperitate populi ; « ubi enim haec essent perfecta, angelus quo hortatore haec suscepta sunt, iturum se dicit ad gentes alias, ut iniuriam et vim populo israelitico illatam ulcisceretur. Quomodo vero id acciderit, quave ratione mulctatae fuerint gentes male olim in Iudaeos animatae, constat ex libris Machabaeorum » (*Sanct.* sim. *Alb. Lap. Tir.* et iam *Chald.* : post gloriam quae dicta est futura super vos) ; *Mar.* vocem refert ad v. 5, *Gord.* ad reditum ex captivitate etc. ; alii praepositionis significationem de gloria comitante accipi posse censent : mitti cum gloria, in gloria, ita ut praeclara ac gloriosa facinora missum et antecedant et comitentur (*Schegg*) ; alii demum de sana explicatione quasi desperantes cognomen Michaelis *Achar-Kabod* ibi deprehendere sibi visi sunt : dixit Dominus ad Achar-Kabod etc. ; unde vides *Houbig.* non immerito adnotare : « multum sudant interpretes, ut duo verba edisserant ; sed inutili labore » ; ipse textum corrigit scribens אחז *possidens gloriam* ; at sane iste « labor » omnium est inutilissimus !

In versione et commentario *S. Hier.* legitur *tangit pupillam oculi eius* ; ita quoque in hebr. suffixum tertiae personae legitur, quod et LXX et *Syrus* et *Chald.* exprimunt. Id explicari potest vel de Deo, uti *S. Hier. Theod.* aliique exposuerunt et Deut. 32, 10 loco parallelo omnino commendatur, vel prout *Chald.* habet : qui vobis nocuerit, quasi qui extendit manum suam ut tangat pupillam oculi sui [1]. Cum angelus loquatur, *eius* commode ad Deum refertur. Se-

1. Ita quoque *S. Cyr.* : « qui nobis exhibere molestiam conatur, tantum non pupillam propriam tangit (τῆς ἰδίας κόρης). Semper enim persecutoribus Ecclesiae conatus ipsorum in caput reciderunt... tanget igitur se, inquit, qui animabus in me credentium insidiatur ». Sim. *Vat.* : sibi ipsi nocebit ; idque, ait *Rib.*, satis proprie.

cundum *vulg.* vel angelus de se loquitur, vel censeri potest verba Dei referre; saepe enim etiam apud prophetas sermo prophetarum immediate transit ad ipsa Dei verba proferenda. Ceterum lectio *mei* in variis codd. v. g. amiatino et editionibus antiquis non habetur, sed *eius*; *Rib.* illam lectionem vocat sine dubio vitiatam; de qua re fusius agit *Lucas Brugensis* in notatione ad h. l.

Porro efficaciter ad reditum invitantur qui adhuc in terra aliena commorantur, laetitia commemorata et gloria quam Sion captura est ex Domini praesentia et tutela v. 10 « *lauda et laetare, filia Sion, quia ecce ego venio et habitabo in medio tui, ait Dominus* »; — hebr. *iubila*; praeclara sane promissio, quae efficaciter eos movere debet qui non omnem fidem et amorem Dei abiecerint; verba in memoriam revocant habitationem qua Deus in deserto in medio populo erat sese manifestans in nube lucida, qua in templo quoque peculiarem sui praesentiam exhibuit: et iam ita miros Dei favores et si opus fuerit miracula in commodum populi pollicentur. Quare exhortatione ad iubilum et laetitiam beneficii magnitudinem et excellentiam vestit propheta et huius gaudii et tripudii exhibitione studet allicere; facile enim omnes tali spe et desiderio moventur. Quam insigni modo verba haec in Incarnatione Verbi divini sint impleta, in comperto est; immo sacer auctor ipsa verba prophetae refert. Uti enim hic legimus: ἐγὼ ἔρχομαι καὶ κατασκηνώσω ἐν μέσῳ σου, ita in evangelio Christus vocatur ὁ ἐρχόμενος et de eo dicitur καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν (Ioan. 1, 14. 15).

Atque revera tempora prospici messianica elucet ex eo, quia statim mentio fit gentium, quae veri Dei cultui sese sint mancipaturae — id enim est constans periodi messianicae criterium et indicium — v. 11 «*et applicabuntur gentes multae ad Dominum in die illa et erunt mihi in populum et habitabo in medio tui, et scies quia Dominus exercituum misit me ad te*»; — praeconium, quod eousque solum ad populum Israel pertinebat, esse scil. et vocari populum Domini, iam fit commune etiam gentibus; proinde clare indicatur theocratia universalis, nullis limitibus adstricta, in qua gentes eodem dignitatis ordine et censu cum Israelitis adnumerandae sunt. Hac autem theocratia universali regnum designari messianicum inter omnes constat. Hebr. etiam intelligi potest de gentibus quae numero et potestate valent (cf. Is. 2, 3. 4. Mich. 4, 2). Cum etiam in ea theocratia Deus dicatur habitare in medio Israel, id indicatur, quod in symbolo montis Domini ad quem omnes confluunt, proponitur scil. salutem esse ex Iudaeis et reliquas gentes insertione in olivam bonam participes reddi et socios radicis et pinguedinis olivae (Rom. 11, 17), vel quod aliis in locis throno et regno Messiae in monte Sion constituto designatur (cf. Mich. 4, 8. Ps. 2, 6). Haec cum fiant,

omnes *scient*, experientur, ipsis rebus cognoscent et agnoscent clarissime, vaticinia numine divino afflante esse facta et symbola in visione ostensa non fuisse vanas rerum umbras, verum simulacra divinitus data quibus verus rerum ordo et consilii divini exsecutio adumbretur.

Ab hoc vaticinio quod totum tempus messianicum spectat, revertitur angelus ad tempus proxime futurum, quia verba bona et consolatoria utrumque tempus complectuntur (cf. 1, 13 seq.); v. 12 « *et possidebit Dominus Iudam partem suam in terra sanctificata et eliget adhuc Ierusalem* »; — cf. Deut. 32, 9; sint igitur macti animis; neve afflicta rerum conditione deprimantur; Dominus enim terram sanctam diligit et populum suum tamquam partem et hereditatem suam assumet, i. e. instauratio prosperum habebit successum; templum aedificabitur, urbs sancta denuo surget; Deus enim quae semel dedit et promisit fideliter servat.

Cum igitur Deus ad opus adeo insigne inchoandum iamiam se accingat, quid magis decet homines, nisi ut venerabundi maiestatem Dei agnoscant et consiliorum eius sublimitatem, magnificentiam, benignitatem supplices adorent? Unde v. 13 « *sileat omnis caro a facie Domini, quia consurrexit de habitaculo sancto suo* »; — cf. Hab. 2, 20; « pulchrum hoc et utile epiphonema et cohortatio bona volentibus bene audire » (*S. Cyr.*). « Silentium indicium est supremae auctoritatis aut potestatis in eo cui creatae res omnes obsequuntur » (*Calm.*); nam « silere in Scriptura significat inter alia ita aliquem domitum esse alterius potentia, ut se commovere non audeat, neque contra illum leviter aut obscure quidquam mutire, et ob idipsum revereri et colere » (*Sanct.*). Dicitur Deus *surgere* de sede sua coelesti, quando opus aliquod eximium aggreditur (cf. Mich. 1, 3), ad quod quasi robur suum ac fortitudinem assumit. In hebr. *quia excitatus est*; id quod respicit *S. Hier.* scribens: « surgere autem Dominus dicitur et quasi evigilare de somno, quando consurgit in vindictam populi sui iuxta illud quod scriptum est: exsurge, ut quid dormis, Domine » (Ps. 43, 23)? Deus enim, ut notat *Lap.*, visus est dormire, cum nos neglexit et dimisit in captivitate per septuaginta annos; iam vero velut somnum excutiens assumit robur ac fortitudinem. A silentio indicto, quod maximae reverentiae, admirationis, stuporis est indicium, et a symbolo Dei excitati et surgentis de throno suo coelesti rei gerendae magnitudo commendatur. Et revera quid maius fingi potest hisce in terris, quam regnum Dei parvis initiis ac debili adumbratione conditum ac fundatum in templi urbisque instauratione, sed tempore Messiae ingenti incremento et continuis Dei favoribus auctum et ornatum?

TERTIA VISIO : SACERDOTII SANCTITAS RESTITUTA CAP. 3.

ARG. — **Ut satanae, theocratiae adversario, potestas nocendi et opus Dei impediendi eripiatur, munus sacerdotale ad pristinam sanctitatem revocari actione symbolica, sordidis scil. vestibus depositis et splendidis datis, designatur (3, 1-5). Ad quam actionem consequenter admonetur sacerdos vitae sanctitatis, promittitur praesidium coeleste, adventus Messiae, theocratiae instauratio, pacis abundantia, ad quae bona sacerdotium est prolusio quaedam ac praeparatio typica (3, 6-10).**

a) **Sacerdotii sanctitas revocatur 3, 1-5.**

Quis sit huius visionis cum antecedentibus nexus, quis rerum progressus, bene declarat *Theod. M.*; postquam scil. adversariorum clades est promissa et urbis instauratio ostensa, ad ea iam fit gressus, quae theocratiam intime constituunt et eius beneficia ad ceteros derivare debent; inter quae munera sacerdotium principem locum occupat. Id iam ex ratione sacerdotii elucet; est enim sacerdos intermedius inter Deum et hominem, Deum precibus, cultu, sacrificiis placare debet et homines ad debitum Deo cultum instituere et ita beneficia divina in homines derivare. Id quoque a contrario patet, ex funesta scil. auctoritate, qua mali sacerdotes ante exsilium populi civitatisque ruinam adeo efficaciter promoverunt. Nam quam sollemne sit apud prophetas sacerdotes accusare eosque ut populi seductores et malorum auctores traducere, neminem fugere potest (Is. 28, 7. Ier. 2, 8; 5, 31; 6, 13; 8, 10 etc. Os. 5, 1. Mich. 3, 11. Soph. 3, 4 etc.). Cum *tales* igitur sacerdotes fuerint et tantum in perniciem valuerint, ipsum sacerdotium quasi sordidum et maculis opertum adstare in visione facile concipitur; sed cum sacerdotii dignitas et auctoritas plurimum etiam valeat ad virtutes populo inserendas et ad sanctitatem efficiendam, omnino consentaneum est, ut in theocratiae instauratione potissima ratio habeatur sanctitatis sacerdotalis. Quare oppositio illa quae adest inter res gestas sacerdotii et inter muneris indolem et significationem, optime inservit ad visionem hanc rite perpendendam.

Sacerdos magnus personam gerit publicam et qua talis munus repraesentans et exprimens hic concipi debet; v. 1 « *Et ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini et satan stabat a dextris eius, ut adversaretur ei* »; — in hebr. *Dominus* non legitur; at rite suppletur. Stat sacerdos coram angelo Domini, qui patronus et custos est synagogae, quem aliqui etiam h. l. haud immerito Michaelem esse dicunt (cf. *Rib. Lap.*). Ita iam munus sacerdotale ex parte adumbratur; debet scil. sacerdos adstare coram Domino, cuius tamquam

ducis ac rectoris populi personam angelus gerit, esse intercessor populi apud Dominum et medius inter eum et populum, populi necessitates Domino proponere, voluntatem Dei et beneficia populo perferre; « labia enim sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est » (Mal. 2, 7). Sed attendat oportet sacerdos, adstare adversarium, qui simul ac manus ad opus Domini extendatur, adsit, ut insidietur, ut prohibeat, impediat, noceat; stat ad dexteram, ut dexteram manum exsecutricem scil. operis retineat atque opprimat; qua re innuitur, quantopere vigil sit ac solers ad damnum theocratiae inferendum et quantum olim in theocratiae detrimentum valuerit et effecerit; adstitit enim revera sacerdotio insidiator insignis et adversarius et calamitoso successu ipse erat potior ac potentior et magna dexteritate theocratiae nocuit (cf. *Ephr. Cyr. Sanct. Sa*).

Verum Dominus et angelus eius theocratiae curam habentes adversarium reprimunt eiusque conatus eludunt; id indicatur maledictione in eum iactata; v. 2 « *et dixit Dominus ad satan : increpet Dominus in te satan, et increpet Dominus in te qui elegit Ierusalem; numquid non iste torris est erutus de igne* »? — modus loquendi angelum prodere videtur; neque obstat quod *Dominus* nominatur; angelus enim qui Dei personam gerit, saepius tali nomine insignitur (cf. *Sanct. Lap.*); angelus igitur in persona Domini (*Alb.*) edicit, ut increpatio Domini nocendi potestatem auferat diabolo; « increpatio enim Domini restrictio potestatis diaboli est » (*Alb.*); quod autem bis dicitur, et loquentis commotionem animi et indignationem contra diaboli conatus indicat et certum fore promittit, ut diabolus compescatur et reprimatur; increpare est imperare cum potestate et obiurgatione et ab incepto deterrere (*Rib.*). Diaboli autem tentamina et impetus effectu carebunt, quia Dominus *elegit* Ierusalem (1, 17). Haec est ratio quam maxime universalis : Deus fundat regnum suum et quis contra Deum praevalebit? Ratio subditur alia particularis, ad praesentem rerum conditionem apta : satis scil. iam poenarum datum et exhaustum esse propter scelera praeterita; utique fuisse peccatum quam maxime etiam a sacerdotio; at exsilii ignem dignas a peccatoribus exegisse poenas; *nonne iste torris est* i. e. est quasi lignum semiustum ex igne ereptum; poenarum et captivitatis signa, paupertatem, ignominiam, miseriam adhuc gerit sacerdos, ita luens flagitia patrum. At Deus ipsa hac miseria ad misericordiam motus quasi cum indignatione quaerit, num deceat tale esse sacerdotium; num non in diabolo mulctari oporteat, quod ad talem statum illud redegerit et in miseriis constituto adhuc adversarius insidietur. Ita zelus Domini ipsa suorum calamitate et miseria excitatur, ut in sui populi gloria restituenda suam ostendat maiestatem et benignitatem.

Pauperem, afflictam, sordidam conditionem ipse habitus quo sacerdos apparet, satis superque declarat : v. 3 « *et Iesus erat indutus vestibus sordidis et stabat ante faciem angeli* » ; — tale scil. erat sacerdotium coram Domino aaroniticum, adeo a pristina dignitate exciderat, onustum multis peccatis, oneratum foederis violatione, luctu et miseria exsilii obrutum et vix tunc e tali abysso emergens. In vestibus sordidis multi cernunt peccata populi (*S. Cyr. Theod. Alb. Sanct. Trochon*), alii etiam ipsius Iesu sacerdotis peccata, socordiam scil. quandam et negligentiam in populo emendando, in opere Dei promovendo [1] (cf. *Rib. Sanct. Lap. Sa*) : priora sane eo sensu hic intelliguntur, quatenus peccata populi etiam in vituperium cedunt sacerdotio et magnam partem per sacerdotii culpam effecta erant ; Iesum autem sacerdotem sordidis vestibus indutum apparere propter suam negligentiam, minime crediderim ; haec enim si qua fuerit, non tanta erat (cf. Agg. 1, 1) ; neque puto eum hic, ut aliqui volunt (*Cyr. Calm.*), populi personam et vices gerere, sed sacerdotii, ad quod cetera omnia diriguntur. Toto habitu ut miseriam exprimit, ita opem et auxilium implorat ; quare non frustra additur : *stabat ante faciem angeli,* « ut ego arbitror eum intuens et ab eo auxilium exspectans et petens » (*Rib.*). Neque coram eo consistit, qui non habeat talis rei curam, verum qui quam maxime vere boni sit studiosus.

Quare tacitae petitioni et miseriae explicatae angelus occurrit remedium afferens : v. 4 « *qui respondit et ait ad eos qui stabant coram se dicens : auferte vestimenta sordida ab eo ! Et dixit ad eum : ecce, abstuli a te iniquitatem tuam et indui te mutatoriis* » ; — aliis angelis sibi subditis, qui stant coram eo parati ad ministerium salutis hominibus exhibendum, imperat angelus populi custos ac tutor (cf. *Theod. Sanct. Lap. Sa, Mar.*), ut auferant sordes, signum iniquitatis qua sacerdotium erat foedatum, et indicium miseriae et poenae peccatorum. Haec iniquitas quamvis non sit ipsius Iesu sacerdotis, potest tamen *eius* dici, quatenus ut summus sacerdos et caput muneris sacerdotalis repraesentat totum sacerdotium. Ipse induitur mutatoriis [2], novis vestibus ac pretiosis, ad sollemnitates conformatis, quae igitur remota iniquitate splendorem gratiae, virtutum, sanctitatis et pietatis significent, quibus donis verum sacerdotium ornatum esse debet, ut suas partes rite expleat. Quare *Chald.* non male explicat : indui te innocentiis tuis. Ad

1. Nam quod aliqui ex Hebraeorum traditione (cf. apud *S. Hier.*) de nuptiis cum alienigenis fabulantur, quas ipse contraxerit vel a quibus saltem filios non prohibuerit, prius totum est fictum, alterum quod *Chald.* quoque affert, ex tempore posteriore perperam assumptum (cf. Esd. 10, 18).

2. Intelligi vestes splendidas, festivas etiam ex Is. 3, 22 patet. In textu hebr. non *mutatoria* significantur ; sed *S. Hier.* vocem hic et Is. l. c. ita vertit ; cf. 4 Reg. 5, 5. 22.

ornatum sacerdotalem et pontificium absolvendum additur diadema vel, uti plerisque placet, tiara pontificalis : v. 5 « *et dixit : ponite cidarim mundam super caput eius! et posuerunt cidarim mundam super caput eius et induerunt eum vestibus; et angelus Domini stabat* » ; — ornatum eius absolvi ac perfici iubet idem angelus tutor ornamento capitis, quod pontifici summo erat peculiare ; idque eo magis apte in visionem inducitur, quia, uti iam monet S. Ephraem, apud Ezechielem dictum erat « aufer cidarim » (Ez. 21, 26); quare in theocratiae instauratione cidaris haec emundata restituitur. Ita per quos gradus et per quae symbola theocratia erat suspensa, per eadem denuo revocatur. Adstat angelus, quippe qui sedula cura instaurationi prospicit et sacerdotium ad pristinam dignitatem et sanctam indolem promovere non cessat.

Ex textu lat. et quem *Syrus* quoque eodem modo praebet, angelus cidarim poni iubet; in textu *mas.* [1] vero habetur : et dixi : ponite etc. Verum id omnino videtur esse repudiandum. Nam ipsum prophetam nunc subito loqui aliisque angelis adstantibus mandatum dare, ut absolvant ornatum pontificis, a ratione visionis, qualis eousque erat, prorsus alienum est; neque enim ipse propheta *agere* cernitur, sed videre, accipere; ad summum quaerit, quid sibi velit symbolum. LXX membrum istud plane omittunt, ita ut ipsa omissione sermo angeli designetur. *Chald.* vero iam primam personam expressit (quamvis in versione lat. in polygl. Londin. perperam *et dixit* legatur).

Non quidem h. l. adhibetur terminus technicus pro tiara summi sacerdotis מִצְנֶפֶת sed צָנִיף, quae vox diadema dicit vel regium Is. 62, 3. Iob 29, 14 vel ornatum muliebrem Is. 3, 23. Sed communiter tamen vocem in illa significatione h. l. accipiunt interpretes. Fortasse autem addi debet, eam vocem videri consulto electam, quia sacerdos summus post exsilium aliquando etiam summam potestatem civilem exercere coepit et proinde veri principis vices gessit (cf. 1 Mach. 14, 11). Unde talis restitutio designatur, quae ad rerum administrationem et gubernationem valet.

b) Quid hac instauratione significetur 3, 6-10.

Dignitas igitur sacerdotalis, uti visione constat, emundata est et splendida facta; proin iterum Deo est accepta. Ex hac parte restitutio sacerdotii (*Alb.*) cernitur tamquam partis praecipuae theocratiae. Iam haec restitutio per singula accuratius declaratur : quid postulet a sacerdotibus, quid portendat et quo demum culmine sit perficienda.

Et primo quidem declaratur, ut *Alb.* ait, modus conversationis adep-

1. Sed etiam lectionem *et dixit* non penitus exsulare a codd. hebr. vide apud *de Rossi* ad. h. l.

tae dignitatis. Est enim visio non solum utilis prophetae, sed per prophetam ceteros omnes eosque maxime ad quos spectat, edocere debet. Quare iam exponitur, quae sint partes sacerdotis et quibus praesidiis muniatur in fideli functione v. 6 « *Et contestabatur angelus Domini Iesum dicens :* v. 7 *haec dicit Dominus exercituum : si in viis meis ambulaveris et custodiam meam custodieris, tu quoque iudicabis domum meam et custodies atria mea et dabo tibi ambulantes de his qui nunc hic assistunt* » ; — quantopere angelo curae sit digna sacerdotis conditio, ex studio elucet, quo *contestatur* i. e. serio atque instanter monet et obsecrat. Praecipit, ut mandata Dei observet ; hae enim sunt viae Dei per quas homines incedere vult ; dein ei iniungit fidelem muneris administrationem, ut diligenter observet et custodiat, quae Deus in cultu ac religione observata vult (cf. Lev. 8, 35), ut ea in re sit vigil et fidelis (cf. Num. 1, 53 ; 3, 28). Quod si praestiterit, Deus illi iura et dignitatem sacerdotii conservabit : habebit domus Dei administrationem, in iis quae ad eam pertinent ius dicet et gubernabit, et templum habebit suae curae commissum et sua auctoritate singula decernet. Vel commode intelligitur cum plerisque (*Cyr. Theod. Alb. Rib. Sanct. Sa, Mar. Men. Tir. Schegg*) sensu ampliore : domum Dei i. e. familiam Dei, populum Dei iudicabit, ei ius dicet eumque gubernabit ; saepius enim *domus Dei* tali acceptione invenitur (cf. Num. 12, 7. Ier. 12, 7. Os. 8, 1 ; 9, 8. 15) neque membrum parallelum talem significationem excludit, cui etiam v. 5 צָנִיף *cidaris, diadema* apte congruit. De potestate iudiciaria summi sacerdotis vide Deut. 17, 8 seq.

Atque ut hisce muneribus rite fungi possit, angelorum ei praesidium promittitur : de his scil. qui hic assistunt i. e. de angelis qui coram angelo Domini consistere cernuntur (cf. v. 4), tibi dabo qui tecum ambulent, te comitentur, iuvent tibique sedulo assistant et in ministerio opem ferant (cf. *S. Hier. Cyr. Rib. Sanct. Lap. Mar. Men. Calm. Schegg*). Dicuntur *stantes*, uti *Cyr.* perpendit, quia stationis vocabulo eos significare vult Scriptura ignaviae non succumbere sed mentem velut erectam et infirmitatis expertem et cum Deo stantem et ad omne ministerium promptam retinere. Ita visio illa quam vidit Iacob (Gen. 28, 12), in theocratiae instauratione valere dicitur : aderunt angeli *ascendentes* et perferentes ad Deum necessitates hominum et *descendentes* ad homines iuvandos et Dei beneficia distribuenda ; aderit frequens commercium hominum cum Deo ope sacerdotii, cui angeli intercessores et adiutores praesto sunt.

Negant quidem aliqui textum hebr. ita posse accipi ; vertunt enim : *et dabo tibi vias inter adstantes istos*, id quod vel ad vitam futuram referunt : post mortem obambulabis inter angelos (— uti iam *Chald.* explanat : in suscitatione

mortuorum te suscitabo et dabo tibi pedes ambulantes inter Seraphim istos —), vel de libero ad Deum vel angelos aditu explicant i. e. particeps eris consiliorum eorum ad rempublicam gubernandam et adiutor ad erigendam (cf. apud *Sanct. Mar. Vat. Houbig. Keil, Trochon*). Sed versioni *S. Hier.* veteres omnes suffragantur; omnes enim מהלכים tamquam *ambulantes* accipiunt; ita LXX et *Syrus* et *Chald.*; neque opus est hanc communem veterum interpretationem relinquere; nam formam efferri chaldaizantem (cf. Dan. 3, 25; 4, 34) tempore vatis nostri non potest videri mirum, et certe cum non obstante substantivo noto (Ez. 42, 4. Ion. 3, 3. 4. Neh. 2, 6) veteres participium verbi ibi viderint et expresserint, in tali consensu aliquid ponderis inesse videtur. Accedit, quod sensus in hac interpretatione est facilis, obvius, ad rationem visionis aptus; in altera vero satis ambiguus et obscurus. Alii demum participium *hiphil* stricte sequendum esse censentes vertunt: dabo tibi duces; quam acceptionem veteres non cognoverunt. Neque omnes ibi de angelis fieri sermonem agnoscunt; « haec enim faciens et tu in hoc honore vives et honorem ad posteros transmittes, iis qui ex te nascentur populum hunc regentibus; hoc enim expressit cum dixit δώσω σοι ἀναστρεφομένους ἐν μέσῳ τῶν ἑστηκότων τούτων » ita *Theod.* et sim. *Theod. M. Alb.* Sed certe falsa est interpretatio. Quo enim pacto successores summi sacerdotis dici possunt vel si ita dicerentur, saltem ab aliis intelligi tamquam ambulantes inter angelos? ii qui morantur inter angelos, in hoc contextu non possunt esse nisi angeli; homines enim non versantur in medio angelorum; unde sensum bene effert *S. Hier.* vertens: dabo ambulantes *de* his.

Quo magis sacerdotii dignitas éluceat et a sacerdotibus vitae sanctitate commendetur, illud esse figuram et typum Messiae angelus declarat, proinde qui gerant sacerdotium, adumbrare in se munus et dignitatem Messiae eique quasi proludere; unde sua sponte colligitur, quam sancte illo debeant fungi et ad quod demum culmen perfectionis instauratio haec feratur; v. 8 « *audi Iesu, sacerdos magne, tu et amici tui qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt; ecce enim ego adducam servum meum, Orientem* »; — singulari modo summi sacerdotis attentio excitatur eique ut rite ac sedulo perpendat ea quae sequuntur ab angelo inculcatur; iis enim et quae antecedunt magis commendantur et ipse de muneris significatione et eminentia subtilius eruditur. Est vero audiendum i. e. bene recogitandum et alto animo reponendum, ipsum et alios sacerdotes qui in collegio sacerdotali coram eo et simul cum eo sedent, esse *viros portendentes*, hebr. *viros portenti*, vel signi, miraculi i. e. qui in se exhibeant aliquid ad rem maiorem futuram declarandam aptum; cerni scil. in iis et adesse ex divina ordinatione *signum* rei alterius, eorum officium ac munus non in se concludi, sed exhiberi tamquam indicium et signum mirabile, quo animi ad altiora futura praeparentur et erudiantur [1]. Et cuius rei sint signum ac portentum, vel ut

1. De typica Iesu sacerdotis ratione tractat v. g. *Eusebius*, Dem. ev. 4, 17; *M.* 22, 329.

nos dicimus, figura, typus, adumbratio, statim additur : *quia ecce ego adducens* (venire faciens) *servum meum Germen* (hebr.). Quis sit *servus Dei Germen*, ex vaticiniis antecedentibus clare constat. Habet enim nomen hoc primam suam radicem in ultimis verbis David, qua promissa sibi divinitus facta paucis complexus certa spe se consolatur, quod Deus hanc salutem promissam et verbum faustum illud de throno aeterno *germinare faciet* (hebr. 2 Reg. 23, 2 - 5). Deinde iam apud Isaiam legitur : « in die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria » (Is. 4, 2) et apud Ieremiam : « ecce dies veniunt, dicit Dominus et suscitabo David germen iustum et regnabit rex et sapiens erit et faciet iudicium et iustitiam in terra ; in diebus illis salvabitur Iuda et Israel habitabit confidenter et hoc est nomen quod vocabunt eum : Dominus iustus noster » (Ier. 23, 5). Hic [illegible] describitur ille qui Davidis ex posteris est suscitandus propter promissiones Davidi datas, qui rex futurus sit sapiens et iudicium et iustitiam stabiliturus, salutem, fiduciam, securitatem omnibus praebiturus, ita ut in ipso nomen : Iahve iustitia nostra plene adimpleatur. Tali autem descriptione omnia indicia messianica colliguntur ; eadem vide Ier. 33, 15 « germinare faciam Davidi germen iustitiae » etc. et cf. supra p. 193.

Si igitur Deus nunc loquitur : ecce ego adducens servum meum Germen, de eodem illo, de Messia, hoc dici manifestum est. Nam Messias quoque per emphasin dicitur *servus Domini* (cf. Is. 42, 1 ; 49, 3. 5 ; 50, 10 ; 52, 13 ; 53, 11. Ez. 34, 23. 24) ; quare *Chald.* ad amussim interpretatus est : « ecce ego adducens servum meum Messiam et revelabitur ». Vocatur germen, quia Dominus eum facit germinare, quia ut germen excellentissimum Davidi datur [1], uti loci allati innuunt ; est scil. plantatio Domini sensu eminenti, ab initio externe quidem parva, at cuncta bona amplissime in se continens omnibusque novae ac perennis vitae semina largiens. Dubium non est quin ex mente *S. Hier.* etiam textus lat. eodem sensu accipi debeat. Scribit enim ad 6, 12 « ecce vir, Oriens nomen eius » : « quod hebr. dicitur. *sema* (צמח)... qui idcirco *Oriens*, id est ἀνατολή vel ἀναφύη sive βλάστημα nuncupatur, id est *germen*, quia ex se repente succrescet et ex radice sua in similitudinem germinis pullulabit » ; quare de sole oriente non est cogitandum.

Hac promissione Messiae optime ostenditur, theocratiam instaurari eo fine, ut demum per Messiam perficiatur. Atque omnia quae in antecedentibus sunt promissa, iam hoc de adventu Messiae oraculo egregie illustrantur : regna mundana deiiciuntur, ut regnum Messiae consistat ;

---

1. Quare similibus quoque nominibus appellatur : virga de radice Iesse, flos de eius stirpe ; radix Iesse, virgultum ; Is. 11, 1. 10 ; 53, 2.

Dominus miserebitur Sion, veniet enim Messias; urbs aedificatur, quia Messias venturus est; nova theocratia bonis abundabit propter Messiam et hoc nostro loco sacerdotium a Deo acceptatur, quia *typus* est Messiae; at ex tali dignitate officium exsurgit pro sacerdotibus, ut digne tali antitypo conversentur.

Typicam rationem voce מופת contineri etiam ex usu derivari potest. Ita vox adhibetur Is. 8, 18: « pueri mei quos dedit mihi Dominus in signum et portentum in Israel »; erant autem nominibus, quae futura annuntiabant, signum et portentum (cf. Is. 7, 3; 8, 3); Isaias habitu captivorum incedens est portentum pro Aegypto eiusque sorte futura (Is. 20, 3); similiter Ezechiel actione symbolica captivitatem futuram adumbrans et annuntians (Ez. 12, 6. 11; 24, 24. 27). Atque haec significatio etiam hoc loco optime retinetur. Sunt ergo sacerdotes signum rei futurae; restituitur et splendide emundatur sacerdotium, quia tempus futurum adumbrat; ratio autem cur sint portendentes, declaratur quia Messias venturus est; ergo Messiae typus sunt, eum praefigurant. Unde munus Messiae per eminentiam tamquam *sacerdotale* designatur, per quod vera demum expiatio et reconciliatio efficietur.

LXX habent: διότι ἄνδρές τερατοσκόποι εἰσίν; *S. Cyr.* eos dici autumat prodigiorum signorumque cupidos; *Theod.* id impugnans laudem et studium rerum divinarum in ea voce deprehendit: « nam a prophetis edita signa ut pii assidue speculabantur et finem horum exspectabant »; sim. *Theod. M.* — Vocem ἀνατολὴν explicat *S. Cyr.* solem iustitiae, qui illuminet nos velut in tenebris degentes; luminis orientis etiam *Theod.* et *Theod. M.* mentionem faciunt et id ἀνατολή per se dicit ex usu quo ad ortum solis vel lunae vel ad orientalem plagam designandam adhibetur, quamvis ἀνατέλλειν etiam de plantis crescentibus dicatur; v. g. Ps. 103, 14 ὁ ἐξανατέλλων χόρτον τοῖς κτήνεσιν.

Cum igitur nomen ex hebr. constet et ἀνατολή, uti ex *S. Hier.* audivimus et verbo ἀνατέλλειν comprobatur, eandem germinis orientis significationem non respuat, fortasse cum *Rib.* dicendum est, etiam textum graecum de *germine* esse intelligendum; immo *Rib.* etiam Luc. 1,78 « oriens ex alto» eodem modo de germine interpretatur, neque obstare ait quod sequatur: « illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent »; id enim non ideo dici quia aliquid de sole praecesserit, sed quia germen illud divinum sit revera lux illuminans omnem hominem; neque inusitatum esse in Scriptura, ut relicta una metaphora subito aliud inferatur, alienum quidem a metaphora illa, sed conveniens rei per metaphoram significatae. Addi potest, apud LXX Ez. 16, 7 dici ἀνατολὴ τοῦ ἀγροῦ et Ez. 17, 10 σὺν τῷ βώλῳ ἀνατολῆς αὐτῆς ξηρανθήσεται, et hebr. צמח verti τὰ ἀνατέλλοντα (ἐκ τῆς γῆς) Gen. 19, 25; ἄνθος Is. 61, 11. Haec quamvis ita sint, rem tamen non evincunt; habet enim in lingua syriaca צמח usum de sole oriente, de fulgore et splendore; unde *Syrus* h. l. solem orientem, fulgorem (דנחא) vertit, quare fieri potuit, ut etiam graecus interpres significationem sequeretur non in lingua hebr. sed in dialecto syriaca usitatam; nam etiam Is. 4, 2 graecus interpres צמח expressit ἐπιλάμψει.

Aliqui ex veteribus *germen* interpretantur de Zorobabel; ita *S. Ephr. Theod.*

Theod. M. Barh. — etiam Eusebius (demonstr. evang. 4, 17. *M.* 22, 332) ita proxime Iesum dici sacerdotem, spiritualiter vero Messiam censet — quos e recentioribus unus *Calm.* sequitur interpretans de Zorobabele et Nehemia, sed ita ut hi sint figura Christi, cui demum proprie haec appellatio conveniat. Esse *germen* Messiae nomen, ipsi quoque rationalistae concedunt (cf. *Hitz.*).

Cur autem Messias adducendus sit, ratio affertur, quia theocratia perfecta est constituenda et iniquitas abolenda, ad haec autem V. T. instituta non sufficiunt ; v. 9 « *quia ecce lapis, quem dedi coram Iesu ; super lapidem unum septem oculi sunt ; ecce, ego caelabo sculpturam eius, ait Dominus exercituum, et auferam iniquitatem terrae illius in die una* » ; — imagine lapidis, qui caelandus est et sculpendus et in pulchram formam redigendus, theocratia designatur, quae ad formam perfectam sit exigenda ; lapis iste iacet rudis coram Iesu sacerdote ; est enim theocratia imperfecta et inchoata, in qua et pro qua Iesus sacerdos operam suam collocare debeat ; sed cum ipse impar sit lapidi isti efformando, alius servus Domini adducendus dicitur scil. Messias. Super lapidem, sicut positus est ante Iesum, ergo super theocratiam illam inchoatam iam exstantem, septem oculi sunt i. e. ad eum sunt directi (cf. 4, 10) oculi Domini, eius curam habent, vigili studio ad eum attendunt. Cur *septem* nominentur, non adeo facile certo dixeris ; perfectionem divinae providentiae numero sacro septenario indicari curamque indefessam, quae continuo adsit, non improbabiliter asserueris (cf. *S. Cyr.*) vel curas multiplices et indefinitas, quas operi suo exstruendo Deus impendat (*Theod.*) ; aliis quoque placet, allusionem fieri ad mores persicos, secundum quos septem primates regni *oculi* regis dicuntur teste Hesychio et Suida (*Tir. Calm. Reinke*). Ad quod si addimus, infra 4, 10 oculos Domini septem dici discurrere in universam terram, et in Apoc. septem oculos describi tamquam septem spiritus Dei missos in omnem terram (Apoc. 5, 6), explicatio satis probabilis esse videtur de septem angelis [1] qui adstant ante Deum et qui singulari studio regnum Dei in terris fundandum et propagandum prosequuntur (cf. *Rib. Lap. Calm. Trochon*). Horum ministerio Deus utitur, sed operis praecipuam partem sibi reservat : ecce, ego caelabo . . . rudem lapidem ad debitam formam et pulchritudinem exigam i. e. theocratiam splendore et eximia figura condam.

Indolem autem spiritualem, pulchritudinem et sanctitatem huius theo-

---

1. Cf. Tob. 12, 15. Apoc. 8, 2. 6; 15, 1. 6 ; 16, 1 ; 17, 1 ; 21, 9. Vel poteritne cogitari et explicari de Spiritu S. qui *septiformis* munere est et cuius in aedificanda nova theocratia partes sunt adeo praecipuae ? Et in Apoc. 1, 4 quidem septem spiritus enumerantur et collocantur inter Patrem et Filium.

gratiae declarans addit *et auferam iniquitatem* etc. Hac ablatione verum designatur sacerdotium; est enim sacerdotis hostias offerre placationis et hominem peccatorem Deo reconciliare et inter Deum culpae vindicem et peccatorem adesse intercessorem (cf. Num. 16, 46. Sap. 18, 21). Ad quod cum vetus sacerdotium imperfecte solum et per modum figurae valuerit, Deus id se praestaturum indicat per servum suum Germen. Ad hunc igitur eiusque beneficium etiam referatur oportet Iesu sacerdotis emundatio in visione facta, qua ad digne fungendum munere suo aptus redditur et ad typum Messiae referendum.

Lapide h. l. designari theocratiam, ex eo iam suadetur, quia haec explicatio valde commodum sensum praebet; nam ex loco nostro perspicuum est, lapidem rudem et informem datum esse, iacere ante Iesum sacerdotem; in eum dirigi septem angelos, eumque demum sculptura efformari et perfici per Dominum. Iam ea omnia apte dicuntur de theocratia, si conceptu generali qui et veteri et novae ex illa exortae congruat spectatur. Idem ex nexu commendatur qui est inter v. 8 et 9. Messias enim adduci dicitur, *quia* talis lapis adest, qui demum insigni sculptura (— ecce, *ego* caelabo ! —) sit perpoliendus; iam Messias exspectatur rex venturus qui regnum Dei universale condat. Neque haec explicatio recedit a symbolo lapidis quale exhibetur ab Isaia (Is. 28, 16): Sion dicitur servari, quia in eius fundamentis positus sit lapis probatus, pretiosus, firmiter fundatus i. e. Sion non potest ab hostibus funditus deleri et exscindi, quia in se divinam continet destinationem, qua tamquam civitas Dei centrum sit regni divini messianici (vide quae notavi ad Is. l. c.). Ad hanc explicationem proxime accedere videtur *S. Ephraem*, qui lapidem dicit regnum vocari; neque ab ea abest *Sanct.* saltem quatenus super lapidem artificio et cura excultum fundatam esse dicit Ecclesiam, templum illustrius eo, in quod tunc Iesu sacerdotis incumbebat industria. Similiter de theocratia interpretantur *Schegg*, *Reinke*, *Trochon*, idque recte. Nam quod plerique proponunt, lapidem istum esse Messiam, hoc loco adeo *immediate* dici nequit, neque ex eo efficitur, quod alibi Messias dicatur lapis angularis et sim. Nostro autem loco, quo servus Domini Germen adducendus esse dicitur, quo pacto statim idem tamquam *lapis* posset designari, qui iam positus sit coram Iesu et qui divina sculptura sit perpoliendus? Adde, quod v. 9 de lapide particula *causali* coniunctus est antecedenti, ergo sensus efficeretur ineptus: adducam Messiam, quia iam dedi Messiam coram Iesu. Dixi tamen adeo *immediate* id non posse asseri. Minime enim in animo est negare, theocratiam quippe quae sit per Messiam condenda, posse eo modo dici Messiam, quo Ecclesia dicitur Christus vel corpus Christi, vel quae de theocratia dicantur, suo modo valere de capite et auctore theocratiae, cum eius caput et auctor et rex ab ea separari nequeat. Attamen aliud est loqui formaliter et primario de regno et per analogiam quandam vel consequentiam connexionis de ipso rege vel loqui directe et formaliter de rege. Hoc nego, illud concedo. Quare quae latini interpre-

tes dicunt de Christo caelato in passione vulneribus, plagis et vibicibus, ad sensum tantum accommodatum revocari possunt[1].

Aliqui septem oculos in ipso lapide insculptos apparuisse volunt. Sed hoc constare nequit. Nam neque cum eo concordat quod 4, 10 de septem oculis dicitur, neque cum lapidis caelatura, quae pro futuro tempore fieri perhibetur. neque intelligitur, quid septem oculi lapidi insculpti sibi velint. Alii septem oculos interpretantur septem dona Spiritus sancti (cf. Is. 11, 2 seq.) vel gratiae operationes, vel symbolum esse censent divinae providentiae et sollicitudinis (cf. *Theod. Sanct. Men.*); sed quamvis aliquid veri hae explicationes contineant, symbolum tamen non sufficienter elucidant neque satis cum locis parallelis apud ipsum vatem et in Apoc. cohaerent.

In hac theocratia a Deo efformata, quae veram peccatorum remissionem et deletionem praebet, pax aderit, concordia, securitas; v. 10 « *in die illa, dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum subter vitem et subter ficum* »; — plena reconciliatio cum Deo et culparum deletio non erit nisi post adductum Messiam, hoc indicatur nostro quoque loco ex nexu qui adest inter v. 8 et 9, hanc autem subsequitur pax, tranquillitas, concordia, gaudium, fiducia, securitas, quae omnia symbolice exhibentur eo, quod alter alterum invitare dicitur, ut subter vitem ac ficum vitam degat iucundam (vide Mich. 4, 4): quae imago vitam revocat sub Salomone pacificam atque felicem (3 Reg. 4, 25) et prorsus apta est ad veri Salomonis indolem repraesentandam : pacem meam do vobis; pax vobis.

Igitur etiam hac visione theocratia restituta exhibetur, quae demum opere et regno messianico sit perficienda; innuitur instituta vetera esse figuras et typos futurorum, esse umbram, quam demum vera bona consequantur; demum indoles spiritualis et vera sanctitas tamquam theocratiae illi propria et summa quaedam bonorum describitur, quam pax et securitas consequantur; ad hanc autem theocratiam gradum fieri et praeparationem fideli mandatorum Dei observatione, Iesus sacerdos edocetur (3, 7). Hisce sacer vates iam satis delineat *spiritualem* theocratiam. Id etiam magis in subsequentibus praestat. Quare Iudaei temporale regnum Messiae unice exspectantes clara prophetarum indicia neglexerunt.

---

1. Hebr. rite expressit *S. Hier.*; cf. Ez 28, 11. 21. 36, 39, 6. 14. 30. 1 Reg. 6, 29 etc. quibus in locis etiam LXX caelaturam, sculpturam γλύμμα, ἐκτύπωνα et sim referunt; h. l. autem praebent ὀρύσσω βόθρον. fortasse hebr. ad literam vertentes : aperiam aperturam. *Syrus* habet : aperiam portas (cf. פִּתַּח). *Aq.* διαγλύψω ἄνοιγμα αὐτῆς· *Sym.* γλύψω τὴν γλυφὴν αὐτοῦ· *Theod.* διαγλύψω τὴν γλυφὴν αὐτοῦ· Vide *M.* 16 c, 3003.

QUARTA VISIO : TEMPLI AEDIFICATIO CAP. 4.

ARG. — Visione de candelabro cum septem lampadibus, quibus a duabus olivis oleum subministratur, edocetur propheta Zorobabelem in Dei virtute omnia impedimenta esse superaturum neque bellico apparatu esse utendum (4, 1-7); ipsum cum magna omnium laetitia et angelorum subsidio adiutum aedificium templi esse perfecturum; olivis duabus designari duos filios olei assistentes Domino (4, 8-14).

a) **Armis et subsidiis spiritualibus est utendum 4, 1-7.**

In visione antecedenti vati exhibita est theocratia eiusque bona quae in peccatorum deletione, in pace et felicitate consistunt. Earum rerum contemplationi magna cum admiratione et stupore inhaesisse propheta censendus est, ita ut iis mens eius atque attentio plane fuerit occupata. Quare ut ad novam visionem percipiendam aptus fiat, excitatione aliqua ab angelo facta opus est : v. 1 « *Et reversus est angelus qui loquebatur in me et suscitavit me quasi virum qui suscitatur de somno suo* »; — cum tam explicite notetur *et reversus est angelus*, videtur allusio fieri ad 2, 3; ibi egressus est angelus i. e. in visione recessit ab intima illa cum vate quasi cohabitatione, quae verbo *loquentis in me* designatur, ita ut vates angelum cerneret aliquo spatio a se disiunctum. Nunc igitur angelus ad intimam illam cohabitationem revertitur, id quod etiam colloquio instituto confirmatur, quod in hoc capite eodem modo habetur, uti 1, 19 seq., dum a 2, 3-3, 10 talis collocutio non adsit. Et statim signum edit praesentiae suae angelus; suscitat i. e. ad novam visionem percipiendam efficaciter excitat et disponit vatem, a stupore et admiratione prioris visionis mentem eius excutiens (cf. *Hier. Rib. Lap. Men.*) et ad magnam novae rei attentionem et vigilantiam provocans (*S. Cyr.*). Cum explicite dicatur *quasi virum*... non erit cum *Schegg* et *Trochon* de somno cogitandum, quo propheta refectus fuerit et ex quo ab angelo suscitetur. Si cui somnus placuerit, de tali explicet quem Ieremias in visione se dicit esse expertum : « ideo quasi de somno suscitatus sum et vidi, et somnus meus dulcis mihi » (Ier. 31, 26) i. e. visionem suam et altissimam ac suavissimam rerum contemplationem dulcem somnum dicit.

Angeli reditum *Alb.* intelligit non de loco ad locum, sed solum de ostensione unius visionis ad ostensionem alterius. At ipsam visionem ab angelo tutelari et interlocutore ei esse exhibitam, non dicitur; sed visionis ostensae explicatio

ei subministratur ab eo angelo. Etiam *Sanct.* angeli reditum eum in modum accipit, ut is qui nunquam recesserat novum praesentiae suae vestigium et testimonium ediderit.

Iam ad visionem oblatam ut oculos mentis defigat, eum hortatur et cum eum suscitasset, certe etiam eius mentem exacuit et ei novam quandam et altiorem vim addidit (*Lap.*); v. 2 « *et dixit ad me : quid tu vides? et dixi : vidi, et ecce candelabrum aureum totum et lampas eius super caput ipsius et septem lucernae eius super illud et septem infusoria lucernis quae erant super caput eius,* v. 3 *et duaè olivae super illud, una a dextris lampadis, et una a sinistris eius* » ; — cernit igitur vates candelabrum totum ex auro factum eum fere in modum, quo in sanctuario templi candelabrum erat (cf. Ex. 25, 31-40 ; 37, 17-23), at aliquibus rebus mutatis ; nam super candelabrum erat *lampas eius* i. e. ex hebr. lecythus vel lenticula eius, phiala, vas aliquod concavum et sphaericum ad oleum continendum (cf. *Mar. Men. Gord. Calm.*) ; ex hoc vase ad singulas candelabri aurei *lucernas*, in quibus ellychnia insunt, oleum ad nutriendam flammam deducitur per totidem *infusoria*, i. e. per tubulos vel parvos canales seu fistulas sive meatus. Super eo eminebant duae olivae ad dexteram et ad sinistram *lampadis* i. e. vasis olearii sphaerici, quae olivae oleum subministrare censendae sunt vasi illi oleario in summitate candelabri conspicuo. Id ex ipsa arborum ratione vasi oleario adstantium consequitur et etiam clarius enuntiatur infra v. 12 ; nam conspiciuntur *duae spicae* olivarum, i. e. duo rami oleis pleni, qui sunt iuxta duos canales per quos oleum olearum in vas illud sphaericum et concavum maius iugiter infunditur (cf. *Vat. Mar. Calm.*).

Cum apud LXX λαμπάδιον, in vulg. *lampas* legatur, plerique veterum praeter septem candelabri lucernas in summitate candelabri aliam lucernam maiorem, lampadem scil. ardentem esse conspectui oblatam censent. At ea explicatio derelinquenda est, uti eam iam dereliquerunt *Vat. Mar. Men. Gord. Calm.* Nam hebr. גֻּלָּה significat fontem (cf. Ios. 15, 19. Iud. 1, 15, ubi *S. Hier.* irriguum vertit) vel aliquid globosi, rotundi (cf. 1 Reg. 7, 41. 42. 2 Chron. 4, 12. 13 ; locis prioribus *S. Hier.* vertit *funiculus*, rectius *epistylium* in posterioribus ; Eccl. 12, 6 *vittam* expressit). Ita intellexit *Syrus* vertens כפתא i. e. *volam*, vas designans concavum. Neque obstat latina vox *lampas* ; nam uti advertunt *Sanct. Lap.* (quamvis eam sententiam non sequantur) : « neque urget vox *lampas*, quam pro lenticula *vulg.* adhibuit, quia saepe res contenta pro continente sumitur per metonymiam, atque ideo lampas pro vase in quo lucere solet lampas, usurpatur ; quomodo saepe apud profanos auditur *lampas aenea, argentea* et similia. Quare qui ita hunc locum exponeret, nihil diceret aut contra hebr. textum aut contra vulgatam translationem ». Iam *Pagninus* vertit *lenticulam.*

Legitur in hebr. *septem et septem infundibula lucernis* i. e. septena infusoria singulis lucernis oleum ex ampulla maiore subministrabant, ita ut in universum adfue-

rint quadraginta novem infundibula. Repetitione enim hebr. numeralia distributiva exprimuntur, communiter quidem sine ו particula, at etiam cum ea, uti 2 Sam. 21, 20. 1 Chron. 20, 6 (cf. *Schegg*, *Keil*). Sed cum talis numerus aequo maior videatur, alii *septem et septem* quatuordecim explicant, alii per anadiplosin ita dici sentiunt, ut affirmationis gratia iteretur : septem, lucernae super illud, septem, inquam, sunt et septem infusoria (cf. *Vat. Sanct. Lap.*). Ceterum notandum est, quamvis codices hebr. omnes habeant hanc repetitionem (— unus omittit ו particulam ; cf. *Schegg*) et ea etiam cernatur apud *Syrum* et *Chald.*, illam tamen apud LXX non exprimi, neque eius fieri mentionem in commentariis *S. Hier.* Si septena infundibula assumere placet, designatur singulis lucernis abundantissime oleum affluere ad magnas flammas nutriendas [1].

Huius symboli explicationem vates ab angelo interprete exquirit ; v. 4 « *et respondi et aio ad angelum qui loquebatur in me, dicens : quid sunt haec, domine mi ?* v. 5 *et respondit angelus qui loquebatur in me, et dixit ad me : numquid nescis, quid sunt haec ? et dixi : non, domine mi* » ; — « angelus eum nescire illorum significationem propemodum obstupescit et num vere nesciat, interrogat. Propheta ignorantiam aperte confitente et tarditatem suam non erubescente obscuritatem visi deinceps enucleat et tamquam ex imagine manifesta et in oculis incurrente scopum in ea latentem explanat » (*S. Cyr.*) ; fortasse rectius dices cum *Rib.* repetitionem ab angelo fieri, ut vatem praeparet ad attentius audiendum et studium discendi acuat ; alii tamen cum *S. Cyr.* admirationem angeli expressam cernunt, quod vates ea non statim perspiciat, quamvis prophetiae eius argumentum spectent, et comparant Ioan. 3, 10 : « tu es magister in Israel et haec ignoras » (cf. *Lap.*) ?

Iam explicatio visionis per angelum subditur : v. 6 « *et respondit et ait ad me dicens : hoc est verbum Domini ad Zorobabel dicens : non in exercitu nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum* » ; — « sermo Dei ad Zorobabel ipse est interpretatio visionis », uti optime dicit *S. Hier.* ; cum enim, prout notat *Theod.*, propheta percontaretur, quarum rerum figura et aenigmata essent, quae fuerant demonstrata, angeli responsio necessario illarum refert explanationem, eam quidem non per singula membra incedentem et ut ita dicam *verbalem*, *formalem*, verum rei summam exprimentem et *realem*. Ne igitur confidat in exercitu vel apparatu bellico et humana fortitudine ; non hisce res esse gerendas, non ad horum normam rempublicam esse instituendam, verum omnia esse dimetienda, gerenda, administranda in spiritu Dei ; Dei favorem unum esse adminiculum, Dei voluntatem unam normam. Proinde

1. Quare ea ratio, qua *Hitz.* textum hebr. secundum LXX h. l. corrigendum esse vult, quia scil. numerus qui excedat septenarium, et temere assumatur et concinnitatem perturbet neque aliquid habeat significationis, certe rem non evincit.

indoles spiritualis surgentis novae theocratiae quam maxime indicatur. Haec verba, ut monet *S. Cyr.*, ducem revocant ab humanis frivolisque cogitationibus, eum deterrent ab expeditionibus bellicis, ne tali ratione adminiculis humanis et humano modo theocratiam stabiliri posse opinetur, et omnia in uno Dei auxilio et consilio esse constituenda docent. Haec verba Zorobabeli tamquam tessera proponuntur, qua in omni negotio et in tota rerum administratione ac gubernatione utatur et qua unice omnia disponat et in restituenda theocratia laboret. Pars prior clare quoque proponitur Mich. 5, 10-14; pars altera Soph. 3, 17 et saepe.

Ex hac norma generali statim pro conditione praesenti applicatio fit; omnia obstacula scil. et impedimenta quae templi fabricam obruere videntur, iri superatum et remotum : v. 7 « *quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum! et educet lapidem primarium et exaequabit gratiam gratiae eius* » ; — pars prior promissionem continet amplam : etsi Zorobabeli opponantur montes, obstacula gravissima, potestates adversariae vel gentes quae eum ab opere incepto theocratiae restituendae retrahere et impedire conentur, haec omnia uno verbo ac nutu Dei dissipabuntur; mons ille subito tolletur et in planum redigetur. Mos loquendi per interrogationem et brevis atque abruptus per modum imperii et iussionis valde est emphaticus; depingit, quantopere summum quodque obstaculum quasi nihil sit despiciendum et quam facile ac cito a Deo possit removeri et quam certo sit auferendum. Montem magnum multi interpretantur *diabolum* (*S. Hier. Cyr. Rup. Rib. Sa, Tir.*; regnum chaldaicum (?) vel diabolum *Alb.*) ; alii generatim adversarios vel vim hostilem [1] (*Theod. M. Sanct. Lap. Men. Gord.*) vel speciali ratione gentes templi fabricam impedientes (*Theod.*) ; omnes isti simul intelliguntur, quia quidquid Zorobabeli eiusque operi negotium facessere possit a Deo conterendum promittitur. Ita scil. spiritus Dei suam exhibet efficaciam (cf. Is. 40, 4 ; 49, 11. Ier. 51, 25).

Hoc vero auxilium particulari ratione cernetur in templi fabrica quam Zorobabel feliciter perficiet : *et educet lapidem primarium.* Hac locutione intelligi templi fabricam, omnes consentiunt. Sed quid proprie sit educere lapidem capitis vel primarium, non ita obvium est. Multi intelligunt illum qui totum aedificium absolvat, lapidem culminis, qui in fastigio collocetur ad finem fabricae imponendum (cf. *Sanct. Lap. Gord. Calm. Keil, Trochon*). Verum num talis lapis supremus ad fastigium absolvendum revera notus erat veteribus? Valde dubito ; nam de fornice

1. *Chald.* fert : quid tu reputaberis regnum stultum (malum) coram Zorobabele? regnum Persarum intellexisse videtur.

aedificando, in quo talis lapis summus et opus concludens adhiberi solet, hoc loco certe non est sermo. Quare significatio de lapide angulari erit retinenda (cf. *Rib. Ros. Ges.* Thes. 1251, *Schegg*); is vero *educetur* et tamquam lapis angularis revera consistet, si aedificium ei innititur; quare fabricae templi continuatio et absolutio indicari videtur. Haec autem *eductio* fit ex hebr. cum faustis acclamationibus adstantium : *gratia, gratia ei* i. e. feliciter sit positus, faveat ei Deus (cf. *Rib. Sanct. Mar. Calm.*). Sensus iste ex hebr. planus est ac facilis; obscurus ac impeditus ex *vulg. exaequabit gratiam gratiae eius*; explicant : gratiam et splendorem huius templi aequalem faciet gratiae prioris (cf. *Sanct. Men.*); at hoc verum non est; si templum consideras, inferius est priore; si dignitatem eius ex Agg. 2, 8, superior erit gloria eius; alii : decus addet decori (*Calm.*); alii : beneficium fabricae absolutae erit aequale beneficio inchoationis; ea prosperitate perficiet, qua coepit (*Tir. Gord.*) etc.

S. Hier. secutus esse videtur versionem graecam : ἰσότητα χάριτος χάριτα αὐτῆς· etiam *Aq.* habet ἐξισώσει χάριτος, ut legitur *M.* 16 c, 3003, vel ex *Middeldorpfio* p. 558 ἐξισώσει χάριτα· vel, uti *Field* (Orig. Hex. II, 1020) rem exhibet : *Aq.* ἐξισώσει χάριτος — cod. 86 syrohexaplaris affert *Aq.* ἐξισώσει χάριν nomine ἐξισώσει pro verbo male habito —, *Sym.* πρὸς χάριν αὐτῆς — cod. 86 αὐτοῦ —, *Theod.* κατάπαυσις, κατάπαυσις αὐτῇ — cod. 86 αὔτη. Unde hebr. תְּשֻׁאוֹת derivarunt a שָׁוָה *aequale, planum esse,* non a שׁוא vel potius שָׁאָה. Ceterum vocem תְּשֻׁאָה *S. Hier.* vertit Is. 22, 2 *clamorem,* item Iob 39, 7. *Syrus* totam sententiam reddit : et protulit lapidem praecipuum aequalitatis et misericordiae; id quod *S. Ephraem* de concordia accipit et amore subditorum in ducem Zorobabel. *Chald.* autem hanc partem ita explanat : revelabit (*Deus*) Christum suum, cuius nomen dictum est ab aeterno et qui dominabitur in omnia regna. Manifesto lapidem primarium interpretatur Messiam.

Audita angeli explicatione v. 6 ratio visionis accuratius est perpendenda. Quae angelus explicavit, certe facem praeferre debent; at ea valde brevia sunt et concisa, ita ut *Lap.* scribere non dubitet : « symbolum candelabri explicat angelus, sed tam concise et obscure, ut Oedipo sit opus ». Quid candelabrum sibi velit, optime explicabimus, si cum *Rib.* advertimus, Apoc. 1, 20 dici : « candelabra septem septem ecclesiae sunt ». Unde candelabrum symbolum est populi theocratici. Candelabrum in sanctuario positum et iugiter accensum coram Domino apte designat populum theocraticum, qualis esse debet, lucens scil. coram Domino et lucem cognitionis divinae ad tenebras ignorantiae et iniquitatis dispellendas aliis diffundens et afferens. Quare discipulos suos Christus vocat lucem mundi, omnesque exhortatur : luceat lux vestra etc., et S. Paulus dicit homines christianos lucere sicut luminaria in mundo (Phil. 2, 15). Cum igitur candelabrum aureum obiiciatur menti prophetae eo sane consilio, ut ex ea visione Zorobabel dux edoceatur (— v. 6 hoc est verbum Do-

mini ad Zorobabel —), hoc symbolo designatur, qualis ex Dei voluntate esse debeat theocratia instaurata; debet scil. esse sicut candelabrum in sanctuario iugiter ardens et lucens coram Domino; ex qua re indoles theocratiae spiritualis clare elucet; neque enim symbolo bellico neque re mundana theocratia exprimitur, sed re sacra ad Dei cultum pertinente et in sanctuario collocata. Ex *auro* totum erat candelabrum confectum; quo facile declaratur, quanto in pretio sit apud Deum populus theocraticus, sed simul eo symbolo admonitio continetur, ut se purum ac sanctum conservet populus Dei.

Septem lucernis est instructum ex similitudine cum candelabro in sanctuario; septem lucernis vel varia exhibentur et multiplicia opera, quibus populus lucere debeat coram Deo v. g. septem virtutibus (tribus theologicis, cardinalibus quattuor, i. e. omnibus) vel quovis tempore i. e. iugiter theocratia coram Deo lucens; numero enim septenario temporis divisiones apud Hebraeos reguntur hebdomadum vid. annorum sabbaticorum et annorum iubilaeorum et in universum sacer iste numerus multitudinem atque copiam designat (vide ad Mich. 5, 5). Ut autem septem lucernae lucere possint per totidem canales eis oleum subministratur, vel ex textu hebr. singulis per septenos canales i. e. quam abundantissime. Oleum apte designat influxum et gratiam divinam; est enim oleum, unctio symbolum virtutis, fortitudinis, roboris, laetitiae, quae infusione et communicatione spiritus Dei animis hominum induntur (cf. Ps. 22, 5; 44, 8; 88, 21. Is. 61, 3); inde actio unctionis regum et sacerdotum et unctio fidelium per Spiritum sanctum (2 Cor. 1, 21. 1 Ioan. 2, 20. 27) explicatur. Oleum lucernis continuo affluens eandem exhibet imaginem ac vitis iugiter sucum suum transfundens palmitibus (cf. Ioan. 15, 1. 5). Oleum autem continuo affluit ex una ampulla, in quam ex duabus olivis immittitur.

Duae olivae vel duo rami oleis pleni per duos tubos oleum suum transfundunt in unam ampullam, ex qua omnibus lucernis praesto est. Accedit igitur symbolica repraesentatio maxime ad rerum naturam; oleum enim ex oleis exprimitur. Duae olivae vel duo rami oleis pleni ab angelo v. 14 explicantur « duo filii olei qui assistunt Dominatori universae terrae »; et sunt duae dignitates theocraticae per quas Deus suae gratiae auxilia populo suo communicari vult, sacrum scil. regimen et sacerdotium; ista assistunt Domino, quatenus ab eo sunt instituta, ut iis demum regnum Dei in terris constituatur, propagetur et homines per sacrum imperium et sacerdotium expientur, reconcilientur cum Deo, erudiantur in viis Domini et efficaciter ad Deum ordinentur et dirigantur. In sacerdotio et sacro imperio vel in duplici potestate sacerdotali et regali omnis theocratia quasi in suo cardine vertitur; hanc duplicem potestatem Deus in

vetere instituit, eandem Christus in nova retinuit et ex indole novae et sublimioris theocratiae altiore ac sublimiore dignitate, auctoritate, efficacia exornatam voluit. Per hanc duplicem potestatem demum verissime oleum, ope cuius lucerna lucet coram Deo et hominibus, distribuitur; per eam enim hominibus, *veritas* et *gratia* communicatur i. e. illustratio intellectus et robur voluntatis, ut et agenda cognoscant et quae cognoverint opere exsequi valeant. Quantopere id in nova theocratia, i. e. in novo foedere verum sit, expositione non indiget, cum constet bona supernaturalia fidelibus per duos illos canales via ordinaria ex Christi institutione affluere; idem autem, quantum umbrae et figurae ratio postulat vel patitur, in vetere theocratia obtinuit. Regnum et sacerdotium instituit Deus, ut utriusque ministerio fideli et populus regatur et Deo tamquam populus sanctus sistatur.

Neque significatione carere videtur, quod duae olivae in *unum* vas olearium oleum infundunt, ita ut ex uno omnes lucernae alantur. Duae enim hae potestates non solum intime inter se nectuntur, sed etiam ex Dei consilio et natura rei virtutem et efficientiam suam ita unire debent, ut unus aliquis fons auxiliorum coelestium pro populo exsistat. Sunt quidem sacrum imperium et sacerdotium instrumentum duplex, quorum utrumque proprios habet effectus; at nihilominus actiones eorum in unum convergunt et ut habeatur totus effectus qui ad finem requiritur, scil. ut adsit sanctitas illa lucens coram Deo et hominibus, opus est actione utriusque *coniuncta*, sicuti opus est pro vita rationali intellectu et voluntate, pro vita supernaturali veritate et gratia. Quantum hoc verum sit in theocratia novi foederis i. e. quantopere potestas iurisdictionis et ordinis inter se compleant, iuvent, unum fontem auxiliorum integrum pro fidelium necessitatibus constituant, adeo manifestum est, ut innuisse sufficiat.

Igitur hoc symbolo candelabri et olivarum indoles *spiritualis* theocratiae quam clarissime exprimitur. In sanctuario coram Deo lucet candelabrum; aluntur eius lucernae duplici illa potestate theocratica, quae *qua talis* [1] a Deo est instituta, nomine et auctoritate Dei agit et a Deo vim et virtutem accipit. Quare angelus v. 6 veram symboli significationem iis verbis est complexus, quibus omnia esse agenda, dimetienda indicat non auxiliis et normis humanis, sed virtute illa et regula,

1. Rex scil. theocraticus non suo nomine regnum administrat, sed electus est a Domino, *ut sederet in throno regni Domini super Israel*, ut sederet *super solium Domini* (1 Par. 28, 5; 29, 3; cf. 2 Reg. 7, 26. 1 Par. 17, 24); idem indicatur symbolo annuli signatorii cf. Ier. 22, 24. Agg. 2, 24; idem innuitur Ez. 21, 25-27 et generatim satis claro effertur, quoties rex dicitur *pascere populum Dei*; cf. 2 Reg. 5, 2; 7, 7. 1 Par. 11, 2. Ps. 77, 71. Ier. 23, 2.

quae spiritu Dei constituitur. In novo autem foedere cum Christus sit rex et sacerdos et ab eo omnis potestas regiminis sacri et sacerdotii ultimatim sit derivanda, in manifesto est positum, in quantum valeat angeli monitum : uno spiritu Christi cuncta geri et animari.

Haec symboli explicatio commendari videtur, quia 1° verbis angeli omnino concordat, ita ut ea non sint nisi necessaria conclusio ex re repraesentata ; 2° apte et obvie ad res in visione exhibitas accommodatur ; 3° magnam partem iam a veteribus est proposita. Candelabrum enim Ecclesiam interpretantur *S. Hier. Cyr. Rib. Sanct. Sa, Lap. Est. Men.* et iam *S. Hier.* explicite asserit, ab ecclesiasticis viris in commentariis hanc tradi explanationem ; duas autem olivas esse regnum et sacerdotium tradunt *Theod. Theod. M. Iacobus edessenus* (legitur in opp. S. Ephraem, II p. 289), *Sanct. Lap.* ; iis quoque iure adnumerantur ii, qui Iesum sacerdotem et Zorobabelem intelligunt : *S. Ephr. Barh. Mar. Men. Tir. Gord. Calm.*, quia in istis duobus potestatem theocraticam exhiberi ac repraesentari omnino censent.

Ceterum in explanatione magna cernitur varietas. Iam *S. Hier.* postquam varias explanationes proposuit, ita concludit : « haec ut quivimus et ut vires ingenioli nostri ferre potuerunt, locuti sumus, et Hebraeorum et nostrorum varias opiniones breviter perstringentes ; si quis melius immo verius dixerit, et nos libenter melioribus acquiescimus » (*M.* 25, 1447). Delectum aliquem ex variis expositionibus esse faciendum et aliqua a nullo adhuc dicta adiungi oportere, etiam *Rib.* asserit : « decerpam itaque in hac visione et in reliquis quae supersunt, quod mihi in unoquoque videbitur probabilius, et addam alia quae deerunt, ut plenam atque integram expositionem habeamus » ; et *Sanct.* fatetur : « incidimus in locum qui diu optima torsit ingenia, neque tamen e multis explicatio est ulla quae curioso ac studioso lectori omnino satisfaciat ».

Plerisque visio symbolica reddebatur explicatu difficilior, quia in summitate candelabri lampadem ardentem adesse ex textu graeco et latino censebant hancque Christum interpretabantur ; ita viam sibi occluserunt, qua quid sibi vellent duae olivae intelligerent (cf. *Cyr. Rup. Rib. Sanct. Est.*). Unde duas olivas ad merum fere ornatum adstare facile quis coniectare posset ; illas Moysen et Eliam, legem et evangelium, Iudaeos et gentes, Enoch et Eliam, immo et Filium Dei et Spiritum sanctum interpretati sunt (cf. apud *S. Hier. Cyr. Alb. Rib. Est.*) et etiam ii, qui regnum et sacerdotium exponebant, veram symboli vim non clare efferunt, quia ab olivis oleum derivari ad alendas lucernas non attenderunt, vel quia lampadem Christum interpretantes ab olivis in Christum oleum derivari tamquam rem absurdam reiicere cogebantur.

Alii in candelabro non Ecclesiam cernunt, verum divinam gratiam et providentiam (*Theod. Theod. M. Mar. Tir.*), vel Christum (*Rup.*), vel spiritum Dei (*Schegg*). Unde in lucernis quoque et infusoriis explicandis in varias partes discedunt. Divinae providentiae assiduitatem, perpetuitatem, liberalitatem *Theod.*

cernit adumbratam, item *Schegg*; *Cyr.* vero Apostolos, *Rib.* iustos et septem sacramenta; sim. *Sanct.* etc.

Ad explicationem quam proposuimus prope accedunt *Calm. Trochon* (cf. etiam *Reinke*, Die mess. Weissag. IV, 2. p. 52), praeter eos qui, ut supra commemoravi, saltem rei summam eodem fere modo accipiunt interpretantes cande labrum de Ecclesia et duas olivas de regno et sacerdotic

b) Templi aedificatio 4, 8-14.

Repetita assertione eonfirmatur promissio v. 7 data. Specie et figura quadam theocratiae proposita et indole eius in universum depicta apte subiungitur, quaenam sint praecipuae Zorobabelis partes in eo opere. Ut enim theocratia vetus rite restituatur, et consistat, praeprimis opus est templo (vide quae dicta sunt in prolegg. ad Aggaeum); unde v. 8 « *Et factum est verbum Domini ad me dicens:* v. 9 *manus Zorobabel fundaverunt domum istam et manus eius perficient eam; et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos* »; — verba sunt angeli, uti patet quia se dicit missum a Domino exercituum ad nuntium hunc perferendum; cf. 2, 9; non esse verba prophetae ex eo colligitur, quia sermo integer a v. 8-10 propter v. 11 ad angelum loquentem referri debet.

Ex templi autem restitutione agnoscant et pro certo habeant, reliqua quoque quae de theocratia dicta sint suo tempore certo iri impletum. Templi fundamenta iecit Zorobabel « anno secundo adventus eorum mense secundo » Esd. 3, 8-13; verum mox a gentibus opus inceptum impediebatur, Esd. 4, 1-5. 24: « tunc intermissum est opus domus Domini in Ierusalem et non fiebat usque ad annum secundum Darii regis Persarum ». Post vaticinia et admonitiones Aggaei, quae fiebant anno secundo Darii mense sexto die primo et mense septimo die vigesimo primo (Agg. 1, 1-2, 10), haec visio mense octavo novos addidit animos et nova etiam calcaria ad opus Dei aggrediendum.

Subiungit angelus parva et exilia initia non esse parvi facienda; adfore opem divinam copiosam: v. 10 « *quis enim despexit dies parvos? et laetabuntur et videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel. Septem isti oculi sunt Domini qui discurrunt in universam terram* »; — hebr. *quis enim despexit diem rerum parvarum*? i. e. diem quo solummodo res parvae fiunt; dicuntur dies *magni, parvi* metonymice, in quibus magna vel parva contingunt [1], vel qui sunt viles et despecti prae magnis et magnificis illis, quibus Salomon aedificavit templum prius (*Lap.*). Monet

---

1. Uti *Chald.* addit: propter aedificium quod sit exiguum.

igitur angelus, ne parva initia templi rerumque difficultatem veriti animis cadant, ne illa contemnant aut grandia enasci posse negent. Cum enim tam praeclaris vaticiniis, quae hisce visionibus continentur, per Deum erudiantur et erigantur, quis audebit parva illa initia flocci facere et quis non potius firma fide et fiducia sibi persuadebit, Deum qui *ex nihilo* condidit universa, ex parvis initiis magnificam esse educturum molem, quo eius potentia et gratia tanto magis eluceat, quanto minus spes aderat ex subsidiis humanis? Interrogatio ergo *quis*... est indignantis et prohibentis vel admirantis post talia promissa posse quemquam cum pusillanimitate de rerum conditione exili angi et perturbari. Quid potius praestandum sit et quid aequus rerum iudex sentire debeat, effert dicens : cum laetitia et gaudio videbunt perpendiculum [1] in manu Zorobabelis i. e. aedificantem cernent laetabundi; cum enim perpendiculum mittitur, iam paries fit (*Rib. Sanct. Lap. Sa, Mar. Men. Tir. Gord. Calm.*). Et eos iuremerito laetari debere declarat addens, septem oculos Domini dirigi in tale opus i. e. septem angelos Domini qui adstant coram Domino et praecipui sunt rerum administratores Deique in gubernatione ministri, opus illud suo favore prosequi, suis auxiliis promovere (cf. *Rib. Sanct. Lap. Tir. Calm.*); cf. 3, 9. Apoc. 5, 6 dicuntur septem oculi « septem spiritus Dei missi in omnem terram »; quare etiam h. l. de angelis esse interpretandum censemus, dum alii curam et providentiam Dei ita depingi volunt (cf. *S. Cyr. Theod. Theod. M. Mar. Trochon*), vel septem moderatores et principes iustos vel septem Spiritus sancti operationes (*S. Ephr.*), vel septem declarari lucernas (*Schegg*).

In alium sensum interrogatio inflectitur a *S. Hier.* : « qui despexerint dies parvos (hoc autem refert ad regiam potestatem, ut commoneat Zorobabel et Iesum et populum aedificantes templum Dei nequaquam adversarios timere prohibentes, sed audire Dominum cohortantem), ex eo quod despiciunt regale fastigium, laetabuntur et videbunt auxilium Salvatoris »; sim. *Haimo*. Aliter *S. Cyr.* : « si quis parvos et paucos dies medios despexerit sive nihili duxerit dilationem non moestus propter hoc, omnino omni laetitia replebitur ». *Theod. Theod. M.* legunt non μικρὰς ἡμέρας, sed μακράς diesque longos refert *Theod.* ad annos septuaginta, per quos Deus despiciens Ierusalem ad vastitatem urbem condemnarit, *Theod. M.* moneri censet audientes, ne putent vaticinia haec multo post tempore esse eventura.

Secundum accentuationem textus hebr. *mas.* ita iungitur : cum laetitia vi-

1. Notat *Sanct.* stanneum lapidem esse perpendiculum, quo fabri altitudinem explorent et examinent, communi pene sententia intelligi; neque obstare *lapidis* nomen; nam esse etiam mensuram architectonicam colligi ex Is. 34, 11 et lapidem pro mensura sumi ex pluribus patere locis Lev. 19, 36. Deut. 25, 13. 15. Prov. 20, 10. Lapidem stanneum tamen Christum interpretantur *S. Cyr. Hier. Haimo, Rup. Alb.*

dent perpendiculum in manu Zorobabel septem illi, oculi Domini, isti discurrunt per omnem terram. Est ergo oppositio : homines parva illa initia despiciunt, verum enimvero septem spiritus Domini laetantur, prospicientes scil. ad quam laetum exitum illa sint perducenda; vel quis audeat despicere, dum spiritus coelestes laetantur? Sensus hic utique non erit spernendus, eumque recentiores fere sequuntur (cf. *Ros. Keil, Trochon*). At veteres : LXX, *Syrus*, *Chald.* coniungunt, uti *S. Hier.* atque hic modus ex ipsa verborum collocatione simplicior est ac planior etiam in hebr., quare etiam *Hitz.* fatetur prope esse ad manum, ut quis verba *isti septem* cum sequentibus coniungat.

Responsione angeli v. 6. 9 intellexit vates *candelabrum lucens* symbolum esse theocratiae per Dei spiritum instaurandae hancque instaurationem expostulare *templum*, quippe quod sit vehiculum cultus divini, unionis omnium inter se et pignus coelestium beneficiorum Deique cum populo suo commercii. Restat, ut de duabus olivis quaerat; v. 11 « *et respondi et dixi ad eum : quid sunt duae olivae istae ad dexteram candelabri et ad sinistram eius?* v. 12 *et respondi secundo et dixi ad eum : quid sunt duae spicae olivarum quae sunt iuxta duo rostra aurea, in quibus sunt suffusoria ex auro* »? — secunda quaestio priorem magis determinat; perspexit enim vates, olivarum significationem potissimum eo contineri et repraesentari, quod duobus ramis oleum infundunt in duos tubos vel canales; in hebr. enim legitur : *quid duae spicae olearum quae iuxta duos canales aureos effundentes de se aurum*? i. e. duae spicae vel, ut *S. Hier.* bene explicat, duo rami sunt super duo rostra aurea, quae graece μυξωτῆρες appellantur, vel sunt « in manu duarum narium » [1], imminent duobus epistomiis et ista epistomia effundunt *aurum* i. e. liquorem auri instar flavum et fulgentem [2], oleum igitur purissimum ac optimum *desuper ipsis* (hebr.) defluens ex ramis olearum (vel ut hebr. etiam concipi potest : oleae demittunt de se liquorem aureum).

Cur secundo vates interroget, varie explicant; angelum noluisse respondere, quare vatem denuo atque instantius rogare, censent *S. Hier. Sanct. Men. Tir. Calm.* et addit *Lap.* angelum tacuisse, ut in propheta acueret desiderium cognoscendi symbola. Quaestionis immutationem aliter explanat *S. Cyr.* : « duas olivas

1. Uti *Syrus* habet. Aliqui ἀπ. λεγ. interpretantur de prelo ex quo oleum exprimitur; sed gratuito id asseritur. Veteres *canales, rostra* explicarunt, quae explicatio etiam a *Chald.* fertur et h. l. et Esth. 2, 1. 2; cf. *Levy*, Chald. Woerterb. I 50. II 333. Quod vero oleum in rerum natura exprimi debet ex olivae fructibus, non efficitur, ut id quoque in visione fiat; quare etiam non valet quod *Lap.* vult, oleum ex oleis in visione non provenire, quia desit prelum.

2. Haecque metaphora obvia esse potest Hebraeis, apud quos oleum יִצְהָר i. e. *splendens* dicitur.

nominavit in principio ; sed mentis oculo acutius visa intuitus non amplius olivas sed ramos olivarum nominat ». Censet *Rib.* : « quia alia quaerenda occurrerunt antequam angelus respondeat, omnia quaerit, ut ad omnia respondeat, quamvis ille ad praecipuam solum quaestionem respondeat cetera prophetae relinquens meditanda et ex dictis intelligenda ». Repetita quaestio certe indicium est magno teneri vatem rem penitus perspiciendi desiderio (cf. *S. Cyr.*).

Angelus mirari videtur, quod olivarum symbolum vates non perspiciat, cum tamen sciat, unde theocratiae divini favores affluant et qua duplici potestate divinitus ordinata consistat; v. 13 « *et ait ad me dicens : numquid nescis, quid sunt haec? et dixi : non, domine mi;* v. 14 *et dixit : isti sunt duo filii olei qui assistunt Dominatori universae terrae* » ; — cf. v. 5 et explicationem ad v. 6 datam ; filii olei dicuntur, quia vocatione Dei et unctione spiritus Dei ad munus theocraticum vocantur. Sunt qui olivas duas regnum et sacerdotium, duos ramos Zorobabel et Iesum sacerdotem, utpote eo tempore munera illa obeuntes designari volunt (cf. *Theod. M.*). Domino assistunt ; « assistentia hoc loco familiaritatem et promptam voluntatem ad ei obtemperandum ministrandumque significat » (*S. Cyr.* sim. *Rib.*).

Sicut visione tertia (cp. 3) Iesus sacerdos, ita hac visione quarta Zorobabel dux sollemniter de munere suo edocetur. Aptissime post urbis aedificationem (cp. 2), ea exhibentur, quibus Deus uti vult ad theocratiam instituendam et quibus ipsa theocratia potissimum constat. Ita in ipsis visionibus adest nexus et certa quaedam rerum inter se consequentium series.

QUINTA VISIO : ABLATIO INIQUITATIS POPULI CAP. 5.

ARG. — In volumine seu longa charta volante cernit vates maledictiones quibus Deus peccatores est deleturus (5, 1-4). Ipsam dein videt iniquitatem quasi colligi atque recondi in modio et a terra sancta asportari in terram Sennaar, ubi stabilem figat sedem (5, 5-11).

a) **Impii interibunt 5, 1-4.**

Ostensa est prophetae urbis aedificatio templique instauratio simul cum utriusque potestatis theocraticae, sacerdotalis scil. et civilis, sanctificatione et ad munus obeundum institutione sacra. Id in antecedentibus capitibus considerandum nobis est propositum. Iam ut theocratia plena et perfecta sua forma absolvatur et absoluta prophetae menti sistatur secundum imaginem suam coelestem, relinquitur, ut populus theocraticus

ab inquinamentis purus et integer exhibeatur. Sanctitas enim illa, quam indolem esse theocratiae perspeximus et quam in Iesu sacerdote et Zorobabel duce adumbratam et institutam vidimus, etiam in populum redundare debet, cui haec praeprimis doctrina est inculcanda, vera demum sanctitate sola, non sanguinis cognatione unumquemque beneficiorum restitutae theocratiae fore participem. Quare in priore huius visionis parte iudicium Dei ostenditur gravissimum, quo impii maledictionibus obruti funditus delebuntur. Salutari enim timore omnes percelli oportet, quo efficaciter a peccatis retrahantur; est enim initium sapientiae timor Domini; simulque cavendum est, ne Iudaeis falsa quaedam fiducia atque praesumptio propter generis iudaici electionem et adoptionem divinitus factam inhaereat; ad quod quam proni fuerint, tristis illa experientia Christi tempore facta abunde docet: nos filii Abraham sumus, quo uno titulo se Deo gratos esse regnique eius heredes quasi necessarios se iactare solebant.

Quare quae sors etiam intra theocratiam peccatores maneat, prophetae ostenditur; v. 1 « *Et conversus sum et levavi oculos meos et vidi, et ecce volumen volans;* v. 2 *et dixit ad me: quid tu vides? et dixi: ego video volumen volans; longitudo eius viginti cubitorum et latitudo eius decem cubitorum* »; — hebr. intellige: *et iterum levavi oculos meos*; rursus scil. mens eius et attentio avocatur ad aliam visionem percipiendam; videt autem *volumen volans* i. e. volumen expansum et volans vel magnam quandam membranam ad iustum volumen more veterum circa cylindrum convolvendum aptam per aerem ferri. Quam visionem ut attente consideret, angelus interpres monet. Accuratius eam intuitus vates longitudinem latitudinemque quanta sit deprehendit. Numeros igitur non fortuito et quasi casu poni, ex angeli interrogatione colligi videtur; interrogat enim angelus, *postquam* vates iam oculis mentis volumen volans percepit, qua interrogatione nihil aliud innuitur, nisi ut attente speciem oblatam qualis sit consideret et singula quaeque notet ac sibi describat contemplatione. Sed quid numeris istis lateat, difficile dixeris. Vix tibi satisfactum senties, si qui dicunt magnitudinem ac multitudinem maledictionum designari in genere, quae tantam requirant membranam in qua scribantur (*Mar. Tir. Gord.*). Si numeros istos in sacra historia inquisierimus, eos deprehendimus 1° in structura sanctuarii tabernaculi, quod Ex. 26. 36 describitur; 2° in porticu templi quam Salomon aedificavit (3 Reg. 6, 3); 3° in figura cherubim in templo; erant enim decem cubitorum altitudinis (3 Reg. 6, 23-26) eorumque alae viginti cubitis extendebantur (2 Par. 3, 11); 4° in altari aeneo holocaustorum, quod erat viginti cubitorum longitudinis et decem cubitorum altitudinis (2 Par. 4, 1). Ad unum ex istis

allusionem fieri, probabile videtur. Apparet scil. maledictionis scriptura eadem mensura, qua Iudaeis olim exhibebatur reconciliationis et expiationis instrumentum in altari holocautomatum, vel qua sanctuarium et aditus ad sanctum sanctorum erat institutum; utrumque negligunt peccatores; quare iis eadem mensura et iusta talionis poena maledictio proponitur. Quare numeros hos ad sanctuarium et altare holocaustorum (illud tabernaculi, templi Salomonis hoc) referri, non plane incongruum videtur. In porticu autem Solomonis typicam significationem adesse vix tibi persuadebis; facilius similitudinem vel analogiam potius e contrario in cherubim exploraveris; uti enim illa templi erant ornamentum et arcam foederis obumbrantia tegebant et quasi custodiebant; ita populus theocraticus *debuit* esse in Dei habitaculo et consistere coram Deo quasi ornamentum sacrum [1] in nomen et in laudem et in gloriam eius et tamquam fidelis foederis eiusque legum custos. Quod si negligunt, iure merito maledictio eis apparet in mensura cherubim, custodum ac vindicum foederis et ultorum scelerum (cf. Gen. 3, 24).

Hac in re varia apud interpretes feruntur. *S. Hier.* tristibus laeta sociari existimat, « ad hoc enim Dominus corripit, ut emendet; in vicesimo (numero) qui ex duabus decadibus efficitur, austera et tristia nuntiantur, in decimo i. e. in una decade meliora et prospera » [2] et addit: « legi viginti cubitos longitudinis et decem latitudinis ad aetatem referri Salvatoris i. e. tricenarium numerum efficere, quod non iudicet Pater quemquam sed omne iudicium dederit Filio ». *Alb.* culpas mensurari dicit trangressione *decalogi*, in duplum autem poenas; « poenae enim duplices fuerunt scil. famis et pestis intus et gladius hostis captivantis extra ». *Rup.* numeros haud inepte refert ad triginta maledictiones in Deuteronomio (cp. 28) et in Ps. 108 descriptas; triginta enim numerari ait, quarum prima sit: « mittet Dominus super te famem », tricesima: « ipse erit in caput et tu eris in caudam »; « in Ps. quoque 108 si diligenter computes, maledictiones totidem invenies quarum prima: « constitue super eum peccatorem », ultima est: « et induantur sicut diploide confusione sua »; idem etiam 30 argenteorum mentionem infert, de quibus quoque *S. Ephr.* Eam mensuram alii referunt

1. Cf. Ier. 13, 11; quo loco populus Israel cingulo comparatur, quo Deus se cingere et ornare voluerit: « sicut enim adhaeret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi omnem domum Israel et omnem domum Iuda, ut essent mihi in populum et *in nomen et in laudem et in gloriam* ».

2. Si quaeras, cur ita senserit S. Doctor, breviter dico rationem reddi ab ipso in comm. ad Zach. 8, 23: « iota enim litera ex qua sumit nomen Salvatoris exordium, non solum apud Graecos sed et apud Hebraeos denarium numerum significat » (*M.* 25, 1478); ad Ez. 24, 1 seq. quoque notat esse qui numerum decimum clementiae tribuant (l. c. 227). Numerum autem vicenarium esse infaustum ex eo colligit, quia eum Esau amabat, unde et Iacob sciens eum hoc numero delectari mittit quaedam animalia in numero viginti et viginti, et Iacob viginti annorum spatio crudelissimo servivit Labano (l. c. 1412); alias quoque numerum binarium vocat immundum (l. c. 1389); cf. *Rib.*

ad portam templi ex qua volumen egredi videbatur (cf. apud *Lap.* et *Tir.*); alii ad terram Iudaeam, cuius longitudo duplo et amplius maior sit quam latitudo; « nam ut ait *S. Hier.* in ep. ad Dardanum, a Dan usque Bersabee quae est longitudo illius vix 160 millium in longum spatio tenditur; latitudo autem a Ioppe usque Bethlehem 46 millibus constat » (*Lap.*; cf. *Vat. Men. Tir.*). Alii mensuram ad rationem peccati et poenae referunt; latitudinem peccati adesse, cum ad plures extendatur, uti furtum et periurium, quia plurimi laedantur; longitudinem autem cum quis multum temporis maneat in peccato; poenam quoque habituram esse latitudinem i. e. perventuram ad multos, sed multo longiorem fore eius durationem etc.; cf. *Rib. Sanct.* Numeros casu apponi nihilque designari censet *Schegg* esseque delectos addit tamen, quia Hebraei numerum quintum non amaverint; decem perfectionis esse numerum, quinque imperfectionis; quare decem et quinque hoc loco non fuisse apta, unde viginti et decem esse selecta. Demum res secundum mensuram et normam sanctuarii esse diiudicandas i. e. secundum leges divinitus populo datas explicant *Keil* et *Trochon*.

In textu graeco non volumen legitur, sed δρέπανον *falx*. Legerunt igitur LXX quod iam adnotant *Barh. Rib. Sanct. Lap.* non מגלה sed מַגָּל. Uti *S. Hier.* refert, *Aq.* et *Theod.* verterunt διφθέρα, quae vox pellem dicit ad scribendum paratam; *Sym.* vero κεφαλίς *capitulum*. Est eadem vox quae legitur Ps. 39, 8 *in capite libri scriptum est de me* i. e. in volumine libri (Buchrolle).

Et quid tale volumen significet et contineat, angelus declarat v. 3 « *haec est maledictio quae egreditur super faciem omnis terrae; quia omnis fur sicut ibi scriptum est iudicabitur, et omnis iurans ex hoc similiter iudicabitur* »; — exhibetur *volans*, eo quod Dei vindicta sem per imminet capiti sceleratorum Dei tantummodo praestolans annutum, ut involet peccatores (cf. *Lap.*); uti iam bene advertit *Rup.*: « prophetiae praesentis ordo postulat faciem omnis terrae hic intelligi universitatem terrae iudaicae quae legem accepit » (cf. *Rib. Sanct. Lap. Sa, Mar.*). Tales autem minae proponuntur, ut poenarum comminatione audientes exterreantur et efficaciter a peccatis retrahantur, ne ullo pacto sibi impunitatem promittant (cf. *Cyr. Theod. Theod. M. Rib. Sanct.*). Hisce simul patefit, qualem populum Deus sibi eligere velit et quid a reducibus potissimum exspectet. Duo peccata furti et periurii nominantur, vel ut hisce omnia peccata in Deum et homines commissa comprehendantur; « nam quia universa lex et prophetae ex his verbis pendent: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et diliges proximum tuum sicut teipsum, sub furto et periurio omnem speciem peccati complexus est » (*Theod.* sim. *Theod. M. Barh. Sa, Mar. Lap. Men. Tir. Calm.*), vel ut ex prima et altera decalogi tabula unum pro reliquis peccatis enumeretur (*Tir. Gord.*), vel quia Iudaei reduces propter paupertatem hisce criminibus [1] magis erant expositi (*Lap.*).

1. *S. Cyr.* periurium refert ad connubia cum alienigenis quae contra fidem Deo datam

S. Hier. sensum textus hebr. bene expressit vertens *sicut ibi scriptum est.* Ad verbum habes : *quia omnis fur hinc scundum illud* (scil. volumen) *exstirpabitur et omnis iurans* (scil. perierans) *illinc scundum illud exstirpabitur* ; hinc, illinc ex una et altera parte i. e. volumen illud interius exteriusque est inscriptum maledictionibus in furta et in periuria, uti iam intellexerunt *Pagninus, Vat. Mar. Santc.* (cf. apud *Lap.* et *Rib.* quoque) et aliqui recentiores (cf. *Keil*). Alii *hinc* referunt ad terram Iudaeae : hinc scil. eiicietur vel quicumque *in hac terra* furatur (cf. *Schegg*). Verbum נִקָּה h. l. ea significatione sumendum erit qua Is. 3, 26 *evacuari* ; proprie dicit *purum esse*, mundari ; inde *auferri* emundatione explicari potest, quasi *everri* ; LXX vertunt ἐκδικηθήσεται, *Chald.* לְקֵי vapulabit ; veteres fortasse נִכָּה legisse, coniectura est apud *Ros. Ges.* Thes. p. 910.

Iam quantae efficaciae futura sit maledictio ibi scripta, declaratur **v. 4** « *educam illud, dicit Dominus exercituum, et veniet ad domum furis et ad domum iurantis in nomine meo mendaciter et commorabitur in medio domus eius et consumet eam et ligna eius et lapides eius* » ; — i. e. describitur maledictio non obiter percutiens vel cito transiens sed quae apud impium stabilem figat sedem eumque et res ipsius stirpitus deleat atque consumat ; agit scil. per modum anathematis (חרם) quo omnia funditus exstirpanda erant, « et est sane mirifica exaggeratio divinae vindictae quae sic grassatur in sceleratorum domo, sicut ignis in arida materia » (*Sanct.*). Ita scil. Deus suam declarat sanctitatem, qua scelus omne summe abominatur, ita zelum suum quo pro theocratia zelatur (cf. 1, 14), et iram magnam qua irascitur in *omnes* theocratiae hostes, etsi sanguine iudaico prognati sint. Tali comminatione iam praeluditur iudicio messianico : « ipse enim quasi ignis conflans et quasi herba fullonum ; et sedebit conflans et emundans argentum et purgabit filios Levi et colabit eos » (Mal. 3, 2) ; « cuius ventilabrum in manu sua et permundabit aream suam » (Matth. 3, 12).

b) Iniquitas e terra theocratica amovetur 5, 5-11.

Solummodo pios ad theocratiam adscribi Deumque a regni sui beneficiis malos excludere exclusosque miseriae tradere, symbolica repraesentatione vati ostenditur. Ipsa autem visio ei pignori est et documento, Deum veram sanctitatem in electo suo populo esse excitaturum impietate semota. Proinde haec quoque visio docet, qualis sit apud Deum vera theocratiae species atque forma, spiritualis scil. remota iniquitate, quae ex terra sancta longe amandatur. Quae indoles spiritualis cum adeo frequenter apud pro-

---

inierint, de quibus Esd. 10, 2-9 ; at ea in tempus posterius incidunt ; furtum commissum sit in pecunia, quae ad templi aedificium oblata esset partim a Dario, partim a populo.

phetas delineetur, iuremerito animum subit admiratio, quod Iudaei tam parum de ea intelligentes aliam prorsus rerum conditionem victoriis et pompa illustrem sibi sint tam pertinaciter polliciti. Adeo est difficile ad spiritualia mentes transferri.

Angelo duce et monitore etiam haec visio prophetae offertur ; v. 5 « *Et egressus est angelus qui loquebatur in me et dixit ad me : leva oculos tuos et vide, quid est hoc quod egreditur* » ? — cum angelus v. 8 agens inducatur, supponi debet eum ab intima illa in animo prophetae habitatione egressum prophetae apparuisse ; inde est quod dicitur *et egressus est*, quod alii de nova visione exhibenda explicant (*S. Cyr. Men.*) ; at angelus interpres non offert visionem, sed oblatam explicat, uti res constanter proponitur. Etiam hic angelus prophetam solum monere dicitur, ut attentionem vertat ad id *quod egreditur* i. e. quod eius in aspectum venit et ei repraesentatur (*Sa, Men.*), quod ideo *egredi* dicitur, « quia movebatur seseque spectantis oculis offerebat, qua ratione in dramate de scena egredi in proscenium dicuntur actores » (*Sanct. Rib.*). Vates non statim deprehendit, quid sibi obiiciatur spectandum : v. 6 « *et dixi : quidnam est ? et ait : haec est amphora egrediens. Et dixit : haec est oculus eorum in universa terra* » ; — primo angelus ipsam symboli formam declarat : id quod apparet est *epha* (hebr.) ; videt scil. in terra (v. 9) vates apparere *epha*, mensurae genus pro aridis communissimum apud Hebraeos « fere par medimno attico 48 choenicas sive senos modios capienti [1], eodem in metiendis rebus aridis valore quo in liquidis *bat* seu amphora » (*Fürst* C.). *S. Hier* in comm amphoram sive mensuram in aere ferri explicat. Dein angelus significationem mensurae indicat : *haec est oculus eorum* i. e. hic est aspectus, haec forma et figura peccatorum qui sunt in terra hac, in Iudaea ; tali *specie* eorum sors repraesentatur.

Quomodo id fiat, sequentibus statim declaratur : v. 7 « *et ecce, talentum plumbi portabatur, et ecce mulier una sedens in medio amphorae ;* v. 8 *et dixit : haec est impietas. Et proiecit eam in medio amphorae et misit massam plumbeam in os eius* » ; — notat *S. Hier.* : « pro talento plumbi in consequentibus legimus lapidem plumbi [2] ; ipse est igitur lapis plumbi qui et talentum plumbi, quod nos manifestius exprimentes massam vel sphaeram plumbi interpretati sumus » ; visa est igitur massa vel discus magnus plumbi in aere ferri ; in ipso modio (epha) mulier apparuit ; hanc angelus « praecipitem misit in medium amphorae... et talen-

1. Secundum *Thenius* epha et bath continent 20, 1215 *liter* (cf. *Schenkel*, Bibell. IV p. 133); secundum alios 38, 88 *liter* (cf. *Vigouroux*, Manuel bibl. I p. 244).
2. Hebr. כִּכַּר orbis, circulus, massa rotunda, talentum ; אֶבֶן lapis.

tum plumbi in modum gravissimi lapidis mittit in os amphorae » (*S.Hier.*). Mulier haec impietatem repraesentat angelo interpretante ; « typus enim voluptatis et etiam infirmitatis est mulier et omnis iniquitas non aliter committitur nisi voluptate aliqua ad malum inescante et infirmitate mentis ad hoc consentiente... pingitur ergo et congruenter valde specie mulieris iniquitas » (*S. Cyr.* sim. *Theod. Alb. Rib. Sanct.*). Cur peccatores specie mulieris exhibeantur, forte non incongrue referes ad parabolam apud Ezechielem propositam de duabus sororibus (cp. 23) vel ad imaginem satis in usu positam populum Israel peccatorem tamquam mulierem infidelem et adulteram traducendi (cf. Is. 1, 21. Ier. 2, 20. Ez. 16, 31. Os. 2, 5). Cur in epha, in mensura, colligatur iniquitas, explicari potest cum plerisque, quia Deus quandoque certam peccatorum scelerumque mensuram et copiam exspectare dicitur, antequam in gentem integram poenas devolvat ; ita Gen. 15, 16 : « necdum enim completae sunt iniquitates Amorrhaeorum usque ad praesens tempus » (cf. *S. Cyr. Theod. Rib. Sanct. Lap.*). Sicut itaque docente Domino in saeculorum fine angeli colligent de regno Dei omnia scandala et eos qui faciunt iniquitatem et mittent eos in caminum ignis (Matth. 13, 40. 41), ita hic in visione angelus scelera collecta in mensura includi perhibetur actione ad id accommodata et sensibus vatis proposita.

Iam ostenditur eiusmodi peccatoribus non esse sedem et locum in regno Dei, in terra Domino sancta et ab ipso electa, verum illos iri eiectum ut habeant sortem cum inimicis Dei et osoribus Dei eamque stabilem et permanentem : v. 9 « *et levavi oculos meos et vidi, et ecce duae mulieres egredientes et spiritus in alis earum, et habebant alas quasi alas milvi et levaverunt amphoram inter terram et coelum ;* v. 10 *et dixi ad angelum qui loquebatur in me : quo istae deferunt amphoram ?* v. 11 *et dixit ad me : ut aedificetur ei domus in terra Sennaar et stabiliatur et ponatur ibi super basem suam* » ; — i. e. postquam angelum vidit qui mulierem in mensura apposito disco plumbeo includit, *egrediuntur* i. e. apparent duae mulieres alis ciconiae (hebr.) [1] praeditae, quae amphoram levant et rapido volatu, dum vehementi vento alae agitantur, illam deferunt in terram Sennaar, ut ibi mulieri i. e. iniquitati mansio stabilis erigatur. Terra Sennaar est terra primi regni, de quo in s. Scriptura

1. Ita scil. חֲסִידָה recentiores fere intelligunt (cf. *Rib. Calm.*). Veteres vocem varie reddunt. LXX hic *upupam*, alias *herodionem*, uti etiam *S. Hier.* Lev. 11, 19. Iob 39, 13, explicant vel vocem ἀσίδα retinent. Vertit *S. Hier.* Deut. 14, 18 *onocrotalum* (uti LXX πελεκᾶνα), Ier. 8, 7 *milvum*, uti nostro loco. Ut *S. Hier.* ait, *Aq. Sym. Theod.* habent *herodionem*. Ipse vero suam explicationem h. l. ad Hebraeos refert. — Ceterum vide quae notavi in comment. in librum Iob ad Iob 39, 13.

mentio fit; ibi scil. Nemrod robustus venator coram Domino regnum suum condidit, qui filius Cusch coepit esse potens in terra (Gen. 10, 8-10); ibi rebellio illa patrata est quae in aedificanda turri Babel hominum superbiam et arrogantiam quam maxime extulit, donec Deus eos dispergeret; quare terra Sennaar aptum est symbolum regionis a regno Dei alienae et solis Dei hostibus destinatae. Accedit quod Sennaar regio est inferioris Babyloniae [1]; proinde nomen ipsum exsilium et iugum captivitatis in mentem revocat. Indicat igitur Deus, etiam theocratia restituta fore ut peccatoribus instet exsilium alterum stabile, diuturnum, ut recalcitrantes eiecti et abscissi a populo electo inter adversarios Dei in terra hostili vitam agere cogantur. Ita enim Deus purgabit aream suam et qui spiritu theocratico non sunt imbuti, hos angelorum etiam ministerio punitos e regno suo eiicit iisque partem ponit et sedem stabilem figit inter inimicos Dei, quibus interitus certus est aeternus. Sancta est enim theocratia et qui non sunt sancti necessario ex ea excluduntur.

Haec in universum videtur esse actionis symbolicae significatio. Singula autem quaedam accuratius erunt lustranda. In *epha* plerique mensuram certam et fixam cernunt, qua impleta Deus puniat. Alii exprimi censent peccatores iri collectum sicut grana frumenti in mensura. Massam plumbi punitionem vel pondus iudicii explicant (*Theod. Rup.*). Videtur tamen hic praecipue designare, quam certo peccatores conclusi ab ultore Deo cohibeantur, ne ultra impietatem suam in terra sancta vel propagent vel ostentent. Mulier enim quae sedet in amphora, quae igitur ibi quasi quiete degit ut in sua provincia et quae eminet super amphoram, massa hac in os amphorae iniecta et aliorum aspectui subtrahitur et intra amphoram conclusa et occulta tenetur. Hoc significare videtur, quomodo peccatores quoque et impii media in theocratia sedem figere, impietatem suam manifestare aliisque ad imitationem proponere et in iniquitate eminere aliisque dominari conentur, donec tandem a Deo cohibeantur, opprimantur, auferantur. Hoc symbolo Deus promittit se eos esse coerciturum, idque fieri ostendit per angeli ministerium; sunt enim hi administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis (Hebr. 1, 14). Quare eo sensu omnino id quoque in visione continetur, quod *S. Ephr.* effert, offerri consolationem populo Dei eo quod polliceatur Deus ablatum iri impedimenta, quibus hostes populum infestent.

Difficilius dixeris, quid duae mulieres alatae significent. Alas habere

---

1. Dicunt assyriologi, שִׁנְעָר esse eandem vocem ac *Sumer* (*Sunger*); *Sumer* autem Babyloniam dicit inferiorem vel meridionalem, dum *Akkad* superiorem et septemtrionalem designat; cf. *Delitzsch*, Wo lag das Paradies? p. 198. 199; *Riehm*, Handwoerterbuch p. 1495.

cernuntur, quo expeditius ac celerius munere suo fungantur et impietatem auferant. Quam celeriter et facile Deus impiorum conamina subvertere possit, in re proposita quasi in imagine cernere licet. Alas habent avis magnae immundae (cf. Lev. 11, 19. Deut. 14, 18), quibus et labori praestando et celeritati consulitur [1]. *Mulieres* eliguntur ad *mulierem* illam auferendam e terra sancta, forte ut innuatur, iniquitatem iusta retributione puniri per iniquitatem vel iniquos sibi ipsis esse causam ruinae et suis se iniquitatibus innodare ad interitum ; solet enim Deus capere astutum in astutia sua (Iob 5, 13. 1 Cor. 3, 19) et iniquitas solet converti in caput iniqui et in verticem eius descendere (Ps. 7, 17 hebr.). *Duae* cernuntur, forte ut poena gravis designetur vel ut Deo minime deesse adiumenta adumbretur, quibus omnem iniquitatem facillime reprimat. Cum autem in terram Sennaar ut in sedem stabilem impietas ablegetur, simul pro Iudaeis qui etiam tunc in Babylonia commorabantur, efficax continetur adhortatio, ut regionem maledicto divino percussam fugiant, sedem iniquitatis relinquant, ad terram Deo sacram et sacram cum Deo communionem se recipiant, si beneficiorum theocraticorum esse velint participes.

Uti iam notat *S. Hier.*, LXX una litera mutata (עוֹן pro עין) legunt v. 6 *haec est iniustitia eorum*, ita ut ipsa amphora symbolum sit iniustitiae. Lectio haec est quidem de se facilior, quam lectio hebr. et latina. Nam *haec est oculus eorum* locutio est non satis usitata neque perspicua, quam varie elucidare tentant. Multis placet explicatio : ad hanc mensuram peccatis suis implendam omnes oculos dirigunt et spectant (*Rib. Sanct. Lap. Men. Tir. Gord.*) ; alii ea volunt amphora (ablata scil. in terram alienam) fieri ostensionem peccatorum, « ut quorum vitia dispersa latitabant, in unum coacervata oculis omnium panderentur » (*S. Hier.* sim. *Alb. Sa*). Verum utraque explicatio ab usu et notione *oculi* recedit. Probari tantum potest ea, quam supra exposui ; ad eam enim significationem prope accedit usus vocis Num. 11, 7 *species,* forma *eius ut species bdellii* (hebr.) ; cf. Lev. 13, 5 *si macula steterit in specie* vel forma *sua* (hebr.), Ez. 1, 4 *species electri* etc. Lectionem autem graecam errori inniti censemus cum *S. Hier.* qui adnotat ad h. l. : « hic error in editione vulgata frequenter inolevit, ut quia *vau* et *iod* literae eadem forma, sed mensura diversae sunt, altera legatur pro altera ». Id iam ex eo concludes, quia mulieris demum symbolum pro iniquitate ab angelo declaratur, ergo non epha iam ita explicatum esse

---

1. *S. Hier.* ita de hoc loco disserit : « asidam Hebraei milvum putant avem rapacissimam et semper domesticis avibus insidiantem ; herodionum vero hi qui de volucrum scripsere naturis, tria genera autumant : unum album, aliud stellatum, tertium nigrum quod et saevissimum est et sanguinarium et pugnans ad coitum impatiens. Upupam autem... avem dicunt esse spurcissimam, semper in sepulcris, semper in humano stercore commorantem... quamcumque ex tribus avibus intelligere volueris, convenit istis mulieribus Iudae et Israeli, quae propter peccata putentia traditae sunt daemonum potestati et ab eis ductae in captivitatem ».

potest. Angelus v. 6 solum exhibet in universum, ad quid visio ista tendat et quo sit referenda ; et ad hoc satis apta est expressio hebr. et latina ; quid singulatim proponatur, sequenti explicatione v. 8. 11 docetur. Quare aptus adest in hebr. visionis et explicationis progressus, qui secundum lectionem graecam non habetur. Unde lectio difficilior per se tamquam vera h. l. erit agnoscenda. — *Syrus* quidem sequitur LXX ; *Chald.* autem textum hebr. exprimit ; fert enim per paraphrasin : ecce illi *revelantur* coram omnibus habitatoribus terrae.

Dein commemorandum est, hanc visionem a non paucis non ad rem futuram sed potius ad praeteritam referri, scil. ad Israelitarum in alienas regiones factam abductionem (cf. *S. Hier. Cyr. Theod. Theod. M. Alb.)*. Unde etiam in duabus mulieribus alii cernunt tribus decem et duas (S. *Hier. Cyr. Rup. Alb.*), alii tribus Iuda et Beniamin (*Vat.* alios vide apud *Lap.*) ; sed iam obstat, quod istae tribus *portabantur* in exsilium ; quare alii tales excogitarunt, qui auctores captivitatis et effectores abductionis erant ; v. g. Ioakim et Sedeciam (*Tir.*), Nabuchodonosor et Nabuzardan (*Lap.)*, Assyrios et Chaldaeos, Persas et Graecos (*Calm.)*, vel excaecationem et indurationem (*Rib.)*, vel generatim duo vitia *Mar.) ; S. Ephr.* et *Barh.* in illis cernunt exhibitam divinam sanctitatem et vindictam scelerum ultricem.

Sed de re praeterita non potest esse sermo ita, ut in ea tota ratio visionis habeatur ; nam bene sentit *Rib.* : « hoc tantum dico me non posse intelligere quod plerique hanc visionem de captivitate explicant... quorsum attinebat tam obscura prophetia de re praeterita et quae iam mutari non poterat « ? Rectius est quod alii dicunt, esse visionem partim aenigma rei praeteritae, partim futurae (*Lap. Men.)* i. e. visio quidem refertur ad rem futuram, sed ipsa res futura exhibetur ad analogiam rei praeteritae ; uti scil. Deus iam semel peccatores eiecit ex terra sancta, ita etiam ex theocratia instaurata removebit impios ; punitio igitur futura imagine praeteritae demonstratur. Eo ipso quod Babylonis fit mentio, verum est etiam quod *Mar. Lap. Tir.* monent, eos increpari qui obliti Ierusalem haeserint Babylone ; verum hoc est potius ex consequente ; praecipua visionis indoles refert amoveri peccatores ex theocratia. Quid maneat peccatores, sede illa stabili in terra Sennaar exprimitur : hostibus scil. Dei adnumerantur, nihil iis prodest nativitas ex gente electa, obdurationi, excaecationi sunt obnoxii ; verbo uno, exclusi sunt e regno Dei et subiecti maledictionibus quibus a priscis temporibus prophetae Babylonem sunt prosecuti (cf. Is. 13, 19-22 er. 51, 37 seq. etc.).

Quare qui de futura Iudaeorum excaecatione visionem hanc explicant (cf. *Rup. Sanct.*), rem dicunt quae utique in commoratione stabili in terra Sennaar continetur. Neque tamen visio speciali ratione spectat Antichristi tempora, uti volunt *Rib. Sa, Lap, Men. Tir. Gord.*, sed normam exhibet *generalem*, qua elucet Deum semper sanctitati regni sui provisurum neque impios eius regni posse esse participes ; unde in visione etiam non solis Babyloniis (*Theod. Theod. M.)*, verum potiisimum et praecipue peccatoribus Iudaeis poenae perpetuae portenduntur et exsilium stabile inter gentes. Quantopere haec norma generalis caede Messiae peracta in populo Messiae inimico sit adimpleta, in manifesto est positum.

SEXTA VISIO : IUDICIUM IN GENTES, POPULI DEI BEATITAS CAP. 6.

ARG. — Cernit propheta in regione urbis sanctae e medio duorum montium progredientes quattuor quadrigas cum equis varii coloris; hisce Dei iudicia perferri in omnes terrae partes angelus docet (6, 1-8). Dein iubetur propheta accipere aurum et argentum ab exsulibus, et coronas inde factas sacerdoti imponere, typo Messiae, qui regnum sacerdotale gloriae et pacis instituet, ad quod alieni quoque confluent (6, 9-15).

a) Iudicium in gentes 6, 1-8.

Prior huius visionis pars arcte adnectitur ad antecedentem. Iniquitas ablata est a terra sancta in terram Sennaar, in regionem aquilonarem, « ut aedificetur ei domus, et stabiliatur et ponatur ibi super basem suam » (5, 11). Num ergo peccatores a theocratia eiecti tranquillam ac placidam degent vitam? Minime ; quid inimicis Dei immineat, hac visione prophetae ostenditur. Ea simul ita est conformata, ut cum prima visione comparata (1, 8-11) periodum describat surgentis regni messianici. Ibi enim qui missi sunt ad terram perambulandam reversi nuntiant omnem terram adhuc quiescere, proinde nihil adhuc deprehendi significant commotionis illius quae regnum messianicum comitari debeat (cf. Agg. 2, 8. Zach. 1, 11). In hac autem visione quadrigae Domini iam egredi cernuntur et discurrere per terram universam et complere furorem et vindictam Domini. Iudicium ergo Domini exercent illud, quod cum regno messianico intime nexum a prophetis describi solet (vide, quae notavi ad Is. 66, 18. Agg. 2, 23), et illam excitare incipiunt commotionem gentium, de qua Agg. 2, 7 vaticinatus est.

Post angeli responsum (5, 11) vati continuo alia offertur visio : v. 1 « *Et conversus sum et levavi oculos meos et vidi : et ecce quattuor quadrigae egredientes de medio duorum montium et montes montes aerei* » ; — i. e. iterum ad aliam visionem contemplandam interius se sensit avocatum (cf. 5, 1) : e medio duorum montium *aeneorum* (ita vertit *S. Hier.*) cernit egredientes quattuor quadrigas vel currus equis iunctos. Cum v. 6 et 8 mentio fiat terrae aquilonis, quae in s. literis dicitur Assyria vel Babylonia, quatenus e Palaestina spectatur, iuremerito supponere licet currus illos cerni a propheta egredientes ex regione hierosolymitana in omnem terram. Insuper, uti in visione antecedenti sacer vates terram sacram in qua versatur, sibi cernit offerri (5, 3. 9), ita hic scenam deprehendi in Ierusalem omnino suadetur.

Quod eo quoque confirmatur, quia e medio duorum montium videt currus egredi ; id enim quadrat ad situm urbis Ierusalem et ad montem Sion et montem olivarum (cf. *Reinke*, *Trochon*). Dicuntur montes *aerei* i. e. « insuperabiles atque fortissimi et qui nulla possent vetustate consumi » (*S. Hier.*) et ut tales cernuntur a vate, quia regio Ierusalem secundum id in visione repraesentatur, cuius est et sedes et symbolum, theocratiae scil. Conditio igitur theocratiae stabilis, insuperabilis, nulla vetustate atterenda, omni impetu fortior, optime delineatur in montibus aeneis. Ex illis currus Dei egrediuntur ; « quia ecce Dominus in igne veniet et quasi turbo quadrigae eius, reddere in indignatione furorem suum et increpationem suam in flamma ignis » (Is. 66, 15) ; iudicia enim Dei, in quibus quasi bellator fortis in habitu victoris hostibus suis clades infligit, fiunt propter theocratiam, propter regnum Dei, quare optime ex theocratia procedere cernuntur bellici illi apparatus.

Iam isti currus accuratius describuntur v. 2 « *in quadriga prima equi rufi et in quadriga secunda equi nigri* v. 3 *et in quadriga tertia equi albi et in quadriga quarta equi varii et fortes* » ; — *varii*, LXX ποικίλοι [1] ; Gen. 31, 10. 12 *S. Hier.* eandem vocem hebr. vertit *diversorum colorum, respersi* ; sunt igitur *maculosi*, vel ut aliis placet vim vocis pressius exhibere : respersi maculis albis instar grandinis, guttati (cf. *Ros.*). LXX non addunt *fortes*, sed habent ψαροί, *sturnei*, *cinerei*, id quod *Chald.* quoque effert (cf. *Levy*, Chald. Woerterb. II p. 354).

S. Hier. notat, *Aq.* quoque transtulisse κρατερούς, vel ut alii legunt κραταιούς ; habere autem quaedam exemplaria τῶν LXX πυῤῥούς. Et etiam vocem hebr. אֲמֻצִּים aliqui explicant de colore rubro, rufo, rubicundo (cf. *Fürst* C. « proprie *acutus, acer* de coloribus acutis et splendentibus ») ; ita etiam *Vat. Mar. Schegg* ; sed verbum אמץ non praebet nisi notionem *esse firmum, alacrem, fortem*. Quod obiicit *Houbig.* qui textum mutat verbum insolitum intrudens, attributum *fortes* quattuor equorum generibus, non uni, convenire, rem non evincit, quia minime opus est, ut omnes equi eadem cernantur alacritate vel robore eodem. Quarti igitur currus equi prae ceteris alacri quodam impetu et robusto corpore et viribus eminebant. Quid in hac re difficultatis inesse potest ?

Symboli explicationem petit propheta v. 4 « *et respondi et dixi ad angelum qui loquebatur in me : quid sunt haec, domine mi ?* v. 5 *et respondit angelus et ait ad me : isti sunt quattuor venti coeli, qui egrediuntur ut stent coram Dominatore omnis terrae* » ; — hebr. accurate

1. Ex cod. syr. hexapl. affert *Middeldorpfius* vertisse *Sym.* et *Theod.* πελιδνοί i. e. colore nigrescente plumbeo ; et pro altero attributo affert : *Aq.* πυῤῥοί. Sym. σφιγγόμενοι. *Theod.* κρατεροί. Sed illud *Sym.* « haesitanter » edidit usum loquendi loci 4 Reg. 12, 10 in auxilium vocans (cf. p. 31. 434 infra).

vertes: *egredientes ab assistendo coram Dominatore* i. e. postquam se stiterunt Domino ad eius mandata accipienda, iam cernit eos exeuntes ad ea perficienda. Quo proficiscantur et quem in finem, sequentibus declaratur v. 6 « *in qua erant equi nigri, egrediebantur in terram aquilonis, et albi egressi sunt post eos et varii egressi sunt ad terram austri;* v. 7 *qui autem erant robustissimi, exierunt et quaerebant ire et discurrere per omnem terram. Et dixit: ite, perambulate terram! Et perambulaverunt terram.* v. 8. *Et vocavit me et locutus est ad me dicens: ecce qui egrediuntur in terram aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra aquilonis* »; — si ista descriptio cum v. 2. 3 comparatur, aliquid inconcinnitatis adesse videtur; ibi enim adsunt quadrigae quattuor, quarum primae iuncti sunt equi rufi, alteri nigri, tertiae albi, quartae varii et fortes; nunc vero egrediuntur ita, ut primi currus cum equis rufis non fiat mentio, sed ut equi quarti currus quasi duobus curribus iuncti exeant *varii* ad terram austri, *fortes* autem quaerant ire et discurrere per omnem terram, cum tamen ex v. 3 iidem equi uni currui iuncti et varii et fortes dicantur. Ad concinnitatem restituendam remedium prostaret facillimum, ut scil. pro אמצים levi mutatione legeretur אדמים i. e. *rufi* (v. 2) quaerebant discurrere per omnem terram. Atque ita revera legit *Syrus*, qui v. 7 eandem vocem habet qua v. 2 equos *rufos* designavit [1] et v. 3 voce *fortes* caret. Si igitur huius testis auctoritatem sequi malueris (cum *Houbig.*), habes concinnitatem perfectam; alias debebis assumere vel plures adfuisse quam quattuor quadrigas, quod esse videtur contra v. 2. 3, vel quartam quadrigam duobus curribus constitisse (sed quomodo?) [2] vel in duos currus fuisse separatam (sed quomodo?), vel solos equos aliquos *fortes* curru relicto separatos ab aliis exiisse; sed restat illud inconcinnum, quod prima quadriga plane omittitur.

Verum est reliquos testes omnes textui *mas.* v. 7 suffragari, quia eandem vocem praebent qua v. 3 hebraicum אמצים expresserunt; ita LXX οἱ ψαροί, *S. Hier.* qui posuit *robustissimos* (dum in commentario vocem vertit *fortes* atque *robusti*), quia quadrigam quartam de Romanorum imperio intellexit, et *Chald.* qui equos cinerei coloris interpretatur. Facili negotio illi rem expediunt, qui sibi persuadent אמצים significare *rufos* (vide v. 3) et vocem referunt ad חמוץ Is. 63, 1. 2 quo loco *tinctae* vestes ut rubrae describuntur. At probari nequit ullo exemplo apud Hebraeos ח transiisse in א; de qua re fusius agit *Keil* ad h. l.

---

1. Proinde verum non est, quod contendit *Keil*, nimius textus *mas. incorrupte* servati defensor, ne una quidem auctoritate critica mendum illud posse demonstrari.

2. Ita *Calm.*: « quartae quadrigae duplices erant; duabus nimirum bigis constabant, quarum alterae varii coloris equos habebant ».

Cur egrediantur, v. 8 dicitur de illis qui septemtrionem versus tendunt. Sed satis per se patet, id ab angelo uno curru nominato declarari, quod de omnibus valet. Ergo *quiescere faciunt spiritum Domini*, LXX ἀνέπαυσαν τὸν θυμόν μου, id quod magna consensione de ira Domini satianda, de vindicta sumenda et suppliciis explicant (cf. *S. Cyr. Theod. Theod. M. Rib. Sanct. Lap. Sa, Men. Tir. Calm. Schegg*) ; spiritus Domini est spiritus iudicii (Is. 4, 4). Sed cum Dei iudicium sit ad mali destructionem, ut oriatur bonum, necesse non est phrasim illam ad solam iram sedandam referre, neque enim *spiritus Dei* idem dicit quod ira vel furor, verum latius patet. Unde quattuor quadrigae vehicula sunt, quibus spiritus Dei toti orbi terrarum affertur, eo utique fine, ut iudicatis et destructis peccatis et potestate adversa deiecta regnum Dei firmas agat radices.

Iam cum propheta erit quaerendum : quid sunt haec? quid quattuor quadrigae sibi volunt? Angelus quattuor ventos coeli explicat, qui postquam se Domino praesentaverint, egrediantur in omnem terram et qui ex v. 8 spiritum Domini quiescere faciunt vel demittunt in terra. Iis igitur ventis spiritus Domini quasi vehi et ad regiones longinquas perferri exhibetur. Idem proinde quadrigis innuitur. Schema igitur visionis idem est in universum, ac si Deus in psalmis describitur volans super pennas ventorum, ambulans super pennas ventorum (Ps. 17, 11; 103, 3), vel cum Deus Ezechieli apparuit vectus curru et quattuor cherubim (Ez. 1). Vates noster non videt ipsum Dominum, sed solum currus paratos. Symbolum hoc alio clariore sc. ventorum ei explicatur. Venti autem symbolum clarius exhibent (idque *debent* exhibere, quia angelum rem obscuram alia re aeque obscura voluisse declarari supponi nequit), quia *venti* tamquam administri Dei in s. literis proponuntur (cf. Ps. 104, 4 hebr. qui facit ventos nuntios suos i. e. qui ventis utitur tamquam nuntiis; 148, 8 spiritus procellarum, qui faciunt verbum eius) et quia perturbationum et suppliciorum comminatio tali symbolo vestiri potest, uti ex Ier. 49, 36 elucet : « et inducam super Aelam quattuor ventos a quattuor plagis coeli »; etiam Dan. 7, 2 antequam quattuor bestiae ascendant de mari, iis quasi via paratur per quattuor ventos coeli erumpentes in mare magnum. Numerus apparet quaternarius, ut orbis universus, quattuor plagae coeli designentur (cf. *S. Hier. Theod. Mar. Rib. Sanct. etc.*), uti locutio fert per quattuor ventos coeli (cf. Ez. 37, 9. Dan. 8, 8; 11, 4. Zach. 2, 6) vel a quattuor plagis Is. 11, 12. Ier. 49, 36. Ez. 7, 2.

Varietas colorum varia Dei iudicia et multiplicem agendi modum designare videtur. Colorem rubrum ad sanguinem et caedem, nigrum ad exitium et tristitiam, album ad victoriam et triumphum vel ad bene-

ficia et indolem amicam referri generatim interpretes concedunt; in specie ratione habita plagarum quae Apoc. 6, 4-8 ab equitibus equis similibus vectis infliguntur, quadriga equorum ruforum de bello, nigrorum de fame, variorum de variis pestilentiae generibus accipi potest; alborum quadriga, quae egreditur post quadrigam nigrorum, indicare videtur calamitates infligi ad victoriam et triumphum regni Dei, ergo etiam ad salutem afflictorum. Terrae aquilonis et austri i. e. Babyloniae et Aegypti mentio fit peculiaris, quia populus Dei praeprimis hostiles expertus est earum regionum gentes; terra autem aquilonis etiam v. 8 pro exemplo affertur propter visionem praecedentem 5, 9-11. In ventis vero qui se Domino sistunt, ut mandata ab eo accepta opere exsequantur, iuremerito cum *Theod. Theod. M. a Castro, Calm.* ex veteris Testamenti dispositione cernemus repraesentari *angelos*, quorum ministerio Deus ad rerum gubernationem et theocratiae institutionem ac defensionem utitur. Ita sane suadetur visione haud absimili prima de equitibus cum equis fere eorundem colorum (1, 8. 10. 11); ita commendatur quia Deus eodem modo et ascendere dicitur super cherubim et volare super pennas ventorum (2 Reg. 22, 11. Ps. 17, 11; cf. Ps. 79, 2; 98, 1. Is. 37, 16. Dan. 3, 55 quibus locis aliisque *sedens super cherubim* dicitur appellatione deprompta ab arcae collocatione, sed quae ipsa configuratio symbolice docet Deum ministerio uti angelorum). Neque a nostro symbolo curruum alienum est quod legimus Hab. 3, 8 : « qui ascendis super equos tuos et quadrigae tuae salvatio » et Ps. 67, 18 : « currus Dei decem millibus multiplex » ; porro uti Eliseus ad opem ferendam vidit « montem plenum equorum et curruum igneorum » (4 Reg. 6, 17), ita postmodum tempore Machabaeorum et in Heliodori punitionem cernitur « equus terribilem habens sessorem », et in auxilium bellantium « apparuit praecedens eos eques in veste candida » (2 Mach. 3, 25 ; 11, 8), in adversarios autem visi sunt pugnare et tela et fulmina iacere « de coelo viri quinque in equis, frenis aureis decori, ducatum Iudaeis praestantes » (l. c. 10, 29. 30). Quibus exemplis aperte comprobatur, angelos figura et specie equitum se quandoque mortalium obtutibus offerre, id quod nostrae explicationi summopere favere quis non libenter concesserit?

Talem analogiam in s. literis propositam firmiter et constanter ut ob oculos habeas, necesse erit, ne scil. explicationem propositam esse tamen derelinquendam demum censeas propter tot interpretum auctoritatem, qui quattuor quadrigas de quattuor regnis[1] explicandas esse docent. Plerique enim intelligunt in equis

1. Ita *Chald.* quoque, qui v. 5 effert: haec sunt quattuor regna quae sunt quasi quattuor venti coeli.

rufis Assyriorum *(Sanct. Calm.)* vel Balyloniorum, in nigris Medorum Persarumque, in albis Macedonum Graecorumque regnum (cf. *S.Ephr. Hier. Cyr. Alb. Rib. Sanct. Sa, Lap. Men. Tir. Gord. Calm.)*, in variis imperium Romanorum (cf. *S. Hier. Cyr. Alb. Sa, Lap.)* vel Romanorum aliorumque populorum *(S. Ephr.)* vel Romanorum et Gothorum *(Rib. Sanct.)* vel Aegyptiorum *(Mar.)* vel Lagidarum et Syrorum *(Tir. Gord. Calm.)*. *Iacobus edessenus* quattuor regna explicat nascitura ex Macedonum imperio (vide opp. S. Ephr. II p. 293), *Barh.* generatim quattuor regna dominantia super quattuor partes vel regiones. Inter recentiores *Loch* tutissimum censet ad veterum de quattuor regnis explanationem reverti, dum alii Dei iudicia symbolice efferri agnoscunt (cf. *Reinke, Schegg, Trochon)*. Colores autem veteres communiter exponunt de regni uniuscuiusque indole et habitudine ad Iudaeos : Babylonios scil. fuisse sanguinarios, crudeles ; a Medis Persisque saltem gravi luctu afflictos esse Iudaeos edicto edito de omnibus Iudaeis interficiendis sub rege Assuero (Esth. 3) ; ab Alexandro autem eos clementer esse tractatos et beneficiis affectos ; quare albos equos eius regno assignari ; Romanis vero dari equos varios, quia eorum imperatores partim fuerint clementes, partim crudeles in Iudaeos. Cur autem quarto regno praeter varios etiam assignentur equi fortes, qui postmodum soli ac separati dicantur egredi, aliqui explicant de regno quod coniunctum fuerit aliquando cum romano, postea separatum ; simili scil. modo sicut apud Danielem imperium romanum in fine esse dividendum doceatur idque significetur pedibus partim ferreis, partim fictilibus) cf. *Rib. Sanct.)*. In ea sententia, cur de equis rufis egredientibus altum sit silentium inde explicant, quia tempore Zachariae iam non exstiterit regnum Babyloniorum.

Verum haec de regnis explicatio sustineri nequit. Regnorum enim symbolum habuimus apud Zachariam in quattuor illis cornibus ad quae conterenda Deus totidem ostendit fabros (1, 19-21). Iam vix tibi persuadebis, nunc rem *eandem* alia visione aliter repraesentari. Dein quomodo explicabis, regna illa procedere de medio duorum montium, procedere de media theocratia, de sede Dei et sese sistere coram Domino? Nunquam enim regna mundana, quae Deo inimica et proin destructioni obnoxia describuntur, ita exhibentur quasi a Dei sede egrederentur vel tamquam Dei nuntii ad mandata divina accipienda coram Domino se sisterent. Ergo inauditum aliquid et plane inusitatum visione repraesentari tibi aliisque persuadere debebis. Hoc unum iam sufficit ad explanationem excludendam. Addi potest, vix posse intelligi quomodo illa e Dei sede originem ducere cum probabilitate possint exhiberi. Quare illi interpretes etiam in duobus montibus explanandis multum laborant et scena visionis plene neglecta ad arbitrarias opiniones defluxerunt. Alii enim duos montes explicant de duabus mundi partibus, Asia et Europa (*Cyr.*), alii de divinis attributis, de potentia et providentia (*Lap. Men. Tir*), de potentia et sapientia (*Sa*), de voluntate et providentia *(Mar.)*, quibus regna illa antequam egrederentur quasi septa et claustris inclusa et coercita fuerint (cf. *Rib. Sanct.)* ; *Alb.* in iis cernit legem et prophetiam, *Iacobus edessenus* Alexandrum Magnum aeri comparatum et regnum eius a duobus populis, Graecis et Aegyptiis, praecipue propagatum ; *Calm.* iis designari docet, quadrigas has ideo venire, ut populos contererent, everterent, frangerent.

Adde, quod angeli explicatio de quattuor ventis coeli minime favet interpretationi de regnis. Nam, ut prophetae haec responsio revera explicationis instar inservire possit, debet symbolum ventorum tamquam magis notum supponi quam quadrigarum, vel alterum altero magis determinari. Sed ubinam regna et imperia ventis coeli comparantur? Aliqui contendunt id fieri Dan. 7, 2. Sed oppido falsum est; nam eo in loco *postquam* quattuor venti coeli magno impetu eruperint et incubuerint in mare, ascendunt de mari quattuor bestiae et *hae*, non venti, symbola sunt regnorum. Quare propheta regna non potuit intelligere. Sed pro ea quam amplexi sumus explicatione omnia adsunt in s. literis praevia, quae symbolum ventorum et quadrigarum ex s. Scripturae loquendi ratione reddant planum et obvium. Sunt et dicuntur enim *venti* Dei administratores, Deus iis vehi effertur ad iudicia inferenda quasi curru suo; eodem modo Deus dicitur ascendere super cherubim, sedere super cherubim, neque inusitatum est angelos specie equitum se spectandos offerre. Quare explicatio supra proposita ex s. Scripturae analogia facile fluit et etiam ex visione in novo Testamento data Apoc. 6, 4 seq. confirmatur.

Adhuc fortasse quaeres, possitne utraque explicatio ita inter se conciliari, ut quattuor illorum regnorum angeli (cf. Dan. 10, 13) designentur? Id velle videtur *Calm.* : « quattuor quadrigis totidem imperia designabantur et iure dixeris vectos fuisse quadrigis quattuor angelos vel quattuor principes Domini vindictam persequentes ». At cum regnorum destructio iam sit primo capite repraesentata, hoc autem loco simul quattuor quadrigae ad terram perambulandam emittantur, ut Dei iudicia ubique locorum exsequantur et spiritum Dei ubique requiescere faciant, de quattuor monarchiis cogitari nequit, quippe quibus tale negotium non incubuit, quod insuper solum spectat hoc loco tempus *futurum* i. e. iam non tempus priorum regnorum. Praeterea non est negligendum, hanc visionem magnam prae se ferre similitudinem cum prima : ibi equites cum equis rufis, albis, variis; hic adsunt quadrigae cum equis iisdem; ibi postquam terram perambulaverunt, se sistunt Domino; hic postquam Domino adstiterunt, perambulant terram : quare symbola adeo similia simili ratione exponi oportebit. Unde quae dicta sunt ad cp. 1 etiam hic valent.

b) Messias rex et sacerdos 6, 9-15.

Dixerat, quid terrae aquilonis immineat et proinde etiam iis ex Iudaeis qui neglecta vocatione divina gentilium mores vitamque fuerint amplexi (v. 8; cf. 5, 11). Iam exponit, quid gloriae ac beatitatis iis servetur qui voci Domini obsecuti ad theocratiam instauratam mente et animo accesserint. Id primo actione symbolica iubetur propheta declarare qua ostendatur, quam acceptus sit Domino animus talis : v. 9 « *Et factum est verbum Domini ad me dicens :* v. 10 *sume a transmigratione, ab Holdai et a Tobia et ab Idaia; et venies tu in die illa et intrabis domum Iosiae filii Sophoniae, qui venerunt de Babylone,* v. 11 *et su-*

mes aurum et argentum et facies coronas et pones in capite Iesu filii Iosedec sacerdotis magni»; — i. e. iubetur propheta ire ad domum Iosiae, ad cuius domum quasi ad hospitium diverterent ii, qui ex Babylone a Iudaeis ibi commorantibus donaria pro templo attulerant; iubetur ab iis accipere aurum et argentum, inde facere coronas easque capiti summi sacerdotis imponere. *Transmigratio* vel captivitas (hebr. LXX αἰχμαλωσία) vocantur ii qui etiamnum exules in terra aliena versabantur. Eorum igitur legati tres viri advenerant munera afferentes pro templi aedificatione vel generatim pro re divina (cf. Esd. 1, 6; 7, 16; 8, 25). Hebr. verte : *et intrabis domum, quo* (in quam) *intraverunt ex Babylone*; ita molesta transpositio vel hysterologia in textu lat. statim evanescit : in domo igitur Iosiae hospitio sunt excepti.

Munera grata esse et accepta Domino declarantur ; quare ab illis accipere iubetur aurum et argentum indeque *coronas* conficere i. e. coronam magnificam duplicis vel multiplicis diadematis instar confectam vel coronam duabus vel tribus partialibus redimitam (*Lap.*), eamque capiti summi sacerdotis imponere [1]. Hisce significatur, ad quam gloriam et honorem Deus illos sit assumpturus, qui theocratiae se addictos et devotos ostenderit. Nam quod olim iam Isaias de gloria urbis Ierusalem instauratae et de nova theocratia celebraverat : « eris corona gloriae in manu Domini et diadema regni in manu Dei tui... non vocaberis ultra derelicta, sed *Voluntas mea in ea*, quia complacuit Domino in te » (Is. 62, 3. 4), id iri impletum promittitur in populo theocratico ; erit scil. ornamentum Domini ; Dominus eum assumet quasi ornatum suum, in eo gloriabitur, in eo ostendet maiestatem suam, uti rex se ornat corona et diademate et in tali ornatu gloriam suam et splendorem regiae dignitatis aliis ostendit. In visione cap. 5 amota est iniquitas a populo theocratico ; in hac gloriosa populi assumptio delineatur ; erit scil. quod Deus olim dixerat : « agglutinavi mihi omnem domum Israel et omnem domum Iuda, ut essent mihi in populum et in nomen et in laudem et in gloriam » (Ier. 13, 11).

Notat *S. Hier.* : «facies coronas auri atque argenti varietate distinctas, non unam coronam, sed vel duas vel plures ; *ataroth* (עטרות) quippe i. e. στέμματα non unum sed vel dualem vel pluralem numerum significant». Attamen non opus est cum aliquibus assumere duas coronas distinctas capiti sacerdotis fuisse impositas ; neque quod de regno et sacerdotio sermo fit, requiritur, ut duae coronae efformentur distinctae. Cum hae duae potestates summa concordia agere dicantur, aptius designantur una corona sed quae duplici quasi diademate sit redi-

1. Cf. Apoc. 19. 12 : « et in capite eius diademata multa ».

mita vel pluribus aureis vel argenteis circulis constet et sit quasi tiara pontificia corona triplex aut simili modo formata. Alii pluralem numerum de sola magnificentia explicant (*Trochon*), sed id potius arbitrarium esse videtur, quamvis iam *Chald.* habeat : et facies coronam magnam. Singularem numerum effert *Syrus*. Cum hebr. consentiunt LXX ποιήσεις στεφάνους.

Imponuntur autem sacerdoti magno qui sit typus Messiae ; unde coronas istas ab ipso Messia proprie accipi, populum theocraticum intime cum Messia iungi eiusque gloriam et sublimitatem celebrare innuitur : v. 12 « *et loqueris ad eum dicens* : *ecce vir, Oriens nomen eius ; et subter eum orietur et aedificabit templum Domino* » ; — hebr. *Germen nomen eius* ; vide ad 3, 8. In aperto est eo nomine non designari sacerdotem ; id quod ex ipsa loquendi formula iam elucet, cum non dicatur *nomen tuum* ; sed neque Zorobabel intelligi potest, quia toto capite de eo nihil dicitur. Et cum insuper Iesus sacerdos et amici eius, ergo Zorobabel quoque, dicti sint *viri portendentes* (3,8), vir Oriens, vir Germen non potest significare nisi illud Germen David, regem magnum Messiam, qui eo nomine iam apud Isaiam et Ieremiam appellatus est (cf. quae dicta sunt ad 3, 8). Quare rite explanat *Chald.* : « sic ait Dominus exercituum : ecce vir Messias (משיחא) nomen est, qui revelandus est et magnificandus ». Indicatur ergo sacerdoti, ei imponi coronas, ei committi dignitatem et commendari populum et eos quoque qui adhuc procul sunt in terra aliena tamquam rem in conspectu Dei pretiosam, quia venturus est Messias ; monetur, ut ipse quippe qui sit vir portendens memor sit in munere suo administrando Messiae venturi ; sedulo proinde germen sanctum in populo conservet et foveat neque eos qui procul sunt a sua cura excludat, ut eo modo magnam quandam et Deo dignam domum excitet spiritualem.

Pro gubernandi ratione ei varia de Messia panduntur. Primo *subter eum orietur* i. e. ex hebr. *de subter se germinabit*, ex loco inferiore germinabit, ex humili conditione succrescet et augebitur (cf. *Reinke*). Erit igitur origo eius, ut *Germen David* innuit, ex prosapia quidem regali, at minime cum fastu et pompa orietur, sed paulatim et ex humili conditione crescet et ut talis *aedificabit templum Domino*, illud scil. sanctuarium novum, quod Ezechiel vidit in theocratia instaurata (41 seq.), quod Daniel iam praedixerat a Messia esse ungendum sanctum sanctorum (Dan. 9, 24 hebr.) ; templum non lapidibus factum, sed sanctuarium spirituale, domum scil. Dei instituet ex lapidibus vivis, Dei familiam condet ex omnibus gentibus. Veri enim cultores Dei aedificium illud constituunt spirituale quod Deus praeprimis erigi vult in terris (cf. 1 Cor. 3, 9 Dei aedificatio estis). Tale templun i. e. regnum Dei in terris constituendum vel novam theocratiam intelligi patet ex iis, quae Ezechiel et Da-

niel (apud quem *series* et *ordo* rerum a Messia perficiendarum l. c. bene perpendatur oportet) de Messiae munere in sanctuario instituendo declarant, insuper eo quoque, quia templi materialis aedificium iam Zorobabeli est commissum. Quare si de templo a Messia erigendo sermo fit, id debet intelligi, cuius typus et figura erat templum prius. In eo theocratia vetus tamquam in suo centro consistebat; si igitur theocratia nova messianica est universalis, ad quam omnes populi confluent, iam non in templo materiali quasi in suo cardine verti poterit, sed in spirituali.

Hoc aedificium spirituale a Messia erigendum si sacerdos bene mente iam tum consideraverit, omni cura adnitetur, ut nunc saltem Iudaei dispersi Deum sincere colant. — Uti Salomo, typus Messiae, templum aedificavit, ita rex Messias vere pacificus templum Deo erigit sublimius ac magnificentius (cf. 2 Reg. 7, 13. 14. Hebr. 1, 5).

Illud *subter eum orietur*, ita *S. Hier*. declarat : « Oriens i. e. ἀνατολή vel ἀναφυή vel βλάστημα nuncupatur i. e. *germen*, quia ex se repente succrescet et ex radice sua in similitudinem germinis pullulabit ». Postea aliam quoque explanationem affert : subter eum germinabit, orietur multitudo credentium ; quam alii quoque amplectuntur (*Rib. Lap. Pressel*) ; sim. *S. Cyr*. Sed cum in sententia antecedente et in subsequente *Germen* sit subiectum grammaticale, vix haec sententia media sensu impersonali accipi potest, quamvis LXX eo modo acceperint : ὑποκάτωθεν αὐτοῦ ἀνατελεῖ. Neque vox sumi potest sensu activo : producet ex se ramos vel faciet germinare subter se.

Ut rite intelligat sacerdos, quantum momenti sit positum in templi aedificio, magna cum emphasi iterum de Messia asseritur, templum ab eo iri exstructum ; vir igitur *portendens* omni studio debebit curare, ut *typicum* templum erigatur ; dein quale futurum sit Messiae dominium, explicatur v. 13 « *et ipse exstruet templum Domino et ipse portabit gloriam et sedebit et dominabitur super solio suo, et consilium pacis erit inter illos duos* » ; — i. e. templo spirituali exstructo ipse verus coronarum gestator erit in gloria et maiestate sublimi [1] et amquam *rex* et *sacerdos* in throno suo sedebit ; bene cum emphasi dicitur *in throno suo* ; est enim thronus David thronus aeternus qui ut talis iure praecipuo ad Messiam pertinet (cf. 2 Reg. 7, 16. Ps. 88, 38) et ex quo tempore Ezechiel regni theocratici splendorem *externum* interiisse significavit, pariter notum erat, cidarim et coronam iri abiectum et quasi interitu obrutum et absconditum, donec venturus sit is, cuius sit ius et cui Dominus sit traditurus (Ez. 21, 26. 27). Quare

1. Vox הוד saepe de regia maiestate et sublimitate dominationis adhibetur ; cf. 1 Chron. 29, 25. Ier. 22, 18. Dan. 11, 21 ; sed etiam de *divina* maiestate Hab. 3, 3. Ps. 104, 1.

tempore Zachariae thronus theocraticus iam significatione exclusiva dicitur thronus Messiae, neque enim alius rex theocraticus surgere poterit nisi Messias ex vaticinio Ezechielis (cf. l. c. et 17, 22-24; 19, 14). Unde angelus quoque dicit ad b. V. quasi hunc Zachariae locum illosque ex Ezechiele explicans : « et dabit illi Dominus Deus *sedem* (τὸν θρόνον) David patris eius et regnabit in domo Iacob in aeternum » (Luc. 1, 32). Regnum eius est regnum sacerdotale, pacis, concordiae plenum. In antiquo foedere potestas regia et sacerdotalis alii tribui erat assignata; illa in stirpe David, haec in familia Aaron stabili iure propagabatur; in Messia autem utraque potestas ad fastigium suum perducta unitur, uti in typo Messiae, in rege Melchisedec, erat coniuncta.

Hoc de Messia vaticinio visiones de theocratiae instauratione pulcherrime et aptissime concluduntur. Ostenditur enim prophetae et per prophetam populo, ad quem demum instauratio sit perventura et per quem sit absolvenda; ad maximum omnium solatium exhibetur eis Messias rex et sacerdos gloria et honore coronatus, qui tamquam rex potentissimus longe lateque dominium exercet sed simul tamquam regius sacerdos reconciliationem, expiationem, bona coelestia cum suis communicat et quo regnante et sacerdotio fungente pax, felicitas, beatitas aderit. Quis ergo qui hanc Messiae speciem animo conceperit, non maxima laetitia pro virili in theocratia instauranda operam suam collocabit? Pro Iesu autem sacerdote qui est *vir portendens* et ut talis coronis cinctus adstat et cui talia de Messia nuntiantur, magnum continetur incitamentum, non solum ut opus inceptum urgeat, sed etiam ut maxima fiducia agat, pacem, concordiam foveat, sacerdotii accepti memor in iis quae sunt ad Deum constitutus pro populo spiritum theocraticum promoveat.

Verba ea et nomem *Germinis* de Zorobabele explicant *Theod. Theod. M.*; alii hanc explicationem vocant historicam, literalem, illam de Christo spiritualem, mysticam (cf. *S. Ephr. Cyr. Alb. Barh. Est. Mar.*). Verum locus est directe et immediate messianicus; id quod iam ratio nominis *Germen* ab aliis prophetis usurpati probat. *Consilium pacis erit inter illos duos* i. e. inter Zorobabelem et Iesum; ita explicant qui de Zorobabele hic esse sermonem censent; communis est interpretatio : inter regiam dignitatem et sacerdotium (cf. *Rib. Sanct. Lap. Men Tir. Gord.*), quippe quae in Christo unita sint et ad summum populi bonum concorditer procurandum incumbant. In eam sententiam iam praevit *S. Hier.* : « sedebit tam in regali quam in sacerdotali throno et consilium pacificum erit inter utrumque, ut nec regale fastigium sacerdotalem deprimat dignitatem, nec sacerdotii dignitas regale fastigium, sed in unius gloria Domini Iesu utrumque consentiat ». Alii *duos illos* intelligunt populum iudaicum et gentiles, inter quos Messias pacem et concordiam restituet inimica separatione ablata (*Sa*); quae explicatio omnino esset amplectanda, si de duobus illis in contextu

esset sermo. *Schegg* intelligit *duos illos* Iudaeos reduces et eos qui adhuc in dispersione versabantur, et vult edoceri Iesum sacerdotem, qui de modo agendi cum iis dubius haereat, utrum scil. ad religionis communionem admittendi sint necne. Sed cum de ea re nihil habeatur in textu, iure negatur. Utique verum est, non carere obscuritate, cur dicatur *inter illos duos*; rex enim et sacerdos est unus idemque Messias; utraque dignitas adest in uno; cur ergo explicite effertur id quod iam per se patet, in uno Messia fore pacem inter utramque dignitatem? Adde, quod cum *rex* non explicite nominetur in antecedentibus, etiam non adsit plene, ad quid referantur *illi duo*. Ad nodum hunc enodandum nescio an sufficiat, quod *Sanct.* notat: « fuerant ante saepe controversiae inter reges et sacerdotes, adeo ut vexati saepe fuerint immo et occisi pontifices a regibus... ait ergo Dominus futuram esse pacem inter duos magistratus seu dignitates »; meliora etiam recentiores non praebent. Fateor mihi hac explicatione non satisfieri; neque enim video ad quid commode referri possit *pax inter duos illos*; solium praecedit et sacerdos, sed ita ut solium etiam pertineat ad sacerdotem (super solio *suo*); quare difficile est *duos* statuere; quod autem dicunt de concordia inter utramque dignitatem, inter sacerdotium et imperium, nescio an non sit explicatio longius petita. Inclinor in eam sententiam, de qua iam *Sanct.* quasi de meliore coniectura loquitur: duos intelligi illos, de quibus vere et solum sermo texatur: Messiam et Iesum sacerdotem; id autem explico, ut *consilium pacis* sit adhortatio ad sacerdotem, qua iubeatur munere suo ita fungi, ut typus correspondeat antitypo, ut perfecta quantum fieri possit adesse cernatur harmonia (pax) inter utrumque. Fortasse etiam verba concipi possunt ita, ut dicatur, per utrumque consilium pacis iri promotum, id scil. fore positum et propositum ante utrumque.

Ut autem documentum adsit perenne, quam gratiose suscipiat Dominus eos qui mente vere theocratica etiam e longinqua regione ad eum accedant, coronae in templo sunt asservandae; v. 14 « *et coronae erunt Helem et Tobiae et Idaiae et Hem filio Sophoniae memoriale in templo Domini* »; — pro *Helem* scribitur v. 10 *Holdai*; quae sit nominis mutati ratio, ignoratur; plerique censent virum fuisse binominem; pro *Hem* legit *S. Hier.* rite *Hen*, uti est in hebr. sed perperam accipitur pro nomine proprio; est appellativum [1] et sensus exhibetur: coronas reponi

1. LXX peregrinorum nomina h. l. appellative explicant; utramque lectionem coniunctam cernimus apud *Theod. Theod. M.* — In ipsa nominum significatione etymologica aliqui veteres (cf. *Rup. Rib.*) et recentiores (cf. apud *Reinke*) typicam rationem quaerunt; *Holdai* enim significare eum qui diu vel perenniter vivat, *Helem* qui sit robur, *Tobiam* Dominum esse benignum, *Idaiam* Dominum esse scientem, *Iosiam* Dominum esse fulcrum, columnam, *Sophoniam* Dominum esse protectorem; verum cum plurima nomina hebraica virorum varia de Deo attributa et praeconia prae se ferant, vix odorandum erit in his nominibus hoc loco peculiare aliquod symbolum. Sufficiat viros illos esse vices gerentes Iudaeorum in diaspora pie et theocratice sentientium et typum gentium procul adventantium ad regnum Messiae (cf. v. 15).

quoque in memoriam favoris a filio Sophoniae peregrinis illis et hospitibus praestiti. *Syrus* effert nomina eodem modo ac v. 10 et pro *Hen* ponit Iosiam.

Ii vero qui e terra aliena advenerunt considerandi sunt sicut praecursores plurimorum, qui venient pariterque ad templum Domini aedificandum operam collocabunt : v. 15 « *et qui procul sunt venient et aedificabunt in templo Domini. Et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos. Erit autem hoc, si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri* » ; — Iudaeos procul positos ad templum aedificandum venturos expli cant alii (cf. *Lap. Tir. Men. Calm. Trochon*) ; alii gentes intelligunt, quae ad templi aedificium conveniant (*S. Ephr. Mar.*) vel potius ad templum spirituale, ad regnum Dei constituendum (cf. *S. Hier. Cyr. Alb. Rib. Sanct. Reinke*). Cum sermo fiat *ad* sacerdotem, sed sermo tamen sit *de* Messia v. 12. 13, typus igitur et antitypus intime inter se iungantur, opti mum videtur etiam in hoc versu agnoscere utrumque, sed ita, ut quae fiunt a procul positis pro domus Dei aedificatione, sint prolusio quaedam ac praefiguratio eorum, quae gentes ad regnum Dei aedificandum conferent (cf. Is. 49, 17; 60, 10). Et cum vox eadem *templi* (היכל) adhibeatur, quae v. 12. 13 de opere dicitur messianico, dum Zorobabel *domum* Domini aedi ficare iubetur, primarie ac praecipue de impletione messianica sermo esse videtur. Ex impletione ubertim cognoscetur, angelum Dei nuntium ex persona Dei esse locutum ; illud *me* scil. non potest cum multis (*Sanct. Lap. Mar. Tir. Reinke*) referri ad prophetam ; nam prophetam loqui nullo indicio ostenditur ; sed omnia antecedentia verba sunt angeli, qui ex Dei persona (cf. v. 9) ad vatem mandata perfert ; insuper eundem in modum iam supra angelum loquentem audivimus (cf. 2, 9. 11; 4, 9).

Promissio ipsa : experimento cognoscetis ... ad fidem et fiduciam augendam multum confert ; genus autem argumentationis est idem, quod apud Isaiam adhiberi cernimus, cum ex rerum *futurarum* scientia et praedictione a Domino facta eius colligitur divinitas (cf. Is. 41, 23 seq. 44, 7. 26). Impletio igitur certa est et indubitata. At eius ambitus, amplitudo, fortasse etiam celeritas aliaeque conditiones quae ad tempus instaurationis et prosperitatem ac felicitatem faciunt, ab eorum cooperatione dependent. Id indicatur, quia additur : *erit hoc, si audieritis* ... Unde etiam sequitur pro tempore messianico : regnum messianicum utique iri constitutum, neque id ulla hominum pravitate posse impediri ; sed qua ratione, quo ambitu, qua benedictionis abundantia promissio Dei absoluta in opus deducatur, multum, immo plurimum dependere a pietate, legum divinarum observatione, sanctitate populi Dei et eorum praecipue, quos ad tale opus ministros et adiutores vocare voluerit.

Ita instauratione ostensa simul panditur, quas partes ad eam redden-

dam gloriosiorem, plurimis magis proficuam atque salutarem singuli obire possint ac debeant. Conditione apposita pariter consequens est, ut si vocem Domini non audierint, pauciores accessuri sint ad regnum Dei.

Tali admonitione prima pars graviter concluditur. Instaurationem futuram per singulas partes angelus vati exhibuit, indolem eius delineavit, ad ipsum Messiam a longe spectandum tamquam ad regem et sacerdotem eum adduxit. Haec omnia opere iri expletum saepius spopondit. Verum qua ubertate haec benedictio coelestis sit diffundenda, per populum Dei electum stare asserit. Admonitio ea etiam ad tempus vatis erat quam maxime accommodata, qua segnitiem et socordiam in opere Dei excuterent audientes fore, ut externi non solum non impediant templi fabricam, verum promoveant, dummodo ipsi ita audiant praecepta Domini ut etiam impleant (cf. *Sanct.*). Notat *Rup.* : « visionis illius nocturnae finis hic est sacrosanctam salutis nostrae propheticam miro modo praesentans historiam, quam hodie credentes videmus et gaudemus esse impletam, quia ad illam ... Hierusalem vir ille Dominus exercituum reversus est in misericordiis et in ea domus eius aedificata est ..., et fecit quod facere Deus proposuit ».

ALTERA PARS

DE VERA AD PROMISSA CONSEQUENDA PRAEPARATIONE CAP. 7. 8.

ARG. — Occasione illa, qua de ieiunio die anniversario templi destructi instituendo eoque more conservando vel relinquendo ex propheta quaerunt, utitur vates, ut eos edoceat quid Deus ab eis postulet, et ut promissa renovet. Quaerentibus enim respondet Deus, ieiunium illud a se non fuisse eis impositum ; aliud quid ab eis exquiri sicut a patribus eorum (7, 1-7) ; quid illud sit statim subditur, ut scil. iustitiam et misericordiam colant ; iis enim virtutibus contumaciter neglectis patres eorum duras incurrisse poenas terramque in solitudinem redegisse (7, 8-14). Sed ut reduces hisce virtutibus et obedientiae erga Deum operam dent, magnifica renovantur promissa : Deus enim spondet se maximo amore et zelo reversurum ad Sionem, restituturum urbem sanctam, laetis incolis plenam, exsulesque reducturum (8, 1-8). Quare fortitudine animorum roborentur ; favore enim pristino restituto iam a Deo benedictionibus cumulabuntur ; eas autem experientur copiosissime, dummodo veritatem, iustitiam, caritatem colant (8, 9-17). Tunc dies luctus iis

vertet Deus in gaudium et sollemnitatem; gentes confluent ad Deum colendum supplicesque a Iudaeis exposcent salutem (8, 18-23). — Haec pars intime cohaeret cum antecedentibus. Instauratione enim proposita restat, ut ad eam omnium animi rite praeparentur, et qua ratione id fieri debeat edoceantur. Id fieri vera et sincera in Deum obedientia, iam 6, 15 est inculcatum. Hanc mentis dispositionem vates in subsequentibus clarius ac distinctius describit et quanti sit momenti, proponit.

a) Non ieiunium, sed obedientiam praecepit Deus 7, 1-7.

Ut dierum pro Iuda nefastorum luctusque totius populi memoria exstaret, Iudaeis sibi ipsi legem imposuerunt ieiunio recolendi dies anniversarios, quibus potissimum lugendas calamitates experti erant. Ita ieiunabant die decimo mensis quinti, quia eo die templum et urbs incendio peribat (cf. Ier. 52, 12. 13); mense septimo autem die tertio propter occisionem Godoliae (4 Reg. 25, 25. Ier. 42, 2), quam caedem secuta est fuga in Aegyptum; die nono mensis quarti propter urbem captam anno undecimo Sedeciae regis (Ier. 39, 2; 52, 6); demum die decimo mensis decimi propter obsidionem urbis eo die a Nabuchodonosore inceptam (Ier. 52, 4). Dies hos tempore exsilii esuriales celebrabant (cf. Zach. 8, 19 coll. 7, 3). Sed cum anno quarto Darii, postquam per duos annos iam templi fabrica facta est, templum magnam partem esset restitutum et pace ac favore regis cuncta prospera sperare liceret, tempus videbatur adesse opportunum ruinis fere iam reparatis pro luctu assumendi laetitiam [1]. Sed ieiunium quod sua sponte susceperunt, sua sponte non audent dimittere. Quare interpretes voluntatis divinae adeunt. Rem propheta accurate refert secundum tempus et nomina internuntiorum : v. 1 « *Et factum est in anno quarto Darii regis, factum est verbum Domini ad Zachariam in quarta mensis noni qui est Casleu* » ; — praemittitur generalis temporis determinatio, quasi diceretur : quarto anno Darii contigit, ut Dominus loqueretur ad prophetam; dein accurata temporis designatio subditur; idque fiebat die quarta mensis noni i. e. noni post mensem paschatis vel aequinoctii verni, ergo mense Novembri; de Casleu cf. Neh. 1, 1. 1 Mach. 1, 57; 4, 52. 2 Mach. 1, 18 etc.; tempore Machabaeorum sermo est de Casleu mensis scenopegiae diebus (2 Mach. 1, 9) i. e. quibus tunc festum consecrationis templi celebrabatur per modum alterius quasi scenopegiae.

---

1. Ut semel dicam quod saepius observari potest : laudat *Trochon* pro hac ratione postulationis modernum exegetam *Koehler*; sed eandem iam dudum attulerunt *S. Hier. Cyr. Haimo, Rup. Rib. Men.* etc. Quare ergo *Koehler* ex castris acatholicorum ea de re citatur?

Iam occasio affertur, qua verbum Domini fiebat : v. 2 « *et miserunt ad domum Dei Sarasar et Rogommelech et viri qui erant cum eo ad deprecandam faciem Domini,* v. 3 *ut dicerent sacerdotibus domus Domini exercituum et prophetis loquentes : numquid flendum est mihi in quinto mense vel sanctificare me debeo, sicut iam feci multis annis* » ? — unde legati venerint, ex textu lat. non apparet; esse missos a Iudaeis in Babylonia degentibus multi censent (cf. *Ephr. Rib. Sa, Mar. Calm.*), alii a Iudaeis in Palaestina degentibus (*Sanct. Lap. Men.*), neque desunt qui putent rogantes esse Samaritanos (cf. *Cyr. Theod.*). Verum textus hebr. verti debet : *et misit Bethel* viros illos; quare habitatores Bethel quaestionem hanc fieri volebant, postquam sacrificiis oblatis Dominum propitium sibi reddiderunt. Num praeter Aggaeum et Zachariam (Esd. 5, 1) alii adfuerint prophetae (Malachias? ut aliqui opinantur), nescitur. In hebr. *num flebo* i. e. diem luctus publici designant, et qua ratione luctus agatur, explicatur verbo addito in hebr. *separando* (cf. *Rib. Mar.*) i. e. abstinendo a cibo et potu. Hac *separatione* a profanis et abstinentia externe manifestatur consecratio ad Deum; unde textus lat. *sanctificare* fert i. e. sacra observatione ad Dei cultum se praeparare, se exhibere, et ex eadem voce hebr. nominantur *nasiraei* (cf. Num. 6, 2 seq. Am. 2, 11. 12).

LXX habent εἰς Βαιθήλ et *S. Hier.* secundum etymologiam transtulit *in domum Dei*; sed templum non dicitur בֵּית־אֵל sed semper *domus Iahve.* Insuper missio *in Bethel* ad Dominum placandum et in quo loco essent sacerdotes *domus Domini*, cogitari nequit; quare probabilissimum est Bethel i. e. incolas Bethel esse subiectum grammaticale, reliqua autem nomina esse eorum, qui mittebantur. *Sarasar* nomen est assyriacum (cf. 4 Reg. 19, 37. Is. 37, 38), quod explicant : *Sar-usur* i. e. *Asur-sar-usur* Assur regem protegat (cf. *Schrader*, Keilinschriften und A. T. ad 2 Reg. 19, 37). Iudaei enim in Babylonia olim degentes nomina assyriaca et babylonica sibi saepe indiderunt (cf. Esd. 1, 8; 5, 14 et ad Agg. 1, 1); LXX habent pro *Regem melech* (hebr. amicus regis ?) Ἀρβεσεσὲρ ὁ βασιλεύς; *Syrus* Rabmag; cf. Ier. 39, 3 et *Schrader* l. c. p. 417.

Ex Aggaeo propheta didicimus populum non obstante divina iussione non adeo solertem, potius negligentem fuisse in templo aedificando; unde mirum videri potest, eosdem nunc in re sponte assumpta sibi religioni duxisse sine expresso legatorum Dei consilio quidquam immutare. Verum ne sinceram in hac re conscientiae tenerae pietatem et curam quisquam deprehendat, responso divino v. 6. 7 prohibemur. Quare potius ea in re initium quoddam cernes spiritus illius pharisaici [1], quo hu-

1. Unde prorsus recedendum esse duco a sententia quam *Schegg* proponit, populum scil. putasse Deum iam non sola observatione mandatorum esse contentum, verum instauratione facta extraordinaria quaedam pietatis officia postulare.

manas traditiones et observantias externas prae lege divina et cum legis divinae detrimento colere solebant et quo « mentham et anethum et cyminum decimabant, relinquunt autem quae graviora sunt legis : iudicium, misericordiam, fidem » (Matth. 23, 23. Luc. 11, 42). Forte etiam illud *sicut feci per hos tot annos* aliquid prae se fert propriae in tali opere complacentiae, cuius reus exstitit ille in evangelio orans et enumerans sua quae putavit merita (Luc. 18, 12). Deus enim opus illud parum approbat : v. 4 « *et factum est verbum Domini exercituum ad me dicens :* v. 5 *loquere ad omnem populum terrae et ad sacerdotes dicens : cum ieiunaretis et plangeretis in quinto et septimo per hos septuaginta annos, numquid ieiunium ieiunastis mihi?* v. 6 *et cum comedistis et bibistis, numquid non vobis comedistis et vobismet ipsis bibistis* » ? — responsio fit ad omnem populum et ad sacerdotes; unde apparet quaestionem non ex mente paucorum, sed omnium esse propositam. *Deo* autem non ieiunasse dicuntur, quia ipse non mandaverat illud ieiunium, sed ipsi sibi imposuerunt. Insuper cum Deus non sine quadam reprehensione loquatur, ieiunium non celebrasse videntur mente pia et religiosa, non ex vero de sceleribus admissis dolore, non ex luctu de urbis templique ruina vere theocratico. Unde non abs re explicat *S. Hier.* : « numquid mihi proderat, quod ieiunabatis?... surdis auribus mea imperia contempserunt... et nunc tanta scrupulositate quaerunt, quando debeant ieiunare et plangere, cum ante dixerim per Isaiam : non tale ieiunium elegi etc. (Is. 58, 5 seq.) ». Simili modo *S. Cyr.* frustra eiulare et lapides humi iacentes non sine stultitia lacrimis eos perfundere ait, qui Dei verbis non sint dicto audientes.

Quando Deo ieiunium sit acceptum, bene monet *Rup.* : « longe aliter ieiunanti Danieli responsum fuit, quia longe alias ieiunandi causas ille sibi propositas habuit » (Dan. 9, 3. 21 seq.). Et ipsa comparatio qua utitur Deus, indicat ieiunium illud ex propria voluntate profectum et susceptum, ut sibi satisfaciant; unde bene *Calm.* : « nonne potius, ut ingeniis vestris morem gereretis fleretisque amissam urbem, opes, libertatem, locum, quem vos humano prorsus amore prosequebamini vestri ipsorum commodi et superbiae causa » ? Uti scil. in cibo potuque homines vel necessitati parent vel etiam genio indulgent et suam sequuntur voluptatem, ita illi ieiunium suscipiebant, non ut Deo satisfactionem pro delictis exhiberent, sed ut sibi ipsi in tali opere complacerent et amorem theocratiae praetenderent, quem vere ac sincere non fovebant. Ita utique neque esca neque abstinentia eos Deo commendabat. Is autem Deo ieiunat et Deo comedit, qui omnia ad Deum refert et eius servitium et gloriam ob oculos habet (cf. *Sanct.*).

Unde Deus id effert, quod ab iis et olim postulaverat et nunc exposcit,

ut scil. Dei praeceptis obsequantur : v. 7 « *numquid non sunt verba quae locutus est Dominus in manu prophetarum priorum, cum adhuc Ierusalem habitaretur et esset opulenta, ipsa et urbes in circuitu eius, et ad austrum et in campestribus habitaretur* » ? — hebr. suppletur : *nonne* cognoscitis *verba*? i. e. nonne scitis, quid Deus constanter sed frustra poposcerit? per ministerium prophetarum ante exsilium continuo inculcavit, ut mores emendarent, cor circumciderent, iustitiam colerent etc. Pristinam conditionem urbis habitatae et in pace ac prosperitate constitutae totiusque regionis in memoriam iis revocat, ut viva memoria recolant, ex qua felicitate in quam miseriam delapsi sint propter inobedientiam. Pars regionis nominatur et *australis* (cf. Deut. 34, 3) et *declivis* i. e. regio depressa ad mare mediterraneum (cf. Ios. 10, 40. Iud. 1, 9. Ier. 17, 26) ; ita fere sedes tribus Iudae designari solet.

In hebr. particula את tamquam accusativi nota consideratur ; unde necesse erit supplere verbum *cognoscendi* vel tale. Sed non desunt exempla, in quibus את ad id inservit, ut magna emphasi verbum aliquod efferatur, ita ut accedere videatur ad notionem *quod attinet ad* v. g. 2 Reg. 6, 5, ubi eius usus cernitur, ut cum epitasi dicatur *ferrum* cecidisse in aquam ; Ier. 27, 18 ; 38, 16. Ez. 31, 4. Agg. 2, 6. Neh. 9, 19, quibus locis facile concipitur notione *quoad, quod attinet ad*. Unde hoc loco Deus per modum aposiopeseos loqui videtur, qua simul omne momentum in verbis prophetarum priorum poni indicat : *nonne quoad verba* etc. Cum hoc tamen usu particulae non oportet confundi illum, quo cum verbis passivis frequenter poni solet v. g. Gen. 4, 18 ; 21, 5 ; 46, 20 etc. de qua re vide *Ges.* Thes. p. 168.

b) Inobadientia eos reddidit miseros 7, 8-1-

Iam explicatur, quaenam sint verba ea, ad quae Deus modo cum emphasi eos attentos reddidit. Ea autem exhortatione et populus et sacerdotes (cf. v. 5) edocentur, ut verum spiritum theocraticum in quanam re consistat, perdiscant, ne rebus ritibusque exterioribus nimium momenti adscribant : v. 8 « *Et factum est verbum Domini ad Zachariam dicens :* v. 9 *haec ait Dominus exercituum dicens : iudicium verum iudicate et misericordiam et miserationes facite unusquisque cum fratre suo,* v. 10 *et viduam et pupillum et advenam et pauperem nolite calumniari et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo* » ; — primo praescribitur iustitia in iudiciis, quae ex veritatis norma, non ex lucro vel partium studio administrari debeat ; secundo loco (ne summum ius fiat summa iniuria ?) commendatur id quod non iudices vel principes solum spectat, ut omnes vera caritate et miserationis visceribus cum aliis agant ; peculiari modo eorum oppressio prohibetur, qui auxilio destituti sunt vel propter viduitatem vel ob aetatis infirmitatem parentumque orbitatem, vel quia carent notis, amicis, vel opibus et pecunia,

quibus sibi adiutores comparare possent. Demum magna postulatur perfectio, scil. ne mente vel cogitatione iram, vindictam in alios admittant neve malum iis exoptent. Haec utique summa est legis (cf. Ex. 20, 12-17; 22, 21 seq. Lev. 19, 15-19. Deut. 24, 12 seq. 30, 15 etc.); haec est pariter summa adhortationum prophetarum (cf. Is. 1, 16. 17; 56, 1; 58, 6 seq. Ier. 7, 5. Mich. 3, 1 seq. etc.). *Calumniari* idem est quod affligere, opprimere, iniuriis afficere, et hoc sensu etiam apud Latinos usurpatur.

Verum quantopere fuerint contumaces, declaratur v. 11 « *et noluerunt attendere et averterunt scapulam recedentem et aures suas aggravaverunt ne audirent,* v. 12 *et cor suum posuerunt ut adamantem ne audirent legem et verba, quae misit Dominus exercituum in spiritu suo per manum prophetarum priorum; et facta est indignatio magna a Domino exercituum* »; — multimode pervicacia eorum et obduratio describitur : renuunt attendere; dein quod plus est : vertunt tergum admonenti; ei ergo insuper maximum exhibent contemptum. Hebr. *dederunt humerum·refractarium,* iugum Domini suscipere nolentes illudque cum indignatione repellentes; *S. Hier.* adnotat : « verterunt [1] scapulam recedentem sive dorsum contemnens ex habitu corporis mea imperia respuentes. Solemus enim quando rugata fronte et nare contracta contemnimus admonentes dorsum vertere iuxta illud quod scriptum est : verterunt ad me dorsa et non facies suas » (Ier. 2, 27). Praeterea ne recedentes audire cogerentur vocem clamantis et admonentis, aures aggravaverunt, obdurarunt, eas surdas reddiderunt; et ut omnis aditus divinae exhortationi occluderetur, cor suum reddiderunt durum, indomitum quasi adamantem; cor suum fecerunt plus quam lapideum; « adamas enim lapis fortissimus in tantum durus est, ut omnia metalla confringat et ipse non confringatur ab ullo; unde a Graecis *indomabilis* dicitur » (*S. Hier.*). Quae indignitas rei quo clarius percipiatur, Deus enumerat quid pro populo fecerit. Legem dedit et insuper continuo verba sua per prophetas spiritu divino inspiratos populo proposuit et *talia* verba, profecta a Domino exercituum, iis communicata per viros adeo insignes, uti erant prophetae ante exsilium, per viros spiritu Dei agitatos et ad tale munus institutos, perfracte ac contumaciter contempserunt. Quid aliud necessario inde exoriri debuit nisi eiusdem Domini exercituum indignatio et ira magna? Qui enim potentiam suam in adiumentis salutis iis offerendis demonstravit, idem in poena et vindicta infligenda poten-

1. *Verterunt,* non *averterunt,* legit *S. Hier.* in versione et comment. et ita legendum esse iure censent *Rib. Calm. Schegg.*

tiam suam ostendit et quam benignam noluerant experiri, experiebantur iratam et vindicem.

Par pari retulit; ita enim temporis anteacti historiam breviter complectitur : v. 13 « *et factum est : sicut locutus est et non audierunt, sic clamabunt et non exaudiam, dicit Dominus exercituum;* v. 14 *et dispersi eos per omnia regna quae nesciunt et terra desolata est ab eis, eo quod non esset transiens et revertens, et posuerunt terram desiderabilem in desertum* »; — lege talionis adversus eos usus est Deus (cf. Is. 65, 12; 66, 4. Prov. 1, 24-30); qui admonentem spreverunt, non experientur adiuvantem, sed iis dicitur : « ubi sunt dii tui, quos fecisti tibi? surgant et liberent te in tempore afflictionis tuae; secundum numerum quippe civitatum tuarum erant dii tui, Iuda ». Hebr. *et exturbabo eos* (vehementis instar tempestatis) *super omnes gentes quas nesciunt*; cf. Deut. 28, 36. 49. 50; 29, 28; *et terra desolata est post eos* iis scil. eiectis, et ita in solitudinem redacta, ut vix pauci relinquerentur (cf. Ier. 9, 12; 43, 5-7). Sic demum terra *desiderabilis* [1], terra exoptata, optima, omnibus bonis affluens facta est in vastitatem et desertum, ipso suo habitu prae se ferens Dei vindictam in rebelles devolutam. — Hisce satis clare iis annuntiatur, *qua de causa* debuerint ieiunium suum instituere; ipsa vero ieiunii reprehensio ostendit non ea ratione institutum fuisse. Verum opportune nunc edocentur, ut agnita iniquitate demum perdiscant, quid Deus praeprimis exposcat et quo modo et qua mente instaurationi sit obviam eundum.

c) Sioni gratiam et prosperitatem promittit 8, 1-8.

In antecedentibus id agitur, ut bene perdiscant peccata fuisse ruinae causam; Deum igitur ab iis obedientiam exposcere. In subsequentibus denuo iis ob oculos ponitur, quid Deus Sioni largiturus sit. Post ruinam enim fore instaurationem ex antiquis promissis Dei decreto et consilio benevolo constat. Iam quos pristinae contumaciae recordatione et poenis terruit vates, eos amore Dei et felicitate instaurationis ad obsequium Dei et veram animorum pietatem perducere conatur. Quare *decem* Dei verba, quibus haec continentur, proponit, Deumque ipsum tot ac tanta promittere magna emphasi inculcat et repetit. Nam ut advertit *S. Hier.* (ad v. 6): « per singula verba atque sententias quibus Israeli prospera et pro rerum magnitudine pene incredibilia promittuntur, propheta proponit:

---

1. Hebr. ארץ חמדה cf. Agg. 2, 8; alias terra צבי eodem sensu dicitur Ier. 3, 19. Ez. 20, 6. Dan. 11, 16 etc.; unde indicium quoque colliget diligens verborum scrutator, חמדה tempore Aggaei et Zachariae non fuisse nomen vel designationem Messiae.

haec dicit Dominus omnipotens [1], alio sermone hoc loquens : ne putetis mea esse quae spondeo, et quasi homini non credatis ; Dei sunt promissa quae replico ».

Primum verbum argumenti summam proponit simulque rationem intimam pandit, cur Deus tam magnifica sit operaturus, eorumque pignus certissimum in medium profert : v. 1 « *Et factum est verbum Domini exercituum dicens :* v. 2 *haec dicit Dominus exercituum : zelatus sum Sion zelo magno et indignatione magna zelatus sum eam* » ; — cf. 1, 14. 15 ; ratio enim instaurationis et bonorum unica est *zelus* Domini, amor eius et aemulatio, qua bonum populi sui promovens suam praeclare manifestat gloriam et fidelitatem. Est *zelus* amor boni cum indignatione contrarii (*Alb.*), vel ingens amor rei amatae qui parit iram ingentem in eos qui rem amatam laedere vel amanti eripere satagunt (*Lap.*). Quare zelus in bonum Sionis et indignatio magna in hostes intelligitur, qua populum ab eorum oppressione vindicare vult ; illa enim hostium punitio zelum Dei pro suis ostendit (cf. *S. Ephr. Chald.* [2] *Cyr. Theod. M. Mar. Schegg*) ; ad rem vide Is. 10, 7 ; 52, 4.

Quod alii intelligunt, dici iram Dei in populum eiusque punitionem (cf. *S. Hier. Theod. Alb. Sanct. Lap. Tir.*), verum quidem est etiam hanc punitionem esse profectam ex Dei pro populo zelo et ex spreti amoris aemulatione ; at cum in utroque membro eadem sit locutionis forma (hebr. ל *pro*, non על in quos zelum et indignationem devolverit) et insuper modus loquendi ad 1, 14. 15 exigi debeat, prior explicatio magis ad rem esse videtur. Exhibetur ergo Dei zelus in utraque sua manifestatione : amoris ac studii pro populo, irae et excidii pro adversariis ; sicut columna ignis in exitu ex Aegypto Israelitis tutelae erat, perniciei Aegyptiis (cf. Ex. 14, 20).

Alterum Dei verbum explicat, quomodo zelum suum sit ostensurus Deus v. 3 « *haec dicit Dominus exercituum : reversus sum ad Sion et habitabo in medio Ierusalem ; et vocabitur Ierusalem civitas veritatis et mons Domini exercituum mons sanctificatus* » ; — cum populum traderet hostibus capiendum et urbem destruendam, reliquisse Sion et habitaculum suum deseruisse Deus dici poterat ; unde Ezechiel gloriam Dei vidit recedentem a sanctuario et urbe (Ez. 10, 18 ; 11, 23) et postmodum introeuntem et habitantem in novo templo (43, 2). Uti autem Deus lux est et ubi ipse efficaciter adest et operatur, omnia lucis eius participatione collustrari necesse est, ita reditus eius et inhabitatio in Ierusalem

---

1. Ita LXX παντοκράτωρ exprimere solent *Dominum exercituum*.
2. *Chald.* ita habet : ulciscor ira magna a facie mea super populos, qui ad aemulationem provocarunt eam (Sion).

secum necessario affert *veritatem* i. e. urbs iam non erit plena mendacio, infidelitate, verum efficietur *fidelis* (Is. 1, 26), in qua verus Dei cultus, vera Dei doctrina, vera et fidelis in Deum obedientia aderit; mons Domini, mons templi erit sanctus, utpote Dei habitaculum peculiari maiestatis divinae praesentia consecratum et Dei protectione a profanatione tutandum. Promissio haec ea recolit, quae 2, 5 in visione erant ostensa. Praeludia quaedam et parva initia iam cernebantur, uti par erat, tempore ante Messiam: ipsa urbis templique instauratione restituta aliquo modo theocratia Deus reversus est ad Sion; ad idola colenda sponsa antea infidelis non diffluxit, verum Dei cultum retinuit et magnam partem fovit; mons templi erat sacer religione et divino cultui consecratus (cf. *Sanct.*); sed verba adeo ampla potissimum respiciunt veram et perfectam theocratiam per Messiam perficiendam, cuius prior illa erat typus et praeparatio. Id quoque ex iis elucet, quae in visionibus prophetae oblata erant, et in subsequentibus etiam clarius effertur.

Tertium Dei verbum promissionem pacis et felicitatis continet: v. 4 « *haec dicit Dominus exercituum: adhuc habitabunt senes et anus in plateis Ierusalem et viri baculus in manu eius prae multitudine dierum*, v. 5 *et plateae civitatis complebuntur infantibus et puellis ludentibus in plateis eius* »; — habes hic, ut bene dicit *Sanct.*, « hypotyposim felicis, amplae ac pacatae civitatis quae sane elegantissima est, ubi conversa fortuna atque benignior ex adverso respondet antiquae calamitati; qua sicut nihil aerumnosius fingi potuit, sic nihil hic potuit excogitari felicius. Singula oppone singulis et divinam quandam eloquentiam intuebere. In Ier. Thren. cap. 2 et 5 narrantur senes tacentes, squalidi et habiti ab hostibus ludibrio; hic vero quieti inducuntur, annis et auctoritate graves et aetatem gravem et labentia prae senectute membra baculo sustentantes. Illic proponuntur infantes exhalantes animas in materno sinu extrema fame macieque confecti... nunc vero futuri dicuntur festivi infantium ac puellarum ludi ». Ex indole veteris testamenti mors praematura peccatorum poena censebatur (cf. Deut. 28, 20. Ps. 54, 24; 77, 33), dum iusti saepe dicuntur diem obire supremum in senectute bona et pleni dierum (cf. Gen. 15, 15; 25, 8. Iud. 8, 32. 1 Par. 29, 28. 2 Par. 24, 15); unde vates ea descriptione populum exhibet sanctum et Deo placentem; praeterea monente *S. Hier.* pacis ibi imago explicatur, « quam Graeci accommodatissime κουροτρόφον appellant; natos quippe ad pubertatem perducit et iuventam ingressis viam ad senectutem sternit nemine vastante, non bello atterente, non pugna devorante » (*S. Cyr.*). Pueri puellaeque ludentes chorosque ducentes senibus spectantibus et communis laetitiae quasi praecones sunt (*S. Cyr.*) et benedictionis divinae in numerosa quoque prole consistentis testimonium (cf. *Theod. M.*). Populum

Dei iri multiplicatum, constans est temporis messianici indicium (Ier. 33, 22. Ez. 36, 10. 37. Os. 1, 10. Mich. 2, 12), et longaevitas etiam apud Isaiam 65, 20 de tempore messianico praedicatur. Non quidem eo sane sensu, quasi omnes ad eam vel plerique pervenire debeant, sed ut pacis ac benedictionis divinae symbolum ad indolem veteris foederis efformatum praebeatur (vide quae ad Is. 65, 20 notavi).

Quartum Dei verbum ea fore confirmat, etsi praesenti conditione spectata promissio videatur ex coniectura humana impletu difficillima: v. 6 « *haec dicit Dominus exercituum : si videbitur difficile in oculis reliquiarum populi huius in diebus illis, numquid in oculis meis difficile erit? dicit Dominus exercituum* » ; — « fidem facit verborum potestatem suam interponens » (*Theod.*). Poterat enim videri « reliquiis populi quae de captivitate venerant, incredibile cernentibus urbem penitus destitutam, murorum ruinas, combustos parietes manus babylonias ostentare » (*S. Hier.*), vel contemplantibus etiam « omnes urbes circumcirca ferarum cubilia, quod incolis essent viduatae, et agros quondam fertilissimos et florentissimos spinis refertos; hinc igitur de promissis ad rem ipsam conferendis ambigere haud absurdum erat; quare ad confidendum hortatur. Quod enim vobis est impossibile, Deo ut omnipotenti est factu facile. Ipse enim est Dominus virtutum, voluntate efficiens quae naturae metas longe excedunt, et citra moram placita sua ad exitum pervehit » (*S. Cyr.*). Monet igitur etiam hac in re : « non enim cogitationes meae cogitationes vestrae ... quia sicut exaltantur coeli a terra, sic exaltatae sunt viae meae a viis vestris et cogitationes meae a cogitationibus vestris » (Is. 55, 8. 9).

Quinto verbo iam partim declaratur, qua ratione et via Deus impletionem promissionis sit adducturus: populum enim suum congregabit a cunctis regionibus et sanoto foedere cum *sancto* populo erit coniunctus: v. 7 « *haec dicit Dominus exercituum : ecce ego salvabo populum meum de terra orientis et de terra occasus solis,* v. 8 *et adducam eos et habitabunt in medio Ierusalem, et erunt mihi in populum et ego ero eis in Deum in veritate et in iustitia* » ; — duae plagae nominantur instar omnium, uti Is. 59, 19. Mal. 1, 11. Ps. 49, 1 ; 112, 3. Plenius habetur Is. 43, 5. 6 : « ab oriente adducam semen tuum et ab occidente congregabo te; dicam aquiloni : da, et austro : noli prohibere ; affer filios meos de longinquo et filias meas ab extremis terrae ». Reditus ille prophetae tempore prolusio quaedam erat eius temporis, quo filii Dei qui erant dispersi congregandi erant in unum (cf. Ioan. 11, 52). Ita iam *S. Hier.* rem considerat; postquam enim Iudaeorum sententiam ea esse Machabaeorum tempore completa, aliorumque opinionem ea ad consummationem mundi referentium recensuit, ita ipse concludit : « nos autem

et illo tempore i. e. post Zorobabel et Nehemiam dicimus ex parte completa et quasi in typis et imaginibus praecessisse . . . et nunc plenissime sub Domino Salvatore in Ecclesia i. e. in vera Ierusalem promissionem rebus expleri » (sim. *S. Cyr. Sanct. Men. Lap.*).

Neque verba tanta cum amplitudine prolata prohibent, quominus ea et de tota periodo messianica intelligamus et etiam demum quando intraverit plenitudo gentium, *plene* complenda esse censeamus, cum omnis Israel salvus fiet (cf. Rom. 11, 26. *Trochon*). Tum habitabunt in Ierusalem i. e. in illa urbe, quae est mater nostra, quae est libera, quae « sursum est Ierusalem » (Gal. 4, 26), ad quam coelestem Ierusalem accedunt (Hebr. 12, 22), quicumque baptismo Christi corpori inseruntur, et quae iam in vetere foedere tamquam mater populorum celebrabatur (Ps. 87, 4-6 hebr.). Exsistet foedus inviolabile inter Deum et populum, ex utraque parte veritate, fidelitate, sanctitate firmiter stabilitum (cf. Os. 2, 19. 20), « ut scil. ipsi colant me vera fide et constanti fidelitate, aeque ac iustis sanctisque moribus, ego vicissim vere i. e. fideliter et iuste praestem eis curam, custodiam, pacem, prosperitatem quam promisi » (*Lap.*). Etiam hoc loco notatu dignum est, quantopere in prophetia emineat et efferatur indoles instaurationis *spiritualis*. Isto foedere veritate et iustitia innixo promissio v. 3 enuntiata plene consistit ac continetur

f) Quare animos erigant certi de Dei benedictione 8, 9-17.

Sexto verbo Deus ex praeclaris promissionibus quae futurum tempus complectuntur, quid pro praesenti rerum conditione necessario sit colligendum, proponit. Id autem quid aliud esse posset, nisi ut spectata tanta rerum futurarum sublimitate iam nunc animos resumant fortes et alacres, quia cum templi aedificatione ad opus Dei promovendum ipsi quoque accedant, Deus iam nunc iis benigne providebit? Unde v. 9 « *Haec dicit Dominus exercituum : confortentur manus vestrae, qui auditis in his diebus sermones istos per os prophetarum, in die qua fundata est domus Domini exercituum ut templum aedificaretur* » ; — manus roborare est animos et fortitudinem assumere, alacri et intenso studio operam navare (cf. Iud. 7, 11. 2 Reg. 2, 7. 2 Par. 15, 7. Is. 35, 3). Aggaei et Zachariae sermones et opus praesens urgent et temporis futuri splendorem vaticinantur. Exstiterunt prophetae et munere suo funguntur eo tempore quo templi aedificatio, diu fundamento posito intermissa, iterum est coepta ; quare dicitur : die quo fundata est domus Domini, *templum ad aedificandum* (hebr.). Ad hos sermones redduntur attenti, quia ex eo tempore prospera annuntiare coeperunt (cf. Agg. 2, 19. 20). Prior fundatio, quia opus mox est interruptum,

non erat fundatio *ut aedificaretur*, quam scil. ipsa aedificatio esset statim subsecuta. Aedificatione vero alacriter incepta benedictio quoque aderat.

Id ex comparatione prioris temporis illustratur v. 10 « *siquidem ante dies illos merces hominum non erat nec merces iumentorum erat, neque introeunti neque exeunti erat pax prae tribulatione; et dimisi omnes homines unumquemque contra proximum suum* » ; — i. e. labor omnis erat irritus et inanis ; nullum ex eo fructum percipiebatis ; optime illustrantur ea ex Agg. 2, 17. 18. Ad annonae caritatem et defectum accedebat infestatio hostilis ; cum quis urbe egredi vel intrare in aliam vellet, *non erat pax ab hoste* [1] (hebr.). Bene *S. Hier.* in comment. : « foris adversarii, domi seditio turbabat pacem et erat ubique iustitium ob bellorum frequentiam et insidias domesticas, dum nec frater fratri exhibet fidem et omnis est inimica propinquitas ». Vel phrasis etiam cum *Sanct.* de universa vitae agendique ratione accipi potest, quae ab infestatione hostili minime tuta fuerit — ita enim צאת ובוא abhiberi, notum est ; cf. Deut. 28, 6. 1 Sam. 19, 6, Is. 37, 28 etc. —. Eam infestationem legimus Esd. 4, 1-5. 24. Praeter eam intestinis se conficiebant dissidiis ; *et dimisi* i. e. *immisi*, permittebam eos mutuo in se consurgere et inter se laedere.

LXX, ut iam notat *S. Hier.*, « ad futurum tempus omnia retulerunt ; sed melius ad praeteritum, ut in hebr. habetur et expositionis veritas approbabit » ; etiam *S. Cyr.* hebraicam editionem (ἔκδοσις) non habere verbum futuri temporis, sed praeteriti advertit, eamque orationem valde esse consentaneam et ipsa narratione confirmari dicit. *Theod.* autem et *Theod. M.* in tribus prioribus membris legunt tempus praeteritum (ἦν· ὑπῆρχε), ultimum quidem legunt ἐξαποστελῶ, exponunt autem per praeteritum : « ego enim propter rerum divinarum negligentiam turbas inter vos continuas excitavi » (*Theod.*).

Verum, quo alacrius operi Domini incepto insistant, pro futuro optima promittuntur : v. 11 « *nunc autem non iuxta dies priores ego faciam reliquiis populi huius, dicit Dominus exercituum,* v. 12 *sed semen pacis erit ; vinea dabit fructum suum et terra dabit germen suum et coeli dabunt rorem suum et possidere faciam reliquias populi huius universa haec* » ; — cf. Agg. 2, 19. 20 ; « nequaquam faciam ut prius feceram his qui de captivitate babylonia sunt reversi, sed erit ubique pax et gaudium, et ariditatem et famem pristini temporis futura abundan-

---

1. Abstractum transtulerunt LXX et *S. Hier.* ; concretum *Chald.* (vide *Levy*, Chald. Woerterb. II p. 214) et *Syrus*. Hebr. צר saepe *adversarium*, *hostem* designat, praesertim in locis poeticis et in libris recentioris aetatis, uti Esth. Neh. (cf. *Ges.* Thes. p. 1188).

tia compensabit. Vinea enim dabit fructum suum et torcularia omnia complebuntur, terra laetis segetibus vestietur et irrigantibus pluviis ac rore nocturno omnia pullulabunt » (*S. Hier.*).

Hebr. ita habet : *sed semen pacis, vinea dabit fructum suum* etc., unde aliqui semen pacis dici volunt *vitem*, quippe quae cum in uva sit *benedictio* (pax — cf. Is. 65, 8 ; 36, 16), plantatio pacis ac salutis dicatur (*Hitz.*), vel quod aliis placet, quia vitis solum tempore pacis laeto successu fructus praebet, in bello autem ab hostibus laeditur vel non satis curari potest (cf. *Keil*). Alii semen explicant quod in pace seritur (*Trochon*) vel segetem quae affert benedictionem et pacem (*Schegg*), vel quae in pace metetur et congregabitur (*Alb.*), vel semen fecundum, copiosum, securum (cf. *Sanct. Lap. Mar. Men. Tir.*). Immo *Rib.* et *Calm.* explicant, homines fore pacificos ; totam gentem pace fruituram. *Syrus* praebet : et semen erit in pace [1]. *Chald.* : tempore illo semen erit perfectum (vel salvum, securum). Veteres nullo modo agnoverunt appositionem ad vitem ; atque iure-merito ; nam vitis nullibi dicitur planta pacis vel simile quid ; neque ratio apparet, cur praecipue vitis prae aliis dicenda sit semen pacis. Quae a *Keil* affertur, valet pro universa agricultura etc. Locus autem a *Hitz.* productus minime innuit, vitem dictam fuisse plantam benedictionis. — LXX habent : ἀλλ' ἢ δείξω εἰρήνην. Explicatio simplicissima erit : segetes vel sata erunt segetes pacis i. e. incolumes, tutae (cf. *Ges.* Thes. p. 432) ; nam ex adverso minatus erat Deus : « frustraseretis sementem, quae ab hostibus devorabitur » (Lev. 26, 16).

Quantopere pristina conditio sit in melius commutanda, quantopere ergo eos deceat animis laetis et erectis et optima spe futura prospicere, summatim sed valde efficaciter declaratur : v. 13 « *et erit sicut eratis maledictio in gentibus, domus Iuda et domus Israel, sic salvabo vos et eritis benedictio ; nolite timere, confortentur manus vestrae* » ! — rem declarat *Theod.* : « solent enim homines et cum imprecantur, eos qui in calamitates inciderunt in medium afferre ac dicere : talia tibi contingant, qualia illi contigerunt, et cum bene precantur, eorum mentionem facere, quibus divina obtigit benedictio » ; sim. *Lap. Calm.* Atque ea explicatio omnino commendatur ex Ier. 29, 22 : « et assumetur ex eis maledictio omni transmigrationi Iuda quae est in Babylone dicentium : ponat te Dominus sicut Sedeciam et sicut Achab, quos frixit rex Babylonis in igne » ; cf. Ier. 24, 9 ; 25, 18 ; 42, 18. 4 Reg. 22, 19 ; et pro benedictione : Gen. 48, 20 : « in te benedicetur Israel atque dicetur : faciat tibi Deus sicut Ephraim et sicut Manasse » ; cf. Ruth 4, 11. Cum hac significatione connectitur altera : eritis benedicti, sicuti eratis maledicti ; « sicut omnes gentes apud quas captivi exsulastis,

---

1. Et secundum id *Houbig.* textum hebr. mutari vult, vel etiam scribi : *et seminabitur in pace.*

vobis maledicebant vosque subsannabant et exsecrabantur, ita vice versa cum viderint vos a me liberari, prosperari, locupletari, vobis benedicent, vos laudabunt et celebrabunt » (*Lap.*). Ceterum vide Mich. 5, 7. Soph. 3, 16.

Septimo verbo Deus causam addit, unde magnam spem concipiant (v. 14. 15), et conditiones designat quas ipsi debeant implere (v. 16. 17). Causa autem confortationis, ait *S. Hier.*, Domini promissio est, cui nil impossibile est, qui potest quae promittit implere. Quare quo magis augeat eis fiduciam (*Theod. M.*), comparationem inducit v. 14 « *quia haec dicit Dominus exercituum : sicut cogitavi ut affligerem vos, cum ad iracundiam provocassent patres vestri me, dicit Dominus, et non sum misertus* [1]*;* v. 15 *sic conversus cogitavi in diebus istis ut benedicam domui Iuda et Ierusalem, nolite timere* » ! — ex magnitudine afflictionis colligant amplitudinem benedictionis eiusque certitudinem; nam ut *Theod.* comparationem exponit : « quemadmodum veras esse poenarum minas ostendi, sic etiam bonis dispensationibus finem imponam » vel, ut *S. Cyr.* rem concipit : « quemadmodum volentem vos affligere propter multa peccata vestra nihil cohibuit, ita et bona cogitanti et satis afflictos misericordia prosequi volenti nihil erit impedimento ».

Sed « ut permaneat sententia mea et non fiat irrita pollicitatio, haec facite quae praecipio »; ita *S. Hier.* bene nexum indicat cum v. 16 « *haec sunt ergo verba, quae facietis : loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, veritatem et iudicium pacis iudicate in portis vestris,* v. 17 *et unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris et iuramentum mendax ne diligatis; omnia enim haec sunt quae odi, dicit Dominus* »; — eadem Deus ab eorum patribus ante exsilium postulaverat; cf. 7, 9. Virtutes commendantur pro vita et commercio sociali, ut veritatem et iustitiam colant. Eos qui caritatem veritatis non recipiant, qui amore veritatis non tangantur, inter extreme malos recenset S. Paulus (2 Thess. 2, 10). Deus igitur non extraordinaria a populo poposcit neque novos ritus iniunxit externos, sed vitae et societatis humanae fundamenta ut sarta tecta sint praecepit. Id iudicibus quoque inculcat; *iudicium pacis* i. e. munere suo pacem, concordiam, tranquillitatem foveant, dissidentes inter se concilient [2], litibus finem imponant. Iudicum ac senatorum consessus celebrabantur in portis; cf.

1. « Quod LXX transtulerunt οὐ μετενόησα hoc est *non me poenituit,* quod hebraice scribitur *ulo naamathi* (ולא נחמתי) » (*S. Hier.*); i. e. ita eos afflixi, ut nullo modo decretum mutarem vel sententiam mitigarem.

2. « Hoc est enim iudicium pacis, ut propositum iudex habeat pacificare discordes... in judicio prima sit veritas atque iustitia, dein sequitur misericordia » (*S. Hier.*).

Ruth 4, 1. 11. 2 Reg. 15, 2; 19, 8. Iob 29, 7; 31, 21. Prov. 22, 22; 31, 23. Cuius rei rationem hanc h. l. affert *S. Hier.*: « ne cogerentur agricolae intrare urbes et aliquod subire dispendium, iudices in portis residebant, ut tam urbanos quam rusticos in exitu et introitu audirent et finito negotio unusquisque confestim ad sedes proprias reverteretur ». Advertendum est, quam sedulo Deus *conditiones* efferat. Unde concludes, promissiones illas de benedictione et prosperitate non dari absolute, verum in quantum sint implendae, multum dependere a virtutibus et pietatis studio populi Dei. Id suo modo etiam valet de regno messianico. Nam utrum eius pax ac benedictio largius an parcius sit exstatura, citius an tardius ad omnes populos sit diffundenda, maiore vel minore ambitu atque amplitudine sit omnibus gustanda etc., haec omnia quamplurimum liberae hominum cooperationi relinquuntur, et proh dolor, multum ex hominum malitia impediri possunt praeclari illi fructus et effectus, qui *per se* regno messianico insunt (cf. 6, 15).

e) Promittitur laetitia gentiumque conversio 8, 18-23.

Octavo verbo demum responsio fit directa ad quaestionem propositam: v. 18 « *Et factum est verbum Domini exercituum ad me dicens:* v. 19 *haec dicit Dominus exercituum: ieiunium quarti et ieiunium quinti et ieiunium septimi et ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium et laetitiam et in sollemnitates praeclaras; veritatem tantum et pacem diligite* »; — de ieiuniorum ratione vide ad 7, 1. De uno ieiunio interrogarunt; Deus abundantius respondet et maxima cum benevolentia et promptitudine optima quaeque largiendi, se illos ieiuniorum dies quos propter calamitatem theocratiae eversae luctuosos habebant, commutaturum esse in dies laetitiae et iucundae festivitatis, dummodo virtutibus operam dent. Instauratio scil. theocratiae veterem calamitatem oblivioni dabit eiusque gloria tam erit illustris tantamque secum afferet beatitatem, ut ipsa veteris luctus recordatio pariat laetitiam. Erat enim vetus illa calamitas quasi via ad instaurationem praeclaram, erat quasi partus dolor, quo peracto splendida exstitit proles; hac enim consideratione rem proponit Michaeas: dole, enitere filia Sion quasi parturiens (4, 10).

Cur iis diebus ieiunia celebrata sint, ex Hebraeorum traditione alia quaedam affert *S. Hier.*, ieiunasse eos die septima decima mensis quarti, qui apud Latinos vocetur Iulius, quia eo die Moyses descendens de monte tabulas legis abiecerit et confregerit et iuxta Ieremiam muri primum rupti sint civitatis; in quinto autem mense propter seditionem ortam exploratorum reditu in deserto, ex qua terram sanctam ingredi prohibiti per quadraginta annos in deserto commorari sint

coacti; et quia eo mense et a Nabuchodonosor et multa post saecula a Tito et Vespasiano templum incensum sit atque destructum, capta sit urbs Bether ad quam multa Iudaeorum millia confugissent, aratum templum in ignominiam gentis oppressae a Turriano Rufo; mense autem decimo, quia Ezechiel in captivitate positus audiverit et cunctus populus captivorum templum esse subversum. Atque revera talis traditio exstat in tractatibus mischnicis; ita v. g. in tract. *Taanith* legitur: « quinque res patres nostros afflixerunt die 17 mensis Thammuz et quinque die nono mensis Ab; nam die 17 Thammuz fractae sunt tabulae (legis) et cessavit iuge sacrificium et perrupta est civitas et combussit Appostemus legem et statuit idolum in templo. Nono die mensis Ab decrevit (Deus), ne patres nostri ingrederentur in terram; desolatum est templum primum et alterum, capta est Bither; diruta urbs » (cf. Mischna; Legum mischnicarum liber: Ordo festorum; ed. Guil. *Surenhusius*, pars altera p. 382; ubi etiam variorum notas et explicationes invenies, et p. 315-317). Multis demonstrare conatur *Rib.* supputationem Iudaeorum, quando fractae sint tabulae et seditio propter exploratores orta, omnino ex s. Scripturae narratione colligi.

Alii cum quattuor istis ieiuniis coniungunt quattor ieiunia in Ecclesia usitata. De qua re audi *Philastrium*: « per annum quattuor ieiunia in Ecclesia celebrantur: in Natali primum, deinde in Pascha, tertium in Epiphania (i. e. Ascensione Domini), quartum in Pentecoste. Nam in Natali Salvatoris Domini ieiunandum est, deinde in Paschae Quadragesima, atque in Ascensione itidem in coelum post Pascha die quadragesimo, inde usque ad Pentecosten diebus decem » (haeresis de Zacharia; M. 12, 1286). *Alb.* autem ieiunia quae dicuntur quattuor temporum commemorat; vide quoque in decreto Gratiani caput de ieiunio distinct. 76. Sensum responsi ita aliqui accipiunt, ut Iudaei iis diebus ieiunare iubeantur; verum cum laetitia et exsultatioue (*Theod. Theod. M. Rup.*); communiter tamen eos solvi a ieiunio recte explicant (cf. *S. Cyr. Sanct.)*, vel iis relinqui integrum.

Nono Domini verbo qualis laetitia et sollemnitas *bona* (hebr. v. 19) futura sit, describitur et denuo indoles spiritualis instaurationis effertur: v. 20 « *haec dicit Dominus exercituum: usquequo veniant populi et habitent in civitatibus multis*, v. 21 *et vadant habitatores, unus ad alterum, dicentes: eamus et deprecemur faciem Domini et quaeramus Dominum exercituum; vadam etiam ego*; v. 22 *et venient populi multi et gentes robustae ad quaerendum Dominum exercituum in Ierusalem et deprecandam faciem Domini »;* — hebr. v. 20 verte: *adhuc* erit, *ut veniant populi et incolae urbium multarum et eant incolae unius ad alteram* [1] *dicendo; eamus...* magnum igitur studium, magna aderit aemulatio et mutua inter se exhortatio ad cultum Dei sedulo exercendum. Etiam huius rei *initia* quaedam iam tempore Zorobabelis et postea adfuisse, non sine probabili ratione contendunt complures interpretes (cf.

1. *Unius ad alteram* etiam in textu lat. esse legendum, contendunt *Rib. Sa, Lap. Mar.* Concordant cum lectione hebr. *Syrus, Chald.* et etiam *S. Hier.* in comment.

Theod. Sanct. Lap. Men. Tir. Calm.), quem in finem afferri potest praeter multitudinem proselytarum qui ubique terrarum simul cum Iudaeis inveniebantur (cf. Act. 2, 9-11) testimonium ex libro Esther 8, 17 ; Iudaeis enim a persecutione liberatis « plures alterius gentis et sectae eorum religioni et caerimoniis iungebantur ». Per tales vero proselytas divina providentia regni messianici propagationem praeparavit apud gentes, uti testantur narrationes in Act. Ap. Sed uti haec obscurius quidem contigerunt post aedificationem sub Zorobabele factam, ita, ut *Theod.* ait, postquam Salvator in carne apparuit, cernere est terram et mare concurrere ad illam urbem et cupere loca salutarium passionum intueri.

Decimo demum verbo tantam promittit in instaurata theocratia cerni praesentem Dei benedictionem, ut certatim plurimi ad eam aggregari suppliciter expetant : v. 23 « *haec dicit Dominus exercituum : in diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium et apprehendent fimbriam viri Iudaei dicentes : ibimus vobiscum ; audivimus enim, quoniam Dominus vobiscum est* » ; — hebr. *illis diebus* erit, *ut apprehendant*... numerus *denarius* quandoque pro compluribus usurpatur v. g. Gen. 31, 7. 41. Lev. 26, 26. Num. 14, 22. 1 Reg. 1, 8. Eccl. 7, 20. Is. 5, 10. Am. 5, 3 ; 6, 9. Indoles theocratiae *universalis* in omnibus *linguis* gentium cernitur (cf. Gen. 10, 21. 31. Is. 66, 18) ; diversitas linguarum, qua homines inter se separari solent, non impediet, quominus unum exsistat ovile, quominus agnoscant omnes salutem esse ex Iudaeis. Id quomodo in Apostolis genere Iudaeis sit factum, iam *S. Cyr. Theod.* pluribus prosequuntur aliique explicant (cf. *Rib. Lap.*). Atque *S. Cyr.* haud incongrue comparationem declarat : « pueruli nonnunquam patrem sequi gestientes comprehensa ora vestis eius illis tactibus velut adiuti et a veste pendentes citra errorem periculumque gradiuntur. Eodem modo, opinor, et qui rebus creatis servierunt potius quam Creatori, pro germanis patribus cooptantes evangelicorum dogmatum explanatores et per concordiam illis colligati sequuntur eos infantes adhuc iudiciis et simili via incedunt » etc.

Quanto ergo desiderio aliae nationes expetiturae sint salutem, depingitur. Alliciuntur autem Dei ope quam praesentem esse norunt in theocratia. Ceterum apte monet *Rib.*, ex novi foederis sacris auctoribus facile colligi, veros demum in Dei acceptione Iudaeos non carnali generatione censeri, sed vera pietate et religione sincera, *cultorem Dei* esse Iudaeum : « nos enim sumus circumcisio, qui spiritu Deo servimus » (Phil. 3, 3 ; cf. Rom. 2, 25-29. Apoc. 2, 9). Id quoque praeclaro exemplo S. Paulus demonstrat, inseri scil. oleastrum in olivam et ita radicis et pinguedinis olivae effici socium, ramos autem frangi, exscindi, abiici (Rom. 11, 17-21). Est enim theocratia haec oliva et veri Iudaei sunt

quotquot ad eam pertinent, quotquot in eam insiti sunt ac implantati. Unde novi foederis sacri auctores promissiones Iudaeis datas immediate intelligunt de Christianis ex variis nationibus collectis (cf. Gal. 4, 26-31. Rom 4, 11); « qui enim ex fide sunt, ii sunt filii Abrahae; si autem vos Christi, ergo semen Abrahae estis, secundum promissionem heredes » (Gal. 3, 7. 29). Iis congruunt quoque verba praecursoris Messiae : « dico enim vobis quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae » (Matth. 3, 9); ii autem qui sola generatione ab Abraham descendunt, minime vero fidem ac pietatem Abrahae in se exprimunt, explicite a cognatione Abrahae excluduntur : « si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite... vos ex patre diabolo estis » (Ioan. 8, 39. 44. Rom. 4, 12; quo in loco ex textu graeco lege et explica : ut sit Abraham pater non pro iis, qui tantum ex circumcisione sunt, sed pro iis, qui etiam sectantur vestigia fidei).

TERTIA PARS

SECTIO PRIOR. CAP. 9-11.

ARG. — Quaenam sit vera ad regnum messianicum praeparatio, propheta in secunda parte exponit. In tertia parte iam ipsum tempus messianicum eiusque bona, sed eius quoque iudicia pertractat, ita primam libri partem modo illustrans et clarius explicans, modo novis additis vaticiniis et doctrinis augens ac ditans res ibi traditas. Haec tertia pars duabus inscriptionibus *onus verbi Domini* in duas dividitur sectiones. Atque in priore quidem s. vates incipit a iudicio in gentes exercendo. Quod enim in prima parte 1, 19-21 in universum ei est ostensum symbolice, id iam ad gentes Palaestinae vicinas applicat docens, quomodo *onus* verbi Domini devolvendum sit in Syriam, Phoeniciam et in Philisthaeos; Tyrus igni devorabitur; superbia Philisthaeorum conteretur; at eo fine deiiciuntur, ut ablata idololatria bonorum fiant participes theocratiae et in ea alto dignitatis gradu ornentur (9, 1-7). Sed medius inter impetus hostiles et pericula populus Dei secure degit, quia eorum curam Deus gerit; iis ingentis laetitiae causa proponitur in Rege Sion qui venit ad urbem suam salvator, mansuetus, pacificus, qui pacem omnibus annuntiat et regnum fundat per universum orbem (9, 8-10).

Ita propheta distinctius proponit id quod 6, 13 de Messia et pacis consilio docuerat. Cum igitur talis Rex venturus sit ad Sionem, omnes qui adhuc in regione aliena morantur, ad reditum invitantur eximiis Dei favoribus propositis; Deus enim populum suum praeclaris victoriis et sin-

gulari protectione ornabit; sanctuarium Dei erigetur; bonorum copia iis obtinget (9, 11-17). Hanc felicem conditionem instanter ut a Domino abiecta omni superstitione efflagitent, vates opportune habita ratione temporum monet (10, 1-2). Deus autem amotis et punitis malis pastoribus paratus est salutem largiri gloriosam : theocratia firmiter in se erit constituta; gloriose bellabunt; omnes robore, victoriis, laetitia Deo donante exsultabunt (10, 3-7). Dispersi quoque colligentur, quibus in ipsa dispersione Deus benigne providit, et si opus fuerit, Deus paratus est magnis miraculis eos reducere iis haud absimilibus, quibus olim populum ex Aegypto sibi acquisivit. Tanto autem apparatu ereptos decet ambulare in viis Domini (10, 8-12).

Cum igitur Deus auxilio adeo potenti populum suum congreget et tantis eum ornare velit bonis, dummodo populus se Domino praebeat docilem, mirum non est, si Deus in rebelles et contumaces iudicium denuntiat ingentis vastationis (11, 1-3). Ita ostenditur, etiam populum electum iisdem iudicii divini poenis esse castigandum sicut gentes, si gentium mores expresserit et a Domino defecerit. Ea parte simul illustrat ac declarat s. vates, quae in prima parte symbolice proponuntur de ablatione iniquitatis in terram Sennaar et de iudicio divino in contumaces exercendo (cf. 5, 7-6, 8).

Iudicio igitur vastationis generatim proposito (11, 1-3) eius rationes et causae quae in populi electi moribus rebusque gestis et tempore Messiae gerendis continentur, per modum actionis symbolicae repraesentantur. Iubetur enim propheta munus suscipere pastoris et gregem Domini pascere. Is quidem suo officio rite fungitur : gregem ab externis hostibus tuetur, iniquos gregis vexatores interimit; at grex se praebet contumacem, aversatur suum pastorem; unde ille iure iratus gregem tradit exteris vexandum; qua castigatione pauci erudiuntur (11, 4-11). Alterum bonus pastor adhibet conatum, ut gregem rebellem ad meliorem revocet frugem : postulat muneris sui mercedem, ut demum serio secum recogitent qualis quantusque sit eius labor et quanti aestimandus. At frustra. Pretio servili triginta argenteorum maximum opprobrium ei infligunt, eum tamquam vile mancipium declarantes. Acceptam iniuriam pastor ad Dei tribunal affert et gregis contumacis curam dimittit illum tradens interitui (11, 12-14). In iustam autem punitionem grex reiecto bono pastore vexandus et destruendus traditur malo pastori (11, 15-17). Hac actione symbolica tota historia populi electi delineatur ab exitu ex Aegypto usque ad populi rebellis ruinam sub Vespasiano et Tito. Vexatio a malo pastore inferenda est illa ipsa vastatio, a cuius descriptione vates cap. 11 exorsus est.

Ita patet quomodo huius sectionis titulus *onus verbi Domini* etiam

eos ex Israelitis tangat qui neglecta Dei vocatione gentium mores et hostiles animos in Deum induerint. Praeclare describitur salus messianica, egregie exhibentur immensa illa bona quibus Deus populum suum in epocha instaurationis cumulare vult, sublimi prorsus ratione Dei maiestas et potentia depingitur parata ad mirabilia quaevis patranda (cp. 9. 10), ea utique conditione ut *in nomine Domini ambulent* (10, 12); unde mirum non est, si quo maiora bona obedientibus sunt proposita, eo etiam maiora mala rebellibus obventura praedicuntur. Uti igitur olim Moyses populo vitam et mortem proposuit, benedictionem et maledictionem (Deut. 30, 19), uti Isaias saepius salutis messianicae splendorem oppositis calamitatum tenebris quibus contemptores eius obvolvendi essent, efficaciter commendavit (cf. cp. 34, 35; 48, 20-22 etc.); ita Zacharias in hac sectione utramque sortem popularibus declarat: summam beatitatem, si Domino fuerint obedientes, miseriam summam et ruinam, si Regem suum et Pastorem bonum abiecerint. Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem ! Hoc argumento praeclare illustratur id quod vates statim ab initio infert: quia Domino est oculus super genus humanum et super tribus Israel (9, 1).

a) Iudicium in gentes finitimas 9, 1-7.

Syriae iudicium Dei solum in universum denuntiatur : v. 1 « *Onus verbi Domini in terra Hadrach et Damasci requiei eius, quia Domini est oculus hominis et omnium tribuum Israel;* v. 2 *Emath quoque in terminis eius* »; — vaticinium grave, calamitate plenum *onus* indicat; cf. Nah. 1, 1; tamquam onus verbum Domini recumbet et incumbet in terram Hadrach i. e. in regionem ac oppida quae ad maiorem urbem, ad metropolim Hadrach pertinent. Si Hadrach eadem est urbs, quae in inscriptionibus cuneiformibus [1] *Hatarika* appellatur, in parte septemtrionali non adeo longe distans a monte Libanon sita fuisse videtur (cf. *Delitzsch*, Wo lag das Paradies? p. 279). Dein Damascus designatur tamquam *requies eius* i. e. verbi Domini; ibi scil. onus Domini peculiarem quasi moram faciet vel singulari pondere et diuturnitate incumbet; cf. 8, 6 (*Sanct. Lap. Men. Tir.*; sim. iam *S. Cyr.* : « requiescit quodammodo inimica malis ira Dei, cum qui eum plurima et effrenate peccando offenderunt, poenas luerint »). Ratio affertur, quia Dominus attente dirigit oculos in universum genus hominum et in tribus Israel; in hebr. *Do-*

1. Expeditiones in terram *Hatarika* commemorantur ex annis 772. 765. 755; cf. *Schrader*, Keilinschriften und das A. T. 2 ed. p. 482. 484. Scribitur quoque *Hatarakka* et eius fit mentio simul cum Damasco et Hamath (Emath); l. c. p. 453.

mino est oculus ; אדם *de homine* i. e. de humano genere in universum dicitur ; uti iam LXX intellexerunt : διότι κύριος ἐφορᾷ ἀνθρώπους. « Intuetur enim homines universorum Deus et uniuscuiusque viam considerat et iniuriam facientes ulciscitur, poenas iratus infligit, iniuriam autem passos salvat » (*S. Cyr*). Propter theocratiam et foedus initum tribus populi electi speciatim efferuntur ; ad tale enim opus Dei singula Dei iudicia intimum exhibent nexum. Cum adversus Damascum iam plura prophetarum oracula directa sint (cf. Is. 17, 1. Ier. 49, 43. Am. 1, 3), eo facilius intelligitur, cur Damascus sit *requies* oneris verbi Domini ; extenditur etiam ad Emath, quae *contermina ei est* (hebr.), terrae Hadrach vel regioni Damasci. Emath urbs est ad Orontem fluvium, « quae ab Antiocho Ἐπιφανεῖ Epiphaniae nomen accepit et nunc Syriae Coeles est civitas » (*S. Hier.*). Tempore felicissimo regni iudaici fines extendebantur ab introitu Emath usque ad rivum Aegypti (cf. 3 Reg. 8, 65. 4 Reg. 14, 25).

Cum Hadrach hoc solo occurrat, mirum non est, de nominis significatione tot fuisse excogitatas coniecturas. Aliquas referre commentatoris est ; omnes vero recensere piget. Nomen esse symbolicum et veteres aliqui statuerunt et recentiores amplexati sunt ; iam enim *S. Hier.* advertit : « hoc resonat ex duobus integris nomen compositum : *ad (chad)* acutum, *rach* molle, tenerum significans », ut sit igitur terra « super quam et austeritatem suam Dominus exercuit et clementiam ». Alii in tali appellatione munus Messiae descriptum cernunt, qui sit acer in peccatores, clemens in iustos ; alii indolem describi volunt Damasci et Syriae : Hadrach *austerum molle* et onus significat et causam oneris scil. mollitiem (*Alb.*) ; alii indolem regni Medorum Persarumque quasi ex robore et mollitie conflatam vel quia regnum Persarum modo quidem gladio et bellis sit potens, acre, verum mox iudiciis divinis sit emolliendum et enervandum ; alii ita exhiberi volunt indolem populi Israel. Iterum alii nomen regis syriaci ibi deprehendere sibi visi sunt v. g. nomen regis Adoris, cuius mentio est apud Iustinum, hist. 36, 2 (cf. *Ges.* Thes p. 449 ; Studien und Kritiken 1852 p. 259 etiam *Bleek* idem proponit et appellationibus terrae Nimrod, terrae Sehon, terrae Og Mich. 5, 5. Neh. 9, 22 etc. comprobat). Alii nomen idoli ibi invenisse se putabant : vel Ἀτάργατις, Δερκετώ, vel Adar seu Asar, qui deus ignis cultus sit apud Chaldaeos et Assyrios ; vel Hadran deum Hierapoleos, quem aliqui in apologia quadam syriaca Melitoni adscripta invenerunt, dum e contra alii non Hadran, sed Hadedan legendum esse censeant. *Staehelin* monuit, forte fluvium Daradacum, Δάραδαξ, qui in Euphratem influit et apud Xenophontem (Anab. 1, 4. 10) legatur, ad hoc nomen explicandum adhiberi posse. Alii regionem *Hauran* proponunt ; alii Mesopotamiam, ita ut חד symbolice denotet Tigridem fluvium, ךָ autem Euphratem ; alii explicant a voce חדר cum suffixo : terra circuitus tui ; alii urbem Palmyram designari coniectant etc. etc. (cf. s. v. *Hadrach*, *Winer*, Bibl. Realw. ; *Schenkel*, Bibellex. ; imprimis Real-Encyklopaedie für prot. Theol. und Kirche, 2. ed. V p. 500-501 ; *Pressel*, Commentar zu Haggai, Sacharja, Mal. p. [illegible] ;

Trochon ad h. l.). Saniora iam veteres proposuerunt : ita *S. Cyr.* : « terra Adrach regio est orientis cui finitima est Emath, quae est Epiphania » ; *Theod.* eam urbem esse Arabiae, *Barh.* Antiochiam opinatur. Ex latinis interpretibus plerique sententiam *S. Cyr.* amplexi urbem Syriae interpretantur. *Chald.* exhibet *in terra daro) ma* (דרומא) i. e. australi. Fertur quoque dictum R. Iose apud Iarchium, qui se ait Damasci natum, ibique esse locum qui vocetur Hadrach (cf. *Ges.* Thes. p. 448).

Demum notari iuvat, etiam id quod assyriologi de Hatarika regione et urbe (— utraque enim designatione et appellatione invenitur in inscriptionibus —) ad nostram vocem explicandam afferunt, non omnibus probari. Aliqua dubia movit *Wolf Baudissin* (Real-Encyklop. l. c.), qui inter alia locum in Assyria Χατράχαρτα (apud Ptolemaeum 6, 1, 6) pro comparatione affert.

Cum Damasco etc. nihil speciale denuntietur, oracula iam antea data perstare et demum exitum suum consecutura esse satis indicatur. A Syria sermo propheticus convertitur in Phoeniciam : « *et Tyrus et Sidon; assumpserunt quippe sibi sapientiam valde* » ; — i. e. etiam istae urbes erunt *requies eius* scil. oneris verbi Domini ; *quia sapiens valde* (hebr.) ; Deus igitur humanam sapientiam, superbiam, arrogantiam confundet. Tyrus ut urbs principalis effertur, uti iam Is. 23, 1. Ez. 28, 2. In quanam re illa Tyri sapientia, fiducia, gloriatio consistat, declaratur v. 3 « *et aedificavit Tyrus munitionem suam et coacervavit argentum quasi humum, et aurum ut lutum platearum* » ; — erat urbs arte et natura munitissima et insuper ditissima ; tuto igitur prophetarum iudaicorum minas se spernere et irridere posse confidebat. Tyrii enim sedem principalem divitiarum et commercii quo magis ab expugnatione essent securi collocaverant in insula, tribus quattuorve stadiis a continente dissita. Verum quod iam Ezechiel vaticinatus erat et quod expugnatione a Nabuchodonosore facta solum ex parte impletum erat, id postea revera opere complebitur : v. 4 « *ecce Dominus possidebit eam et percutiet in mari fortitudinem eius et haec igne devorabitur* » ; — Dominus expugnabit eam tradetque hostibus ; divitias eius, opes, subsidia ac munimenta arte et natura comparata [2] Deus in mare abiiciet, prosternet ; ita, gradus fiet ad vastitatem illam extremam, de qua Ez. 26, 4 : « dabo eam in limpidissimam petram ; siccatio sagenarum erit in medio maris ». In ruina

1. 'Αδράχ legunt *S. Cyr. Theod.* ; 'Εδράχ *Theod. M.* ; Σεδράχ cod. vat. ; quare alii nomen conferri posse autumarunt cum שַׁדְרַךְ Dan. 1, 7 ; 2, 49 ; 3, 12 et nomen idoli, cuius sit terra, agnoverunt. Sed est mera coniectura, quam *Hitz.* prius proposuit, postea aliam etiam deteriorem excogitavit ; advertens enim in sermone familiari *nunc* apud Syros (sed etiam ultra Syriam) dici *hatirak* i. e. vale, censet eam formulam loquendi ad dignitatem nominis terrae esse evectam, eo fere modo, quo « Languedoc » nomen regionis sit effectum. *Steiner* (in Bibellex. ed. *Schenkel*) adhuc probabilissimam censet opinionem ab eius inventore tam diu derelictam, Hadrach esse idem quod Sadrach et tali nomine appellari deum solem.

2. Ea omnia חיל complectitur ; cf. Ez. 28, 4. 5.

et casu urbis principalis et potentissimae etiam involutum iri Sidonem, per se intelligitur.

Eius autem calamitatis terrore urbes Philisthinorum percellentur; nam si Tyrus, urbs potentissima, non potuit evadere, quid regnis minoribus erit exspectandum? Unde v. 5 « *videbit Ascalon et timebit, et Gaza et dolebit nimis et Accaron, quoniam confusa est spes eius; et peribit rex de Gaza et Ascalon non habitabitur* »; — bene notat *Theod. M.*: « varie autem poenas illas exponit urbes enumerans... haec autem elocutus est, non quia hoc quidem futurum esset et aliud secus; quasi dicat Gazae hoc, illud vero Ascaloni; sed idiotismo suo quod commune est divisim dicit, nempe quod casus huiusmodi cunctis evenient alienigenis ». In hebr. potius *videat Ascalon*; iubetur attendere ad effectum divini iudicii: simulque terror tamquam divinitus incussus et Tyri casu reliquis incutiendus designatur. Urbes enumerantur eodem ordine, quo apud Ieremiam 25, 20; omittitur Gath, sicut Am. 1, 6-8. Soph. 2, 4; ex quo enim Azarias moenia eius destruxerat, urbs oblivione et pulvere obruta esse videtur. Ultimo loco ponitur Azotum (Asdod); v. 6 « *et sedebit separator in Azoto et disperdam superbiam Philisthinorum* »; — hebr. מַמְזֵר; Deut. 23, 3 *S. Hier.* retinuit vocem *mamzer* et explicavit *de scorto natus*; uti eo loco etiam LXX explicant ἐκ πόρνης. Sensus est h. l. fore ut alienigenae, etiam infimo loco nati et a Philisthinis tamquam spurii et abiecti homines habiti regionem eorum urbesque occupent; ita etiam LXX καὶ κατοικήσουσιν ἀλλογενεῖς ἐν Ἀζώτῳ, et *Chald.*: et habitabunt ibi domus Israel qui erant in ea sicut alieni, et *Syrus*: et habitabunt alieni [1].

Ad quid vero ea Philisthinorum clades et humiliatio ex Dei benignissimi consilio inservire debeat, declaratur v. 7 « *et auferam sanguinem eius de ore eius et abominationem eius de medio dentium eius; et relinquetur etiam ipse Deo nostro et erit quasi dux in Iuda et Accaron quasi Iebusaeus* »; — ita scil. idololatria eorum, sacrificia cruenta et epulae sacrificiales cessabunt. Non est improbabile, sanguinem victimarum quandoque ut potum sacrum haustum esse; de qua consuetudine apud aliquos populos certa adsunt testimonia. Carnes diis immolatae dicuntur sicut ipsa idola abominationes. Ablata idololatria ipsi illi, qui tamquam incircumcisi et immundi iure quodam praecipuo habebantur

---

1. Notat *S. Hier.*: « in hebr. legitur *habitabit* vel *sedebit mamzer* in Azoto, pro quo nos posuimus *et sedebit separator*. Separatorem Dominum intelligo, qui frumentum a paleis separet ». In eandem explicationem concedunt *Rup. Rib. Sa.* Mirari licet, quomodo eis in mentem venerit, Christum vocari *mamzer*. Alii eo nomine dici Alexandrum (*Alb. Lyranus*) volunt, alii Iudaeos (*Sanct. Calm.*). « Separator est quilibet victor qui dividit praedam et si velit, viros ab uxoribus, fratres a fratribus separat et diducit » (*Men.*).

(cf. Iud. 14, 3. 1 Reg. 14, 6; 17, 26. 36; 31, 4. 2 Reg. 1, 20 etc.), populo Dei accensebuntur et ita quidem, ut magna in theocratia dignitate fruantur; sicut dux i. e. χιλλαρχος, qui sit princeps chiliadis, princeps et dux familiae et cognationis maioris, quae intra tribum arctioris consanguinitatis vinculis inter se consociantur (cf. Iud. 6, 15), vel qui praeest alicui chiliadi i. e. populi parti intra tribum constitutae et fere mille capitibus constanti vel mille domibus familiisque. Proinde in theocratia etiam alienigenis altiores patere dignitatis gradus significatur et discrimen omne inter Iudaeos et exteros abolitum iri innuitur. Confusio et ignominia Accaronitarum (v. 5) eis cedet utilitati et honori, uti olim Iebusaeis expugnatio urbis a Davide facta (2 Reg. 5, 6 seq.), qua ipsi quoque Iebusaei habitantes inter Dei populum beneficiorum foederis paticipes effecti sunt eorum que urbs Iebus caput regni et theocratiae est electa. Aliis verbis, erunt Accaronitae socii populi Dei et simul cum ipso hereditatis divinae participes, uti olim Areuna Iebusaeus peculiari favore a Deo est insignitus (2 Reg. 24, 16. 1 Par. 21, 15 seq.); valebit igitur etiam de Philisthinis id quod Isaias de aliis iam vaticinatus erat: « benedictus populus meus Aegypti et opus manuum mearum Assur» (Is. 19, 23 hebr.). Ergo, uti olim Iebusaei non sunt deleti sed cum filiis Iuda habitabant (Ios. 15, 63. Iud. 1, 21), ita iudicium Dei non erit in interitum Philisthinorum sel ut eorum saluti consulatur.

Hoc vaticinium aliqui veterum de vocatione gentium ad salutem messianicam explicarunt (cf. *S. Hier. S. Cyr. Theod. Rib.*); alii autem magnam deprehenderunt similitudinem, quae intercedat inter res ibi annuntiatas et postmodum ab Alexandro Magno gestas (cf. *S. Ephr. Alb. Lyranus, Lap. Men. Tir. Calm. Reinke, Trochon*), quam rem ceteris uberius et explicatius proponit et propugnat *Patritius* (De interpretatione oraculorum ad Christum pertin. p. 39 seq.). Rei summa haec est: Alexander Dario rege Persarum ingenti clade ad Issum fuso fugatoque an. 334 statim tota Coele Syria potitus est, cuius urbes praecipuae erant Emath et Damascus, in quam Darii iussu omnis regia gaza congesta fuerat. Statim Alexander Aegyptum sibi subiicere et ut via pateret in Aegyptum, Phoeniciam et Palaestinam; id quod anno altero 332 exsecutus est. Pleraeque urbes Phoenicum se Alexandro dederumt. At Tyrus « quippe quae in mari, nimirum in insula, sita capi ab hoste navibus spoliato posse haud videbatur, *sapienter* se facere existimavit, ut expresse Arrhianus memoriae prodidit, si ceteris omnibus officiis Alexandrum prosecuta eum tamen intra moenia non admitteret. Sed haec ipsa *sapientia* urbem perdidit. Ille enim ira incensus aggerem *in mari* excitat, quo insulam continenti adiungat atque urbe post septem mensium obsidionem capta, Tyrios ingeniosas operosasque molitiones ac munimenta frustra opponentes omnes perimit exceptis feminis puerisque quos captivos duxit, atque iis qui ad templa confugerant, domos autem *igne* iniecto consumit» (*Patrit.* l. c.). Tyro incensa regionem invadit Philistinorum, urbes eorum capit; sola Gaza,

quam Batis vel Betis vel ut Iosephus Flavius eum vocat, Babamenses satrapes regebat, per duos menses est obsessa, tum capta, et Betis loris per talos traiectis currui alligatus et per urbem tractus et occisus est (cf. v. 5 *peribit rex de Gaza*). Antequam Gazam obsideret, Ierusalem venit; ei Ieddoa et sacerdotum collegium sacris vestibus induti obviam processerunt; Alexander nihil hostile in urbem egit, « sed adorato Dei nomine, quod pontificis maximi fronti inscriptum vidit, ac victimis ad sacerdotum praescripta in templo mactatis quidquid ipsum Iudaei rogarunt concessit » (l. c.). Haec omnia veterum scriptis referuntur; cf. quos allegant *Lap. Calm.* et praesertim *Patrit.* : Diodorus Sicul. Biblioth. l. 17; Curtius, hist. Alex. 3, 12; 4, 1-6; Arrhianus, de exped. Alex. 2, 11. 15. 17 seq. 25-27; 3, 1; Flavius Iosephus, Antiq. 11, 8; Plutarchus, Alex.

Neque quod v. 6 legimus, habitaturos esse extraneos in Azoto, abest ab Alexandri moribus. Legimus enim in historiis Alexandrum quandoque militibus quorum opera non ultra indigeret, quasdam de numero urbium captarum habitandas dedisse; quae sors Samariae quoque accidit (cf. *Patrit.* l. c. p. 43). Sed cum expeditione bellica Alexandri certe id non sit effectum, quod v. 7 praedicitur, ablatio scil. idololatriae et Philisthinorum ad populum Dei aggregatio, alii vaticinium ea *simul* spectare volunt, quae Machabaeorum tempore sint facta; 1 Mach. 5, 66 seq.; 13, 43 seq.; 10, 84 (cf. *Lap. Men. Tir.*). Iudas enim Machabaeus « declinavit in Azotum et diruit aras eorum et sculptilia deorum ipsorum succendit igne et cepit spolia civitatum »; Simon vero expugnavit Gazam (?)[1] « mundavit aedes in quibus fuerant simulacra... et eiecta ab ea omni immunditia collocavit in ea viros qui legem facerent et munivit eam et fecit sibi habitationem »; Ionathas autem succendit Azotum et civitates in circuitu, ab Ascalonitis magnis honoribus est exceptus et demum Accaron et omnes fines eius accepit in possessionem. Propter eandem rationem ab idololatria destructa petitam sola facinora Machabaeorum, non autem res ab Alexandro gestas in considerationem adhiberi posse alii iudicant (ita v. g. *Sanct.*). Ego potius in eam sententiam inclino, ut dicam, neque ab Alexandro neque a Machabaeis ea esse praestita plene et perfecte quae h. l. annuntiantur; talia autem oracula prophetica non ita *unum* spectare eventum, verum norma potius *generali* edicere, qua via ad salutem adducendae sint gentes; quae norma quia est generalis, in rerum cursu repetitis vicibus exprimi possit; unde quae ab Alexandro et a Machabaeis gesta sint, esse censeo praeludia quaedam vel gradus per quos ad earum gentium punitionem, subiectionem et demum ad theocratiae incrementum perveniendum sit. Edicitur enim eo vaticinio id quod apud prophetas sollemne est : gentes esse iudicio divino puniendas, earum potentiam et superbiam esse confringendam; id autem fore eo fine, ut in suam felicitatem regno Dei aggregentur. Idque sequenti oraculo egregie confirmatur, utpote quo edicitur, dum cetera regna corruant, laetandum esse et exsultandum Sioni propter regem Messiam, propter quem

1. Codices quidem graeci, latini, syriaci legunt 13, 43 Gazam; verum cum postmodum inter facinora Simonis nulla fiat eius urbis mentio, verum solius expugnationis Gazarae, quae est in finibus Azoti, ubi posuit praesidium viros Iudaeos 14, 34, aliqui etiam 13, 43 *Gazaram* esse legendam censent, uti legit *Iosephus*, Ant. 13, 6, 7. Bell. iud. 1, 2. 2.

Sion peculiari Dei custodia circumdetur et qui regnum pacis et sanctitatis per orbem sit instituturus.

Uti igitur prophetae ante exsilium regna mundi i. e. regna Assyriorum, Babyloniorum, Aegyptiorum etc. interitui esse devovenda dixerunt, ut regnum Messiae consistat, ita Zacharias reduces consolatur et confortat, ne quid sibi timeant a gentibus vicinis et earum inimicitiis, et hoc ipso oraculo eos edocet, consistere adhuc et valere antiquum illud Dei decretum quo statuerit, omnem potentiam inimicam esse deiiciendam, ut regnum Dei consistat. Quod igitur visione illa 1, 19-21 in universum exhibuit, iam applicatione facta ad gentes vicinas per singula quasi membra proponit. In qua quidem praedictione mirari licet tempus futurum sub Alexandro et Machabaeis fuisse ita delineatum, ut magna cernatur similitudo; sed simul adverti potest, ipsum oraculorum ambitum iis rebus non fuisse ex aequo impletum, esse autem impletum in regno Christi, quod illis gentibus vel deletis vel subiectis longe lateque dominetur invictum et in perpetuum insuperabile.

Unde rem bene explicat *Theod.* scribens ad v. 8 : « haec quidem ad finem pervenerunt etiam sub Machabaeis... verumtamen exactus prophetiae exitus (ἡ δὲ ἀκριβὴς ἔκβασις) post Salvatoris nostri adventum patefactus est. Nunc enim idolorum errorem repudiantes et Ascalonitae et Accaronitae et ceteri allophyli divinae notionis lumen admiserunt, et qui ex eis constituti sunt ad eos pascendos, quasi quidam tribuni et belli duces praecellunt ». Alii, uti *Lap. Gord.*, saltem concedunt *mystice* haec quae dicantur veriora esse de Christo et Apostolis, qui Philisthaeos omnes sibi, evangelio et Ecclesiae subiecerint itaque fecerint, ut gentiles cum Iudaeis in unum populum fidelem coalescerent; sim. *Sanct.* qui historice de regno Iudaeorum, *typice* de Ecclesia explicat. Ad considerationem a *Theod.* l. c. propositam magis accedunt *Men. Tir.*

b) **Messias rex pacificus 9, 8-10.**

Dum gentes circa Ierusalem hostili impetu turbentur et subiiciantur, populus Dei sub divina protectione securus deget : v. 8 « *Et circumdabo domum meam ex his qui militant mihi euntes et revertentes, et non transibit super eos ultra exactor, quia nunc vidi in oculis meis* » ; — Deus *domum* i. e. familiam, populum suum, Ecclesiam (cf. *Hier. Cyr. Theod. M. Rib. Sa, Tir. Schegg, Trochon*) praesidiis circumdabit electis ex iis, qui ipsi militant efficietque, ut ii eant et revertantur i. e. diligenter et ad nutum Domini ministrent, sedulo in officio suo discurrant. Haec praesidia explicant vel angelos (*S. Hier.*) vel fidei praecones, cultores, magistros (cf. *Rib.*). Qui domum Dei templum interpretantur, praesidia illa cernunt in Machabaeis (*Lap. Men. Gord. Calm.*). Simplicius hebr. habet : *castra ponam domui meae ab exercitu, a transeunte et revertente* i. e. Deus castris positis defendet familiam suam ab incursionibus hostium, ita ut nulla parte, nulla occasione irruere possint;

transiens et *revertens* dicitur hostis, qui repetitis vicibus ac vario modo invadere ac diripere studet. Erit igitur Deus pro theocratia, ut promiserat « murus ignis in circuitu » (2, 5). Tum utique cessat servitus illa et subiectio, qua olim saepius ingemuerunt sub *exactoribus*; cf. Ex. 5, 14. Is. 9, 4; 14, 4. Olim enim Deus tradidit populum hostibus eumque in miseria reliquit, quasi non videret eorum mala; nunc vero se *oculis suis videre* ait i. e. eos intueri, praesto eis esse, omnem eis curam et studium impendere (cf. *Rib.*). Unde *Chald.* ita sententiam effert: « nunc manifestabo potentiam meam ad benefaciendum iis ».

Iam clare declaratur, cur domus Dei sit divina protectione munienda, cur servitus et oppressio hostilis cessare debeat et quantopere cura divina eis impendatur : v. 9 « *exsulta satis, filia Sion, iubila, filia Ierusalem! ecce rex tuus veniet tibi iustus et salvator, ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum, filium asinae* »; — hebr. *exsulta valde ... vociferare!* ad immensae laetitiae significationem et summum amoris iubilum manifestandum. Et quam merito? veniet *rex tuus*, diu iam promissus, qui unus post abiectum Sedeciam ex vaticinio Ezechielis exspectandus est *rex*, cuius est regni ius et cui Dominus illud dabit (Ez. 21, 27), qui est *rex tuus*, tibi promissus, thronum David occupans et stabiliens in aeternum, totus in populi theocratici utilitatem, honorem, gloriam intentus; quid enim sub tali rege non erit sperandum, de cuius imperii felicitate, splendore, beatitate tam praeclara iam per prophetas priores innotuerunt (cf. Is. 9, 6; 11, 1; 60, 1. Mich. 5, 3 seq. Ier. 23, 5. Ez. 34, 23 etc.). Et iste rex veniet *tibi*, pro te, in tuam utilitatem, ut te bonis suis compleat; cf. Is. 9, 6: « parvulus enim natus est *nobis* et filius datus est *nobis* ». Quare gaudium maximum exserere iubetur filia Sion, veniet enim potestas prima, regnum filiae Ierusalem (Mich. 4, 8). Et exsultationis ratio potissimum declaratur, quia rex est *iustus*, afferens iustitiam, efficiens illum iustitiae et sanctitatis statum, quem Deus hominibus inesse vult et quem tot prophetarum oraculis iam promisit; unde apud Isaiam *iustus servus* appellatur (53, 11; cf. 45, 8; 51, 5); venit *salvator*, efficiens et praebens salutem, pacem, securitem.

Atque ut de indole regis Messiae eiusque regni pacifica, a mundi pompa et bellicis expeditionibus alienissima, spirituali, dubium incidere ne possit, describitur rex ille *pauper* i. e. humilis, pompa carens, vectus asino in testimonium humilitatis, pacis, mansuetudinis; equum enim superbum, bellicosum spernit; non in modum victoris, triumphatoris urbem suam regiam et sedem potestatis paternae ingreditur, sed uti decet indolem regis theocratici, qui est *pastor* populi, asino vectus venit ad « turrem *gregis*, ad collem filiae Sion » (cf. ad Mich. 4, 8). Huius va-

ticinii ad literam impletionem lege Matth. 21, 1. Marc, 11, 1. Luc. 19, 29. Ioan. 12, 14; et vide inter alia *Eusebium* (*M.* 22, 708. 1150).

LXX, *Syrus*, *S. Hier. Chald.* omnes concorditer praebent σώζων, *servator, salvator*; quare omnino verisimile videri posset eos legisse מושיע, dum textus *mas.* fert נוֹשָׁע i. e. partic. niphal *salvatus*. Posset ergo aliquis suspicionem movere, ne forte locus sit a Iudaeis corruptus. Attamen cum ipsi prisci Iudaei locum hunc de Messia explicaverint (cf. *Reinke*, Messian. Weissag. IV, 2 p. 115 - 119), vix talis suspicio consistere poterit. Atque revera lectio quoque hebr. sensum praebet Messiae eiusque muneri congruum. Sunt quidem satis multi interpretes qui etiam נוֹשָׁע explicent *salvatorem*. Verum id ex usu verbi in niphal probari vix satis potest. Sed cur *salvatus, salute praeditus* non iuremerito Messias dicatur, nemo poterit in dubium vocare. Est enim, ut iam apud Isaiam dicitur, ipse in opere redemptionis subeundo et in labore talis certaminis servatus a Domino : « haec dicit Dominus : in tempore placito exaudivi te et in die salutis auxiliatus sum tui et *servavi* te» et iterum ipse Messias loquens inducitur : « Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus... ecce Dominus Deus auxiliato. meus » (Is. 49, 8; 50, 7. 9; 42, 6). Unde rex Messias bene describi potest tamquam salvatus, salute, protectione divina praeditus, qui ut ipse hanc habet salutem ita eam aliis distribuet, vel qui propterea illam a Deo accepit salutem, ut ab eo in alios redundet. Ita salvatus fit salvator. Neque hoc a s. literis novi foederis alienum est; ibi enim Messiam audimus precantem : « Pater, salvifica me ex hac hora... venit hora, clarifica filium tuum » (Ioan. 12, 27; 17, 1) et *S. Paulus* nos docet, Christum in diebus carnis suae preces supplicationesque obtulisse ad eum, qui possit illum *salvum facere* a morte (Hebr. 5, 7). Sicut itaque ipse est *iustus* i. e. iustitia et sanctitate praeditus et *iustificans* (cf. Is. 53, 11), ita salvatus est et simul salvans. Cum igitur talis adsit nexus, haud immerito aliqui vocem hebr. explicant de Messia *victorioso*; i. e. egregie a Deo adiuto et liberato, qui triumphantis in morem *victoriosus* ad urbem regiam adveniat.

Hebr. עָנִי *S. Hier.* vertit *pauper* (uti *Theod.* et versio *quinta*); certe voci inest significatio ea; praeterea saepe dicit *miserum, afflictum;* verum etiam *mansuetum, mitem, modestum*; et hac significatione hic accipitur a LXX et *Aq.* πραΰς, a *Syro* et *Chald.* (proprie *humilitatis* notionem is exprimit). Atque id quidem recte. Nam ad mansuetudinem et pacis studium etiam vectio super asinum valde est accommodata et simul magnam prae se fert humilitatem, qua Messias rex indolem sui regni delineat.

Ex eo, quod propheta dicit : *ascendens super asinum et super pullum, filium asinae* [1], non sequitur, quod multi veteres volunt, Christum *successive* et asina et pullo vectum esse. Nam notum est ex lege parallelismi saepe *unam* notionem

---

1. In hebr. ad verbum : super asinum et super pullum filium *asinarum;* pluralis enim saepius ponitur ad unum aliquod quod ex pluribus non accurate determinatur significandum v g. Gen. 8, 4; 21, 7. Iud. 12, 7; cf. *Ewald*, Lehrb. §. 179 d. Aliqui emunctae naris in filio *asinarum* nobiliorem stirpem et prosapiam asinarum generosam deprehenderunt.

unumque sententiae membrum *bipartito* enuntiari ; id quod hoc loco eo aptius fit, ut hac repetitione emphasis maior habeatur. Accedit quod particula *et* saepius non *addit* aliquid novi, verum membrum antecedens solum declarat magis atque explicat, ita ut saepe aequivaleat notioni *et quidem, nempe, nimirum*, cf. Gen. 13, 15 et locis parrall. ; 1 Sam. 28, 3. Dan. 4, 10 (vide *Ges*. Thes. p. 394). Idque narratione quoque Evangelistarum constat. Nam *Marcus* (11, 7), *Lucas* (19, 33), *Ioannes* (12, 14) solius pulli (vel, ut *Ioan*. aselli) mentionem faciunt; neque contra est *Matthaeus*: «et adduxerunt asinam et pullum et imposuerunt super eos vestimenta sua et eum desuper sedere fecerunt » καὶ ἐπεκάθισεν ἐπάνω αὐτῶν et sedit super ea, scil. vestimenta (21, 7), a discipulis ignaris, utro animali Iesus usurus esset, *super utrumque* imposita erant vestimenta, at Iesus non potuit, uti per se patet, sedere super utrumque; ἐπεκάθισεν unam dicit actionem; de successiva quadam mutatione et sessione ne vestigium quidem adest in textu. Quare longa illa disceptatione de successiva super utrumque sessione, quam praebent h. l. *Rib. Sanct. Lap. Men. Tir.*, carere possumus et satius erit adnotare cum *Maldonato* (ad Matth. 21, 6), Marcum et Lucam indicare Christum voluisse sedere super pullum, *uper quem nemo homium sederat*, quia non decuerit Christum sedere super iumentum, super quod alii iam insedissent; *primitiae* enim Domino erant consecrandae; insuper in aliquibus sacrificiis Dominus postulaverat, ut victima seligeretur, *quae non portaverit iugum* (cf. Num. 19, 2. Deut. 21, 3. 1 Reg. 6, 7). Rationem aliam, quam multi amplexi sunt, reddit *S. Cyr.* : « quievit enim Christus super novo populo, hoc est ad agnitionem veritatis vocato, qui aliquando idola venerabatur, instar pulli quippe erat nondum domitus, neque recta sciens ingredi, utpote lege divina nondum institutus. Sed qui omnes ad spiritualem scientiam deducit, sibi pullum destinavit. Secuturam autem aliquando synagogam, per asinam sequentem nos docet ».

Si in anteceedntibus aliqua saltem ratione Alexandri Magni facinora et bellicas expeditiones descripta cernimus, adest optima oppositio inter victorem et expugnatorem superbum bellatoremque sanguinolentum atque inter Messiam regem pacis, sicuti eodem modo apud Isaiam Cyrus expugator et Messias pacificus insigni inter se comparatione proponuntur (Is. 41, 2-6 : 42, 1-7).

In textu *vulg.* nunc legitur : *ascendens super asinam* ; quare excipi posset contra explicationem propositam, pullum *filium* asinae non posse addi ad *asinam* explicationis gratia. Sed adverte in hebr. haberi חֲמוֹר quae vox communiter *asinum* designat; solum 2 Sam. 19, 27 iungitur cum femin. עָלֶיהָ. Insuper olim in *vulg.* lectio *asinum* quae est etiam codicis amiat. erat satis communis, quam in rem scribit *Lucas Brugensis* in notatione ad h. l. : « quattuor parisiensium et quinque nostra lectissima manuscripta.. cum tribus aliis vulgaribus, insuper antiqui epanorthotae libri scribunt : *ascendens super asinum*... Castigatores Hentenius et parisienses *asinum* textu donarunt, quibus suffragatur epanorthotes..... Euthymius Matthaei enarrans evangelium eundem intelligit asinum quem pullum filium asinae, ita ut sensus sit : ascendens super asinum qui aetate pullus est, cui sensui multum vult ista D. Ioannis citatio 12, 15 *sedens super pullum asinae* ; Matth. 21, 5 ubi haec prophetia etiam citatur,

latine legitur *asinam*, narraturque cum pullo asinam fuisse adductam ; cuius loci occasione possit hic *asinum* cum *asinam* esse mutatum ». Correctores romani praetulerunt *asinam* ; an iuremerito ita elegerint, valde dubium est. In editione plantiniana Bibliorum Antverpiae 1559 quam conferre licuit, legitur in textu *asinum*, in margine inter lectiones variantes *asinam*.

Quo indoles regis Messiae pacifica clarius demonstretur, spondet Deus apparatum bellicum destructum iri, ut ei iter et via pandatur, ipsumque Messiam pacem esse annuntiaturum inter gentes et regnum tale fundaturum universum per orbem . Haec tria proponuntur v. 10 «*et disperdam quadrigam ex Ephraim et equum de Ierusalem et dissipabitur arcus belli. Et loquetur pacem gentibus et potestas eius a mari usque ad mare et a fluminibus usque ad fines terrae* » ; — *et disperdam* cf. Mich. 5, 10-12. Regna terrae bellico apparatu gloriantur eoque potissimum et exoriuntur et conservantur ; alia est indoles regni sionitici. Satis clare subvertit vates spem et exspectationem regni terreni et pompae saecularis. Simul tamen, ut advertit *S. Cyr.*, virtus ac potentia Messiae declaratur, qui tantum proderit in se confidentibus, ut summam pacem in longum per omnes gentes extendat. Tribus membris bellicum apparatum enumerat vates, ut enumeratione ipsa res cum emphasi notetur ; « apte vero quadrigas accommodat Ephraim, equos Ierusalem, quia ephraimiticum solum magis aptum curribus quam hierosolymitanum ; hoc enim confragosum est et intercisum salebris, illud magis in planitiem aequatum. Quare reges Israel magno quadrigarum numero instructos fuisse Scriptura sacra commemorat » (*Sanct.*). Rex Messias ius dicet gentibus, lites componet ; talia docet, loquitur, quae pacem spirant, pacem adducunt, et veram pacem, securitatem, felicitatem efficiet (cf. quae dicta sunt ad Mich. 4, 3 vel quae scripsi ad Is. 2, 4).

Et eius regnum est regnum *universale* ; nam « quod omnium maxime est mirandum, is qui non habebat ubi reclinaret caput, quique pullo insedit, totius terrae marisque cum illi placuit, imperium tenuit » (*Theod.*). Ea phrasi terrae ambitus designatur ; cf. Am. 8, 12. Mich. 7, 12. Ps. 71, 8 ; *Chald.* verba explicat : dominabitur a mari usque ad occidentem, atque ab Euphrate usque ad extrema terrae. Atque recte quidem ; nam *fines terrae* אַפְסֵי־אָרֶץ nunquam adhibetur de finibus terrae palaestinensis, verum de extremis orbis terrarum finibus ; cf. 1 Reg. 2, 10. Ps. 2, 8 ; 21, 28 ; 58, 15 ; 66, 8 ; 71, 8 ; 97, 3. Prov. 30, 4. Is. 45, 22 ; 52, 10. Ier. 16, 19. Mich. 5, 4 (de qua re vide *Reinke* l. c. et in comment. ad Ps. 2 et 72). Eam notionem *generalem* etiam interpretes protestantes verbis inesse statuunt ; ita *Ros.* : « sensus est : dominabitur, quam late patet orbis terrarum » ; *Keil, Hupfeld-Riehm* (Die Psalmen ; 2 ed. ad Ps. 2, 8) tec. Atque *post* vaticinia messianica, quae ante Zachariae tempus facta

sunt, plane necessario exigitur, ut regnum Messiae *universale* dicatur; id quod e locis modo allatis elucet et iam in benedictione illa annuntiatur, qua in semine Abraham omnes *gentes* sunt ditandae, vel etiam in promissione a Noe filio Iapheth facta: Iaphethitas habitaturos esse in tabernaculis Sem.

Hoc regno universali pacis templum illud exstruet Messias, de quo nos docuit vates 6, 12. 13; hoc regno continetur gloria throni eius; in hoc erit sacerdos et rex et *consilium pacis* erit. Ad tale autem fastigium perveniendum est per humilitatem ac mansuetudinem; hoc innuit vates 6, 12 (vide ad verba: et subter eum orietur) et nostro loco: veniet rex ... pauper, mansuetus.

Vaticinium hoc v. 9. 10 esse sensu *literali* messianicum, in manifesto est positum. Hanc interpretationem veteres quoque Iudaeos amplexos esse, iam luculenter demonstravit *Raymundus Martinus* (†1290) O. Praed. in celebri [1] opere « Pugio fidei adversus Mauros et Iudaeos » p. 3. dist. 3. cp. 16, 1; cf. quoque *Galatinus* (de arcanis cath. verit. lib. 8 cap. 9; 10, 2. 6), et satis quoque ostenditur apud *Reinke* l. c. p. 115 seq. etiam apud *Lightfoot*, Horae hebr. ad Matth. 21 et apud alios qui de Messia vel habitudine inter N. T. et libros talmudicos scripserunt, uti *Schoettgen, Wetstein, Eisenmenger*; vide etiam *Ugolini*, Thes. antiq. s. I p. 312. — *Theod. M.* locum interpretatur de Zorobabele multisque eam explicationem defendere conatur; at omnino concedit: « res demum evidenti veritate patuit in Christo Domino. Zorobabel enim exiguas de gentibus poenas sumpsit et suorum tenuem salutem patravit ... verax autem dictio apparuit in Christo Domino ». Textum hunc *Theod. M.* intelligi vult ad modum illius: « benedicentur in te et in semine tuo omnes gentes: obvius quidem sensus posteros eius designat, verumtamen dicti veritas in Christo Domino constat. Tale est autem illud beato Davidi dictum (Ps. 88, 38): obvio sane sensu videtur successores dicere ... sed tamen rei veritas in Christo Domino apparet ». Prophetiam eo sensu negat, quod contendit prophetam quidem h. l. de Zorobabele dixisse, veracem autem dictionem apparuisse in Christo, et ad eum trahi (ἧκται) in evangeliis. Hanc interpretationem acerbe carpit *Theod.*: « ego vero Iudaeorum stuporem (ἐμβροντησίαν) admiror, qui impudentissime (λίαν ἀναισχύντως) hanc prophetiam de Zorobabele interpretari conantur ». Etiam *Barh.* verba prophetae *corporaliter* i. e. literaliter et historice dici vult et valere de Zorobabele, *spiritualiter* autem de Domino nostro. — Recenti tempore *Pressel* ad h. l. censet, tali modo in typum et figuram Messiae Ezechiam regem urbem regiam esse ingressum. Vides, quomodo non ex documentis historicis, sed ex suo cerebro historiam scribat; insuper istud vaticinium non tempore Achaz regis, ut vult *Pressel*, sed

---

1. Non defuerunt qui Raymundi bona fide in dubium vocata nostra aetate contenderint eum textus iudaicos finxisse, a qua accusatione eum bene vindicat *Neubaur*, The book of Tobit p. XVIII seq. Cf. *Cornely*, Introd. I p. 660.

tempore Zachariae est editum. — De rege *ideali* i. e. de Messia textum loqui, ipse etiam *Hitz*. aperte fatetur negatque ad rem esse eventum aliquem v. g. Azariae triumphum Philisthiis devictis tamquam oraculi occasionem et substratum fingere.

c) Reducibus praeclarae victoriae promittuntur 9, 11-17.

Uti supra 2, 6. 7 postquam vates gloriam et felicitatem instaurationis mente et visione percepit, Dominum audivit invitantem exsules ad reditum, ita nunc rege Messiae eiusque regno beato sublimi ratione descripto omnes invitat, qui etiamtum procul a Sione in terra aliena commorabantur, ut ad tantum bonum capessendum ad urbem Ierusalem et ad theocratiam redeant. Hanc invitationem ita inducit, ut prius moneat iam ex Dei gratia vincula captivitatis esse soluta, carceres apertos, omnibus datam opportunitatem ad patriam remeandi. Hoc habetur v. 11 « *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua* » ; — sermo fit (ex hebr.) ad Sionem ; propter foedus olim sanguine initum et consecratum (Ex. 24, 4-8) Sioni data est opportunitas, qua captivi solverentur ; carcer erat quandoque cisterna sine aqua (cf. Gen. 37, 24) vel fovea (Ier. 38, 6 : submiserunt Ieremiam funibus in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum) ; non quod exsules carceribus inclusi tenerentur, sed conditio exsilii universa imagine captivitatis et incarcerationis proponitur, ut innuatur, quanto studio libertate oblata eos potiri deceat et quanta cum laetitia et gratiarum actione reduces de libertate recuperata sentire ac loqui debeant. In textu lat. *Sion* emisit ; ita quoque LXX et *Syrus* ; potest intelligi eo sensu, ut foedus sioniticum, foedus a Deo cum Sione initum dicatur attulisse libertatem. Clarius ac simplicius rem effert textus hebr., ubi Deus loquitur : etiam ad *te* [1] quod spectat, *propter sanguinem foederis tui dimisi vinctos tuos*. Foedus illud initum ad montem Sinai erat inchoata quaedam expletio promissionum patriarchis datarum, quae ultimo suo fastigio tempus spectabant et bona messianica ; unde ea ratione consideratum foedus illud erat aeternum et necessario exigebat, ut theocratia instauraretur ; quare Deus *fidelis* in tanta populi infidelitate pacti initi mentionem facit.

Textui hebr. omnino consentit *Chald.* : vos quoque quibuscum in sanguine sancitum est foedus, redemi ; ita textus quoque syriacus *legi* potest. Eodem

---

1. *Etiam tu* (femin.), id emphasis gratia absolute praemittitur ; id quod saepius fieri notum est ; cf. Ps. 9, 7 hostis — transierunt vastationes eius ; Ps. 18, 31 Deus — perfecta via eius etc.

modo textum hebr. vertunt *Pagninus, Vatablus, Clarius* : tu quoque — in sanguine... emisi, et explicant recentiores (*Schegg, Patritius, Trochon* etc.) : « Sionis filiam Deus adloqui pergit aitque respectu foederis a se cum ea pacti captivitati finem factum esse » (*Patritius*). Veteres communiter etiam hunc versum de Christo explicant Salvatore et multi ibi tangi opinantur Christi descensum ad inferos, ad limbum, qui sit lacus sine aqua, ex quo liberaverit sanctos veteris foederis (*Rib. Sanct. Lap.* etc.). Verum de limbo et de tali redemptione nihil est in contextu apud prophetam, uti *verba* ostendunt et *sequentia* probant. Quare illa explicatio merito est derelicta.

Cum Deus tanta fecerit et tam praeclaram spem exhibeat, quid restat, nisi ut opportunitate toties oblata utantur? quare v. 12 « *convertimini ad munitionem vincti spei ; hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi* » ; — i. e. redite ad urbem munitam ideoque securam (cf. 2, 5), quam Deus sua providentia et cura cingit et quae tamquam theocratiae centrum tot mirabilium Dei fuit spectatrix et particeps (cf. Ps. 47). Appellantur *vincti spei* i. e. captivi qui spe tenentur (*Patrit.*), qui ita captivi sunt, ut certam habeant spem liberationis (ita plerique, cf. Rom. 8, 21), vel qui propterea adhuc remanent in exsilio, quia spem illam gloriosae instaurationis nondum expletam cernunt, qui igitur *spe* et exspectatione maioris gloriae adhuc capti retinentur in terra aliena (*Schegg*). Hos invitat annuntians *etiam hodie* i. e. quaecumque demum sit praesens rerum conditio non adeo splendida, et praedicans Deum promissa impleturum abundanter; *duplicia* (vide Is. 40, 2 ; 61, 7) i. e. quo plura perpessi fuerant, eo maiora iis reddet bona (*Patrit.*).

Quaenam sint ista *duplicia*, in sequentibus per singula declaratur. Atque primo quidem Deus insignem victoriam pollicetur, quam populus electus singulari ac mirabili Dei protectione cinctus reportabit de Graecis. Promissio est valde accommodata ad conditionem populi et ad animos confortandos. Nam et reduces varias experiebantur infestationes hostiles (cf. Esd. 5, 3 seq.), et qui in Babylonia morabantur, dominium alienigenarum certe aegre ferebant. Unde promissio gloriosi triumphi omnium animos non potuit non vehementer delectare et allicere. Deus autem ipse, quo certior sit et habeatur victoria, tamquam bellator et pugnator exhibetur, qui suo populo utitur tamquam armis : v. 13 « *quoniam extendi mihi Iudam quasi arcum, implevi Ephraim ; et suscitabo filios tuos, Sion, super filios tuos, Graecia, et ponam te quasi gladium fortium* » ; — populum coniunctum ex Iuda et Israel alloquitur ; omnibus enim spes reditus proponitur, et separatione illa, tot fecunda malorum, demum sublata in unum populum et unam theocratiam coalescant oportet. Arma describuntur, quibus eminus et cominus pugnatur : Iuda est *arcus*, Ephraim sunt *sagittae*, quibus arcus impletur ; extendere arcum, hebr. *calcare* i. e. tendere arcum. Ipsa

imagine intima unio et concordia operis depingitur. Deus ipse pectora excitabit bellicosa, hostem ostendet quem petant; est scil. *Graecia*; deiecto enim regno assyriaco-babylonico et regno persico superato tertia succedit monarchia Graecorum i. e. succedit regnum Alexandri Magni et varia illa regna ex eius imperio exorta. Haec scil. ex visione Danielis tertia est bestia (7, 6) vel ex somnio Nabuchodonosor regis quod explicavit Daniel « regnum tertium aereum quod imperabit universae terrae » (Dan. 2, 39). Etiam istud regnum erit deiiciendum, ut theocratia consistat. In hac autem deiectione populus Dei insignem habebit victoriae partem. Erit scil. *gladius* Dei fortis.

Certamina illa speciali Dei ductu et protectione erunt insignia : v. 14 « *et Dominus Deus super eos videbitur et exibit ut fulgur iaculum eius et Dominus Deus in tuba canet et vadet in turbine austri* »; — praesenti Dei ope et apparitione iuvabuntur; ipse signum dabit ad congrediendum; vehementis tempestatis instar, quae ex deserto Arabiae irruere solet, ingruet clades et perditio in hostes. Membrum versus primum et tertium Dominum ut certaminis ducem, membrum secundum et quartum tamquam pugnatorem exhibet terribilem, qui fulgure (Hab. 3, 11) et tempestate hostes prosternat, iis scil. telis et armis, contra quae nulla humana subsidia protectionem vel tegumentum afferre possunt. Descriptio talis est, quae sponte sua certamina a Machabaeis gesta menti offerat. Quare illius temporis pugnarum mentionem hic iniiciunt non pauci (*S. Ephr. Theod. Alb. Sanct. Houbig. Tir. Calm. Reinke, Patrit. Trochon*) vel saltem ad eas fieri allusionem concedunt (*Lap.*), dum alii de solis armis spiritualibus et de tempore praedicationis evangelii sermonem institui volunt (cf. *S. Cyr. Rib. Sa, Mar. Men. Gord.*). Si quis temporum illorum certamina legerit in iisque adverterit toties fieri mentionem specialis divini auxilii, miraculorum patratorum, signorum coelestium, angelorum apparentium et adiuvantium [1], certe quam maxime huius prophetiae editae admonetur. Et cum illa non contra Dei hostes in universum, sed speciatim contra *Graeciam* (*Iavan* hebr.) dirigatur, ratio adest sane gravissima, ut dicamus illa tempora a spiritu prophetico fuisse delineata.

Accedit, quod certamina illa exhibentur in oraculo tamquam ingenti hostium clade insignia et religionis ac pietatis causa sub singulari Dei tutela suscepta. Haec enim proponuntur v. 15 « *Dominus exercituum proteget eos et devorabunt et subiicient lapidibus fundae et bibentes inebriabuntur quasi a vino et replebuntur ut phialae et quasi cornua*

---

1. Cf. v. g. 2 Mach. 2, 21. 22; 5, 2 seq. 11, 8; 12, 11. 15. 22. 28. 37; 15, 7-29.

altaris »; — *devorare, bibere* de ingenti clade inflicta, de pugnandi alacritate et fervore et de laetitia victoriae dicitur (*Theod.*); quasi ebrii, sui obliti furore et impetu maximo in hostes feruntur (*Alb.*). Bella tempore Machabaeorum satis fuisse sanguinolenta, e libris Mach. constat; ita v. g. totus exercitus Nicanoris fuga dilapsus interiit « et ceciderunt omnes gladio » (1 Mach. 7, 27-47); alio proelio occisa sunt centum millia hominum (l. c. 11, 48), alias viginti millia saepius (2 Mach. 8, 30; 10, 17. 23. 31); alias undecim millia (l. c. 11, 11), decem millia (12, 19), triginta millia (12, 23), viginti quinque millia (12, 26. 28), triginta quinque millia (15, 27) etc. [1] In ipsa descriptione Zacharias ob oculos habuisse videtur Num. 23, 24: « ecce populus ut leaena consurget et quasi leo erigetur; non accubabit donec devoret praedam et occisorum sanguinem bibat ». In hebr. *conculcant lapides fundae* i. e. hostium tela pedibus calcant; nihil eis nocent [2]. Victores sanguine occisorum implentur *ut phialae* i. e. eorum certamina sunt Deo dicata et sacra, quasi sacrificia a Deo acceptantur; in sacrificiis enim sanguis victimarum et phialis sacris excipiebatur et ad *angulos* altaris (hebr.) spargebatur. Unde *sacra* bellorum indoles et *theocratica* effertur; « hi qui vicerint, placebunt Domino quasi altaris cornua eiusque libatio » (*S. Hier.*). Bellatores isti sunt tamquam sacerdotes victimas Domino offerentes; id quod ad Machabaeorum *sacerdotum* praeclara facinora adumbranda optime congruit.

Salutem pugnatoribus a Domino concessam duplici ratione describit v. 16 et 17; prius enim sanctuarium Domino erigent; dein omni bonorum copia et abundantia praediti erunt. Eos Deus tamquam gregem suum agnoscet ac tuebitur v. 16 « *et salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa ut gregem populi sui, quia lapides sancti elevabuntur super terram eius* »; — *quia* hoc versu et in sequenti ita accipio, ut modus ac ratio salutis declaretur; salvabuntur enim, *quia* id obtinebunt propter quod certamina illa subierunt: Dei scil. sanctuarium contra Graecos defenderant; iam fructus certaminum exhibetur: lapides *consecrationis* exsurgent, vel (ut alii hebr. vertunt) splendescent super terram Domini; lapides Deo sacri dicere videntur sanctuarium Dei, templum Dei, quod novo splendore novaque gloria istis victoriis resplendebit in terra sancta. Si

1. Saepius mentio fit proeliorum, quibus tria, quattuor, quinque, octo millia ceciderunt; cf. 1 Mach. 4, 15. 34; 5, 22. 34; 7, 32; 10, 85; 11, 74. 2 Mach. 13, 15.

2. *S. Hier.* cum LXX et *Chald.* accusativum *instrumentalem* interpretatus est: « tanta erit ruina Graecorum, ut non dicam gladiis, sed iactu lapidum et fundarum rotatibus opprimantur, ita ut praedae sint et devorationi inimicis suis »; similiter v. 13 *Ephraim* ponitur *instrumentaliter*; et talem loquendi modum non esse inusitatum, ex Is. 1, 20. Prov. 19, 23 liquet; cf. *Ewald*, Lehrb. §. 279. 2. b.

aliqui *lapides sanctos* de altari novo erecto et dedicato (1 Mach. 4, 47. 2 Mach. 10, 3; cf. *Theod. Alb. Calm. Patrit.*) intelligunt, id certe non est ab hac prophetia alienum, quamvis minime ad unam eam rem sit restringenda sed sensu ampliore capienda de templi gloria sublimiore, qua in terra sancta quasi relucere dicatur.

Varia est huius loci explanatio. Alii enim נֵזֶר intelligunt de corona et diademate (cf. Ex. 29, 6; 39, 30. 2 Sam. 1, 10. 2 Reg. 11, 12 etc.) et explicant *gemmas diadematis* i. e. Deos eos salvabit qui in oculis eius tam pretiosi sunt sicut gemmae in diademate regis vel in ornatu pontificis (cf. *Sanct. Lap. Mar. Ges.* Thes. p. 871; *Keil, Trochon*). Neque contra id excipi potest cum *Schegg*, in diadematis vel coronis veterum gemmas non esse adhibitas ad ornatum; nam id in tanto usu gemmarum apud veteres improbabile est et contrarium satis elucet ex 2 Reg. 12, 30. Ez. 28, 13. Alii *metaphorice* explanant : lapides sunt electi ex monte sacro scil. Abraham (*S. Ephr.*); ad quod conferri potest Is. 51, 1 : « attendite ad petram unde excisi estis... attendite ad Abraham patrem vestrum ». At res est longius petita et allusio nimis obscura. Vel audaciore metaphora : « servabuntur, quia ipsi sunt lapides vivi et sancti, ex quibus aedificabitur Ecclesia; elevantur, cum superaedificantur lapidi vivo Christo » (*Rib.*); talis enim metaphora intelligitur quidem ex claro contextu apud S. Paulum Eph. 2, 20-22 et apud S. Petrum 1 Petr. 2, 4. 5; sed ubi *talis* nexus rerum hoc loco? Praeterea cum versu insequenti particula כִּי non causa afferatur, *cur* salvati sint, sed abundantia salutis magis declaretur, certe hoc quoque versu eadem particula eodem modo erit accipienda. Hoc sensu ita aliqui accipiunt : « lapides sancti qui oppressi fuerant (lapides autem vocat propter duritiam tribulationum et animi fortitudinem), elevabuntur de humilitate sua et erunt in terra illius gloriosi » (*S. Hier.*); vel : in monumentum victoriae, ut sint tituli gloriae Dei (*Pressel*), erigentur simili modi, uti Iosue in titulum et monumentum mirabilis ingressus in terram et usucapionis duodecim erexit lapides (*Lap.*); vel : lapides sancti erigentur i. e. fines terrae undique cingentur terminis sacris et inviolatis; isti scil. lapides sancti sunt *terminales*, qui separant terram sanctam a regione profana, qui eam Deo consecratam esse ostendunt, qui terminos sacros ac tutos constituunt (*Sanct. Schegg*). Uti igitur 2, 5 urbs dicitur defendenda et cingenda muro ignis, ita nunc terra terminis sacris et inviolatis. Sensus utique est aptus. Sed valde dubito, an verba hebr. eum admittant. Nam ex eo quod Deus legem tulit : non transferes terminos proximi tui, et : maledictus qui transfert terminos (Deut. 19, 14; 27, 17), nondum sequitur neque statim percipitur, *lapides consecrationis* dici terminos quos Deus violari non permittet. — *Chald.* de gemmis in ephod pontificis verba capit; habet enim : eliget eos sicut lapides ephod; cf. Ex. 28, 17. LXX praebent λίθοι ἅγιοι κυλίονται; id quod *S. Cyr.* exponit de agilitate et promptitudine sanctorum ad omnia Deo grata obeunda.

Altera salutis declaratio et ampliatio proponitur v. 17 « *quid enim bonum eius est et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum et vinum*

germinans virgines » ? — hebr. per modum exclamationis : *nam quid* (quantum est) *bonum eius et quid pulchrum eius* ? i. e. quanta est bonitas, felicitas eius, quanta pulchritudo eius ? *frumentum iuvenes, vinum vigere facit virgines*. Sermo est de prospero ac felici statu *populi* victoria parta ; haecque conditio vigore et flore iuventutis et felicissimo ac saluberrimo frugum terrae proventu ad modum veteris foederis describitur (cf. Lev. 26, 3-13. Deut, 28, 4 seq.), sicut peccatorum poenae annonae caritate, terrae sterilitate, caede iuventutis exhiberi solent (cf. Ier. 9, 21 ; 12, 4. Lament. 2, 11. 12 Os. 2, 8-12 etc.). Deus igitur post tempus bellorum ac tribulationum mira benedictione populum suum complectetur et bonis abundantissime cumulabit, ita ut eorum magnitudinem exclamatione admirabunda sacer vates celebret ; dein ex bonorum copia unum effert de florente iuventute, in qua et gaudium et spes laetissima populi consistit. Qua in re imitatione exprimere Ieremiam vates videtur ; ille enim, uti caedem iuvenum et virginum squalorem et ablationem vocis sponsi et sponsae tamquam extremae ruinae ac summae miseriae documenta proponere solet [1], ita eorum laetitiam, choros, prosperam fortunam ad instaurationis felicitatem delineandam adhibet [2]; cf. 8, 5. Similiter locum hunc explicant *Theod. Sanct. Mar. Houbig. Calm. Schegg, Patrit. Trochon* aliique ; neque ab ea expositione abest *Alb.*, qui in hac promissione incitamentum ad audaciam cernit : « refectio optima in esculento... et in poculento quae virginibus datur ad pulchritudinis conservationem, quam terra sponte gignit et quam Deus promittit, ad tantam movet audaciam ». Et *Patritius* explicat : « quod additur de ea futurae prosperitatis parte, quae erit ab *agrorum ubertate ac feracitate*, eo item pertinet, ut Israelitae nondum in patriam reversi ad reditum adiiciantur ». Sed quod iam saepius monuimus (cf. Os. 2, 21. Ioel 3, 18. Am. 9, 13), etiam hoc loco valet : prosperitas externa ex indole veteris foederis delineat populi sanctitatem internam et symbolum est gratiae ac favoris divini ; proinde copiam bonorum quoque supernorum ac divinorum hoc quasi involucro contineri ac promitti manifestum est (vide quae notavi ad Is. 62, 8. 9 ; Erklaerung p. 673).

Quaeri potest, ad quid referatur *eius*. Multi *Deum* intelligunt : quanta est bonitas, dulcedo eius ac splendor ! Et semel quidem יָפִי de rege dicitur Is. 33, 17 ; alias de urbis mulierumque pulchritudine. At ipsi voci et contextui magis congruere videtur, ut *eius* accipiatur de populo ; uti enim in altero membro iuvenes et virgines tamquam pars praecipua populi ac flos eius efferuntur, ita iam in

1. Cf. Ier. 6, 11 ; 9, 21 ; 11, 22 ; 16, 9 ; 18, 21 ; 25, 10 ; 48, 15 ; 49, 26 ; 50, 30 ; 51, 3. Lament. 1, 4. 18 ; 2, 10. 21 ; 5, 14 etc.
2. Cf. Ier. 31, 13; 33, 11. Is. 62, 5.

priore conditio populi felix *salute* et *pulchritudine* cum aperta ad utrumque sexum allusione depingitur. Quare rite iam *Sanct.* vocem *eius* ad populum referendam esse statuit. Sed sensus haud multum mutatur, si ad Deum retuleris: quid est bonum quod Deus dat et quae est venustas quam ipse largitur! nam etiam in hac acceptione dicere debebis cum *Lap Men.* aliisque « respicit Deum et consequenter eius populum ; sicut enim Deus nihil melius aut pulchrius hoc dono dare, sic nec populus accipere potest », vel ut *S. Cyr.* ait : « si quid bonum, eius est, et si quid pulchrum, ab ipso est, a Deo omnia nobis ad pietatem largiente ».

In *frumenti vinique* acceptione magna adest varietas interpretum *S. Cyr.* in frumento cernit animorum *robur* ; panis enim cor hominis confirmat ; in vino quod laetificat, veram Dei cognitionem, in utroque amplam et copiosam bonorum supernorum communicationem. *S. Hier.* : « nos frumentum electorum sive iuvenum, et vinum germinans virgines sive vinum boni odoris ad virgines (ita scil. ex LXX) intelligimus Dominum Salvatorem, qui loquitur in evangelio : nisi granum tritici cadens in terram . . . de hoc tritico efficitur ille panis, qui de coelo descendit et qui confirmat cor hominis. Hunc panem comedunt qui in Christo robusti sunt . . . ipse est et vinum quod laetificat cor hominis et bibitur ab his virginibus quae sunt sanctae corpore et spiritu » etc ; sim. *Haimo. Rup.* autem frumentum intelligit verbum Domini, vinum spiritum Domini et dulcedinem Spiritus Sancti ; *Alb.* post literalem explanationem *spiritualem* affert interpretans frumentum puritatem et dulcedinem gratiae divinae, vinum autem conceptum gaudiorum aeternorum, quod virgineas mentes et incorruptas infundit et inebriat. S. *Ephraem* loquitur de vino botri in cruce pendentis. Apud interpretes latinos frequens est mentio s. Eucharistiae, vel sensu solum mystico (*Sanct. Calm.*)vel etiam literali (*Rib. Lap. Sa, Men. Tir. Gord.* aliique ab iis citati). Aliqui *germinans virgines* accipiunt efficiens miram castitatem corporis et animae (*Rib. Lap. Sa, Men.*) , rectius alii florere faciens (*Sanct. Mar. Schegg, Trochon*). Verbum enim נוּב in *qal* significat pullulare, germinare, vegetum, esse et suculentum, crescere, augeri (cf. Ps. 62, 11 divitiae si *affluant* , Ps. 92, 15 adhuc *multiplicabuntur* in senectute ; Prov. 10, 31 os iusti *parturiet* sapientiam). unde in *piel* germinare facere, vegetum reddere etc. LXX praebent οἶνος εὐωδιάζων εἰς παρθένους ; *Syrus* delectans virgines (vel suaves faciens ac iucundas), — *Chald.* totum versum explicat de doctrina legis bona et pulchra ; sim. *Vat.* de verbi Dei copia, *Clarius* de pane et vino evangelico, quod homines reddat fortes et alacres spiritu.

Vox בָּחוּר *iuvenem* dicit, saepe iungitur cum בְּתוּלָה *virgine* et frequenter *iuvenis* vel *adolescens* vertitur a *S. Hier.* v g. Deut. 32, 25. 2 Par. 36, 17. Eccl. 11, 9. Is. 62, 5. Ier. 15, 8 , 51, 22. Ez. 9, 6. Prov. 20, 29 etc. etc. ; quare explanatio mystica nullo modo inniti potest in *vocibus*, quas h. l. selegit, quasi in *electis* et in vino *germinante virgines* sensus sublimior lateret. Ceterum etiam adverte, quam frequenter in s. literis ad terrae palaestinensis fecunditatem et prosperitatem designandam frumenti, tritici et vini mentio fiat v. g. Gen. 27, 28. 37. Num. 18, 12. Deut 7, 13. 8, 8 ; 11, 14 ; 12, 17 ; 14, 23 ; 18, 4 ; 33, 28. 2 Par. 31, 5 ; 32, 28. Esd 6, 9. Ps. 4, 8. Is. 36, 17 ; 62, 8. Lament. 2, 8.

Os. 2, 22; 7, 14. Ioel 1, 10. Agg. 1, 11 etc.; quare in tam frequenti verborum coniunctione id unum apparet, iis terram abundasse eaque ad vitam esse pernecessaria. Ex tali autem pro vita *usu* et *necessitate* utique iuremerito colliges rationem congruam, cur Christus Dominus s. Eucharistiae materiam et signum elegerit panem et vinum; sed ex hoc Zachariae loco cave ne pro s. Eucharistia eiusque effectibus argumenta promas nisi sensu quem dicunt accommodato (hunc fuse prosequitur *Lap.*).

Demum de totius partis interpretatione notatu digna quoque sunt, quae *S. Hier.* ex Iudaeorum explicatione affert, referri scil. ad Machabaeorum tempora, qui vicerint Macedonas et sordidatum templum mundaverint; ita ad v. 13. v. 14 spectare Machabaeos contra Antiochum dimicantes; « nos autem, ait *S. Hier.*, referemus cuncta ad intelligentiam Salvatoris », sed v. 15. 16 ipse quoque de Machabaeorum tempore interpretatur; scribit enim: « salvabit quoque Dominus eos sicut oves et gregem populi sui: non enim ut armatus exercitus et instructus arte bellandi adversum Macedones dimicabit, sed veniet quasi grex paratus ad mortem et Domino auxiliante superabit ». Ad v. 17 haec notat: « ideo, inquiunt, Machabaei huc illucque fugientes Domino auxiliante superabunt, ut eiectis Macedonibus de terra Israel mundetur templum, legis praecepta serventur et eruditio Scripturarum rursum germinet virgines, id est, populos credentium in unum Deum, qui prius idololatriae fuerant cultibus constuprati. In frumento electorum i. e. *baurim*, non iuvenes, ut LXX transtulerunt, sed *electos* et eruditos viros intelligi volunt, qui frumentum, id est, legem Dei comedere mereantur ..... Haec Iudaei aestimant ». Approbat igitur *S. Hier.* partim historicam expositionem, partim ea repudiata vel saltem neglecta statim verba ad Ecclesiam Christi refert. — Singulare est, quod *Theod. M.* et *Barh.* etiam hic certamina cernunt contra Gog.

d) A Deo salus est petenda 10, 1. 2.

Descripta felici conditione quam Dominus populo suo pollicetur (9, 16. 17), propheta, uti 2, 6 et 9, 11. 12, ex oraculo accepto doctrinam colligit et applicationem pro tempore suo et pro suis aequalibus, scil. ut abiecta omni superstitione et vana fiducia humana ab uno Deo, qui paratus est tam eximia suis largiri, optima quaeque expetant. Et cum modo 9, 17 de terrae ubertate et fertilitate tamquam pignore et symbolo benevolentiae et liberalitatis divinae mentio sit iniecta, apposite propheta suos adhortatur 10, 1 « *Petite a Domino pluviam in tempore serotino; et Dominus faciet nives et pluviam imbris dabit eis, singulis herbam in agro* »; — hebr. *tempore serotinae pluviae* i. e. quando pluvia praecipue necessaria est, ut segetes ad spicam et maturitatem adducat (*Sanct.*). In Palaestina enim sunt, ut loquitur iam recte *Alb.*, « duae pluviae, scil. temporanea quae descendit ut semina pullulent et in herbam germinent, et serotina quae descendit ad hoc quod grana tumescant »; prior sub medium Octo-

brem contingit, altera sub Martium medium et Aprilem ; cf. Os. 6, 3. Ioel 2, 23. Deus enim mandata sua observantibus explicite has pluvias promiserat (Deut. 11, 13-15). Unde simul innuitur ad petitionem mentis fidelem mandatorum Dei observationem accedere debere, ut preces effectu suo non careant. Propheta adhortationem fulcit generatim monens Dominum aeris tempestatumque conditiones moderari et suum cuique nutrimentum elargiri. Hebr. *Dominus faciens fulgetra*; cf. Ier. 10, 13 ; *pluvia imbris* i. e. copiosus imber ; geminata enim nomina, ut iam *Sanct.* advertit, habent semper auxesin quandam ; *herbam* autem generatim dici pro quolibet fructu, quem tellus producat, uti Gen. 1, 11. 29, iam *Theod. M.* advertit.

Hebr. חֲזִיזִים *S. Hier.* h. l. vertit *nives* ; suspicati sunt *Rib.* aliique esse legendum *nubes*. In libro Iob *S. Hier.* vocem vertit procellam (cf. Iob 28, 26 ; 38, 25). Plerumque *fulmina, fulgetra* explicant (*Sanct. Schegg, Keil, Trochon*). LXX h. l. praebent φαντασίας, « nescio quid volentes LXX *phantasias* interpretati sunt » (*S. Hier.*) ; vocem *S. Cyr.* explicat ἀστραπάς ; *Theod* : « ipse enim est et pluviae auctor et aliarum rerum opifex, quae ad hominum terrorem fieri solent » ; intelliguntur *phantasiae* phaenomena et mutationes illae quae in aere fieri solent (cf. *Theod. M.*). Vocem hebr. LXX Iob 28, 26 vertunt τίναγμα ; *Sym.* ibidem habet κτύπος, alio vero loco Iob 38, 25 ψόφος; *Syrus* hexapl. ad nostrum locum praebet *strepitum* (cf. cod. syr. hexapl. ed. *Middeldorpf* p. 241. 562) ; *Syrus* vero *stillas, Chald.* autem *ventos*.

Monet igitur vates, ut talia petant ab eo qui *dare potest* (*Theod.*). Salutaris autem institutionis causa praeterita mala commemorat, uti nexum cum sequentibus *Theod. M.* adstruit, atque simul certe etiam pro suis aequalibus vanam omnem superstitionem amovere volens adhortatur v. 2 « *quia simulacra locuta sunt inutile et divini viderunt mendacium et somniatores locuti sunt frustra ; vane consolabantur; idcirco abducti sunt quasi grex, affligentur, quia non est eis pastor* » ; — brevi : omnis miseria, qua olim pressi sunt et cuius reliquiis et sequelis etiamtum affliguntur, ex idololatria et superstitione originem duxit ; una salus est in solo Domino. Hebr. *teraphim*, idola ad oracula danda adhibita, tamquam lares et penates, ut aliis placet ; cf. Os. 3, 4 ; *divinatores* vel arioli, proprie (ut videtur ex Ez. 21, 26) sortilegi, falsa vaticinati sunt ; *somniorum coniectores vana*, inania loquebantur ; eorum consolatio futilis erat, re et effectu tamquam vana deprehendebatur. Ea superstitionis genera et olim populum e sedibus suis eiecerunt et praesentem miseriam advexerunt ; ad ea autem populus delapsus est culpa et negligentia eorum, qui ut principes et doctores populo providere debebant. Haec de malis pastoribus querela et accusatio frequens est apud prophetas ; cf. Is. 56, 11. Ier. 2, 8 ; 10, 21 ; 23, 1. Ez. 34, 2.

Tria superstitionum genera recensentur vel tres ordines hominum enumerantur in textu lat. (et apud LXX ?) et *Chald.* et ita etiam textus hebr. intelligi debet :

et somnia vanum loquebantur, inaniter consolabantur (cf. *Ros. Hitz. Pressel*); neque enim vertendum est cum *Keil* divini loquuntur somnia fraudis, vane consolabantur; id enim collocatione verborum prohibetur, neque tot addi attributa ad unum substantivum, satis est concinnum, praesertim cum ad *teraphim* unum tantum adiiciatur. Accedit, quod de divinatoribus potius verbum ספר vel הגיד exspectares, ut *Hitz.* monet. Textum graecum τὰ ἐνύπνια ψευδῆ ἐλάλουν Theod. interpretatur de somniorum coniectoribus, ad explicandum versum enim affert τοὺς μάντεις, τοὺς ἀστερομάντεις, τοὺς ὀνειροπόλους, *S. Cyr.* quidem dicit arioli etiam somnia falsa loquebantur — at mox ipse quoque *tres* ordines enumerat et monet, ne ἐνυπνιασταῖς attendatur *Chald* h. l. recenset cultores idolorum, divinatores, pseudoprophetas. — Ceterum notum est, somnia vatidica etiam in s. literis agnosci (Num. 12, 6. 1 Reg. 28, 6. Dan. 2, 1. Ioel 2, 28) eaque in patriarcharum rebus gestis non ultimum occupare locum (cf. Gen. 31, 10; 37, 19. 40, 8, 41, 1; 42, 9); quare non mirum, si superstitio quoque iis abutatur, uti ubique cernere est.

e) Deus salutem concedet gloriosam 10, 3-7.

Deus malos pastores et duces populi, malorum auctores et fautores, punitos amovebit et sua cura gregi impensa populum reddet gloriosum: v. 3 « *Super pastores iratus est furor meus et super hircos visitabo; quia visitavit Dominus exercituum gregem suum, domum Iuda, et posuit eos quasi equum gloriae suae in bello* »; — quia Deus teneram habuit semperque habet curam populi sui in malos pastores animadvertit, qui gregem negligunt eumque ab oppressoribus vexari sinunt; *hirci* sunt qui, ut Ez 34, 21 rem illustrat, lateribus et humeris impingunt, cornibus ventilant omnia infirma pecora; quales sint pastores, vide ibidem 34, 1-8 Cum emphasi adhibetur *visitare* sensu duplici. Equi pulchri, egregie instructi et ornati, fortis velocis, intrepidi (cf. Iob 39, 19-25) comparatione praeclare illustratur populi conditio florens et gloriosa.

Qui sint h. l. pastores, varie explicant. Multi ariolos et somniorum coniectores intelligunt (*S. Cyr. Lap. Tir. Schegg*), alii pseudoprophetas (*Sanct. Men.*), alii principes Iudaeorum (*Theod. Theod. M.*), et praecipue malos principes tempore Machabaeorum, Iasonem, Lysimachum, Alcimum, Menelaum (2 Mach. 5, 5; 4, 39, 13, 4. 1 Mach. 9, 55. *Calm.* sim. iam *Alb.* et *Patrit.*), alii reges externos, qui populum oppresserint (*Keil, Trochon*). Certe de iis est sermo, quibus populi cura vi officii et muneris incumbebat et qui apud alios quoque prophetas nomine pastorum vocantur. De regibus externis cogitari nequit, quia immediate praecedit: *quia non est eis pastor* i. e. verus, uti esse debet; unde si nunc pergitur *super pastores* ... eo ipso perversi populi duces et principes intelliguntur, vel ii saltem, qui tamquam tales sese iactabant

Quod v. 3 in universum dictum est de gloria et fortitudine, per singula in subsequentibus declaratur. Et primo quidem ostenditur, quam firmiter status theocratiae in se futurus sit interna sua constitutione : v. 4 « *ex ipso angulus, ex ipso paxillus, ex ipso arcus proelii, ex ipso egredietur omnis exactor simul* » ; — aderit scil. firmus lapis angularis, cui aedificium securo innititur ; aderit paxillus, qui ad tabernaculum erigendum et firmandum requiritur ; aderit bellica fortitudo et peritia et aderit qui hostes fortiter reprimet ab iisque tributa et vectigalia *exiget*, neque unquam tali duce destituentur. Prior pars ea effert, quae ad aedificium et tabernaculum firmiter stabiliendum necessaria sunt. Unde munera ea designantur, quae rempublicam vel theocratiam in se firmam reddunt atque fulciunt ; ergo potestas capitis vel ducis et quod aliqui addunt (etiam *Ephr. Barh.*) sacerdotii dignitas. Et cum ex 9, 13 seq. incursus hostiles instent, etiam bellici apparatus mentio fit et in *exactore omni* (scil. ubicumque requirit necessitas) gloriosi certaminum exitus pignus asseritur. Interpretaberis *ex ipso* (cum plerisque) ex Iuda, ex populo, de quo scil. v. 3 sermo fuit (ita *S. Ephr. Cyr. Theod. Theod. M. Sanct. Rib. Lap. Sa, Men. Tir. Calm. Patrit. Trochon*), non ex Domino (cum *Schegg, Reinke, Pressel*), nam de homine dici nequit : e Domino egreditur ; id unice dici potest de eo, cuius egressus est a diebus aeternitatis (Mich. 5, 2).

Ita firmiter instructa theocratia fortiter ac feliciter bella gerent v. 5 « *et erunt quasi fortes conculcantes lutum viarum in proelio et bellabunt, quia Dominus cum eis et confundentur ascensores equorum* » ; — comparationis particula videtur subintelligenda : hostes conculcabunt sicut lutum ; cf. Ps. 17, 43 « ut lutum platearum delebo eos » et Mich. 7, 10 « nunc erit in conculcationem ut lutum platearum » ; ita *Chald.* quoque locum nostrum explanat : fortes domus Iuda conculcabunt interfectos populorum sicut lutum viarum. Alii volunt dici : fortiter et alacriter incedent ; sed quorsum dein *conculcare lutum*? et loci allati aliam explicationem omnino suadent. Bella diuturniora fore indicatur eo quod conculcatis hostibus addatur adhuc *et bellabunt* ; hostes tamquam equites, ergo veloces et ad vastandum et impetus faciendos apti et instructi designantur. Vix errabimus, si propter 9, 13 cum S. Ephraem potissimum de iis cogitamus ex tertio regno quod vidit Daniel. Simul cum Iuda etiam ii qui ex aliis tribubus adsunt, gloriae, victoriae, salutis erunt participes : v. 6 « *et confortabo domum Iuda et domum Ioseph salvabo et convertam eos, quia miserebor eorum ; et erunt sicut fuerunt, quando non proieceram eos ; ego enim Dominus Deus eorum et exaudiam eos* » ; — qui ex reliquis tribubus erant, de domo Ephraim vel de domo Ioseph, patris Ephraim et Manasse, esse dicuntur, sicut saepe regnum israeliticum eo-

dem nomine quasi a parte potiore appellabatur. Hebr. potius verte cum LXX et *habitare eos faciam* [1] i. e. salute et victoria concessa tuto habitabunt et prospere agent; *et erunt quasi non proiecerim illos* [2] i. e. nova instauratio suis bonis oblivionem veteris poenae et calamitatis inducet (cf. Os. 2, 19-24. Is. 43, 18. 19).

Tota domus Israel et Iuda, uti erit fortitudinis eiusdem ac victoriae ticeps, ita eiusdem triumphi et laetitiae : v. 7 « *et erunt quasi fortes hraim et laetabitur cor eorum quasi a vino, et filii eorum videbunt laetabuntur et exsultabit cor eorum in Domino* »; — « Ephraim in ntum venient gaudii, ut eos vino madidos arbitreris; filii quoque eom cernent patrum triumphos et in Domino laetabuntur, quo praebente ctoriam consecuti sunt » (*S. Hier.*).

De quonam tempore hoc vaticinium a v. 3 et deinceps sit explicandum vel quosnam eventus sermo propheticus immediate attingat, controvertitur. Sunt qui tempus messianicum immediate spectari et directe asserant; ita *Rib. Sa, Est. Schegg, Trochon*; alii illam periodum attingi volunt typice vel ut *S. Cyr.* loquitur, secundum spiritualem theoriam vel mystice (*Sanct. Lap.*). Plerique tamen de tempore Machabaeorum ea omnia dici et intelligi debere censent; ita *Alb. Sanct. Lap. Men. Tir. Gord. Calm. Reinke, Patrit.* Eam explicationem etiam a veteribus Iudaeis esse propositam et adoptatam nos docent *S. Hier.* et *S. Cyr.*; at simul a *S. Hier.* discimus, ab aliis Iudaeis haec censeri in adventu Christi esse complenda. Ipse vero *S. Hier.* de loci obscuritate conquestus, debet nobis, inquit, lector ignoscere, si in his quae ambigua sunt, et nos pendulo incedimus gradu. Refert dein explicationem de Machabaeis, quam saltem ad v. 6. 7 amplecti videtur, cum scribat : « quaeramus historiam quando Iudas et Israel adversum Graecos pariter dimicarint vel quo tempore Ephraim de captivitate Assyria sit reversus ». Potissimum tamen sequitur explicationem « iuxta tropologiam ».

Certe haud pauca sunt, quae in tempus Machabaeorum plane congruunt. Ea diligenter collegit et subtiliter exposuit inter veteres *S. Hier.* sub Iudaeorum nomine, inter recentiores autem praeprimis *Patritius.* Ad ea tempora iam refert v. 2; « peccatum enim cuius poenas Iudaei sub primam Hasmonaeorum aetatem dedere ea perpessi quae in eos re-

---

1. Forma הוֹשְׁבוֹתִים est omnino singularis et anomalos. Placuit aliquibus (etiam *Ros.*) eam coalescere ex utroque verbo שׁוּב et יָשַׁב, ut artificio quodam vates utatur et dicat: reducam et habitare eos faciam. Sed tale artificium est nugatorium. — *Syrus* et *Chald.* interpretati sunt de congregatione et reductione.

2. *Vulg.* habet sicut LXX. Bene notat *Theod.* : « hoc clarius *Sym.* interpretatus est: καὶ ἔσονται ὡς ἂν εἰ μὴ ἀπωσάμην αὐτούς.

ges Seleucidae impie crudeliterque commisere, illud studium fuit, quo idololatrarum mores ac disciplinas adsciscere ac sequi instituerant 1 Mach. 1, 12-16; 2 Mach. 4, 7-17. Haec autem committere ille ipse ausus est qui pontificatum pretio sibi comparaverat 2 Mach. 4, 7. 8. 10. 13 ceteris sacerdotibus administris (ib. 4, 14), quae quidem res aperte declarat illa verba : *quia non est eis pastor; super pastores iratus est fu... meus* ». Iisdem temporibus impletam cernit laudem bellicam, de qua v. . liberam ac plenam αὐτοκρατιαν v. 4, victorias v. 5, salutem ceterar... tribuum per Iudaeos asserendam, potentiam ac securitatem v. 6. « Primo enim nota sunt bella a Iuda Machabaeo, ab Ionatha et Simo Iudae fratribus, a Ioanne Hyrcano Simonis filio, a rege Alexandro Ia naeo gesta. Secundo vel primos ipsos de genere Hasmonaeorum nunquam Syriae reges subigere potuerunt, quamquam eorum nonnullos fraude aut dolo sustulerint, eoque res perducta tandem fuit, ut Iudaei illorum ductu iugum excuterent seque in libertatem adsererent 1 Mach. 13, 41. 42 ac plenam αὐτοκρατιαν adipiscerentur, cuius quattuor praecipuae partes, imperium, inquam, magistratus, res militaris atque aerarium, a Zacharia singillatim enumeratae fuerunt in 9, 4..... Tertio haec omnia Iudaei plurimis triumphis, quos Hasmonaei de Syriae regibus deque aliis hostibus gessere, consecuti sunt. Quarto regiones transiordanicae, quae Galaatidis, et cisiordanicae, quae iam Galilaea vocabatur, olim a decem tribubus posessae, per Hasmonaeos primo ab hostium infestationibus liberatae 1 Mach. 5, 9 seq., deinde Iudaeae sunt contributae. Quinto ex omnibus Israelitarum tribubus in unam gentem ut ab initio coniunctis regnum Hasmonaeorum est constitutum. Sexto alias urbes regionesque e Philisthaea et Samaria Iudaei obtinuerunt... 1 Mach. 10, 38 coll. 11, 28. 34; 10, 89. 76 coll. 15, 28. 35; 13, 54 coll. 14, 34 et 15, 28. 35. Septimo, qua felicitate et securitate Iudaei frui coeperint sub Simone Iudae Machabaei fratre, legimus in 1 Mach. 14, 4-15, eamque novis incrementis auctam sub Ioanne Hyrcano Simonis filio et successore subque insecutis regibus horum posteris Iosephus descripsit (Antiq. l. 13) ».

Haec non sine magna veritatis specie dicuntur. Sane ita sunt verba prophetae selecta et posita, ut ea latius prosequi et declarare videantur quae iam 9, 13 et seq. tacta sunt. Admonitio illa, ut caveant a superstitione, ut omni tempori congruit, ita a tempore Machabaeorum non est aliena; et quod Deus animadvertat in *pastores*, id uti de anteactis temporibus dici potuit, ita tempore quoque Hasmonaeorum veritatem habet et habet potissimum etiam in periodo messianica (cf. 11, 4. 5. 8. 15 seq.). Quae de victoriis et triumphis celebrantur, ita generalia sunt et ampla et tam insignis salutis descriptio exhibetur, ut si ea ad sola Machabaeorum tempora retuleris, simul fateri cogaris, promissionem re ipsa esse

ampliorem ac sublimiorem. Neque tamen eo statim efficitur, omnia *immediate* et *unice* esse ad periodum messianicam sensu spirituali transferenda. Potest enim propheta periodum instaurationis ita describere, ut quae historice et inchoatione quadam in parte praeparatoria gerenda sint ea sublimiore modo et impletione ad indolem regni messianici adaptata simul valeant de vera et perfecta instauratione. Simile aliquid v. g. iis in locis habes, in quibus Isaias postquam de duplice liberatione sermonem intulit, mox utramque liberationem uno dicendi describendique genere celebrat (cf. quae notavi ad Is. 42, 13 seq. Erklaerung p. 500 seq., et ad cp. 24 p. 289 seq.).

Alia quoque consideratione adhibita res declarari potest. Ex iis enim, quae Ier. 18, 7-10. Ez. 33, 13-16 statuuntur, apparet, vaticinia quaedam *dari* posse absolute quidem et nulla conditione adiecta, at in *modo* et *ambitu impletionis* perquam multum dependere a libero hominum arbitrio. Haec norma fortasse etiam hoc loco adhiberi poterit. Quae si tibi placuerit, dices vatem describere tempus instaurationis eo splendore qui *integer* ac *plenus* secuturus fuisset, si reduces ex exsilio omni qua decuit pietate ac fidelitate cum pientissimis Dei consiliis fuissent cooperati. Revera autem minus splendida periodus contigit, quae minori ac languidiori populi electi pietati respondebat. Igitur propheta delineavit ea, quae Deus dare *voluit* ac *paratus erat*; quo ambitu et qua perfectione vero ea opere sint complenda, a populi fidelitate et cooperatione dependere voluit (cf. quae dicta sunt ad 6, 15. Mich. 4, 3 et ad Is. 2, 4 l. c. p. 65). In quam rem utilis est ac lucida norma a *Lap.* statuta : « cum Deus aliquid synagogae vel Ecclesiae promittit, quamvis amplis et universalibus verbis, id tamen de bonis ac probis tantum, qui foedus et amicitiam cum Deo promittente et paciscente servant, intelligendum est » (ad Is. 2, 4).

Quid alii censeant et quid ipse sentiam, proposui; seligat prudens rerum ac sententiarum aestimator, quid attenta serie vaticinii atque oraculorum indole perpensa et ratione propheticae praedictionis in universum considerata sibi probabilius videatur. Illud solum memoriae obversari volo, quamvis *aliquae* praedictiones particulares et maxime definitae et ad unum eventum singularem conformatae agnosci debeant omnino, in universum tamen modum visionis ac dictionis propheticae non ita arcte ad unam rem particularem designandam adstringi. Quare equidem non ausim affirmare, omnes illos eventus particulares, quos *Patritius* recenset, ita distincte ac fere per singula esse praedictos. Alius est stilus historiographi, alius et longe alius prophetae. Ceterum verba *S. Hier.* adscribere denuo placet, ne quis de tam ancipiti ac dubia interpretandi ratione conqueratur : « debet nobis lector ignoscere, si in his quae ambigua sunt, et nos pendulo incedimus gradu ».

f) Colligentur dispersi 10, 8-12.

Instaurationis pars non minima est exsulum reductio. Quare et propheta promissionibus propositis ad reditum invitat dispersos (cf. 2, 6; 9, 12) et Deum reditum esse effecturum docet v. 8 « *Sibilabo eis et congregabo illos, quia redemi eos; et multiplicabo eos, sicut ante fuerant multiplicati* »; — cf. Is. 5, 26; 7, 18; *sibilare* facilitatem designat, qua Deus efficere potest ut ad levissimum eius nutum quasi ad exiguum sonum et fere insensibilem (*Rib.*) omnia voluntati ipsius obsequantur. Instaurationem multitudine insignem fore constanter apud prophetas efferri solet (cf. Is. 54, 2. Ier. 32, 22. Ez. 36, 11. Os. 1, 10. Mich. 2, 12 etc.); idque iure; nam ea promissio iam Abraham sollemniter est facta Gen. 13, 16; 15, 5; 17, 2 etc.

Immo in ipsa inter alios populos commoratione Deus providebit, ut dispersi et numero crescant et Dei cultum ac religionem retineant, donec tandem ad terram suam reducantur: v. 9 « *et seminabo eos in populis et de longe recordabuntur mei et vivent cum filiis suis et revertentur* »; — *seminare* non est *dispergere*, sed, uti iam *Theod.* vim comparationis latentis explanat, in magnam multitudinem augeri [1] fecunditatis benedictione percepta (cf. *Calm. Reinke*, *Schegg*, *Trochon*). Ita inter gentes augescent et in regionibus alienis Domini in Ierusalem habitantis recordabuntur; e longinqua terra animo et desiderio ferentur in Dei sanctuarium (unde sensu emphatico *de longe* in *vulg.*). Hac vero recordatione Dei quam diligenter servant, propheta optime describit munus a divina providentia Iudaeis dispersis impositum, Dei veri cognitionem spargendi inter gentes et evangelicae praedicationi i. e. regno messianico viam parandi. Quo fructu id factum fuerit, ostenditur numero synagogarum et proselytarum ubique terrarum, quando annuntiatio apostolica de regno Messiae ad gentes est perlata. Si Israelitae ita Dominum fideliter inter gentes confessi fuerint, vitam sortientur longaevam, felicem, laeta prole iucundam i. e. *vivent cum filiis suis* et demum ad patriam remeabunt (cf. Is. 35, 10).

Atque ad talem reditum efficiendum Deus est paratissimus ope sua potentissima oblata: v. 10 « *et reducam eos de terra Aegypti et de Assyriis congregabo eos et ad terram Galaad et Libani adducam eos,*

---

1. Pro notione *dispergendi* quam voci זָרַע tribuunt, unum *hunc* locum communiter citant; *Ges.* adhuc affert Ez. 36, 9, quo in loco haec notio nullo modo consistere potest. At nulla est ratio verbo tribuendi notionem nullibi in usu satis frequenti obviam neque a notione primaria facile fluentem; *seminare* potius uberem ac frugiferam distributionem innuit cf. Ps. 97, 11. Ier. 31, 27.

et non invenrutei eis locus »; — dubium non est, quin tempore Zachariae multi Iudaeorum et Aegyptum incoluerint — frequentissimi enim postea ibi inveniuntur, ita ut *ibi* versionem graecam s. Scripturae sibi adornarint; et iam urbe capta multi illuc migrarunt; cf. Ier. 43, 6 — et etiam ex variis tribubus iis in regionibus sint commorati, in quas iam per Assyrios maiores eorum erant deportati. Multorum reditu regiones Palaestinae etiam transiordanicae (Gilead, Galaad) et septemtrionales (Libani) ita habitatoribus implebuntur, ut ultra terminos olim occupatos sedes sint fixuri, ut propria terra iam non sufficiat, q. d. ut *non inveniatur eis locus* (cf. *Ephr. Theod. Theod. M. Sanct.*). Atque re quidem vera multi Iudaeorum tempore Machabaeorum videntur remeasse in patriam (cf. 1 Mach. 14, 7); magnum enim cernitur eo tempore populi augmentum, et inter alia Galaad et Baesn postmodum in bello iudaico incolis hebraeis completa erant, Galilaea autem teste Iosepho numerabat 204 urbes et vicos (*Iosephus*, de bello iud. 2, 3. 3; 4, 1. 1-10; 7. 3-6; *Patrit.*). Adde quod Iudaei ex omni orbis terrarum parte pietatis causa ad festa celebranda in urbem convenire solebant (cf. Act. 2, 5-11).

Deus autem ut populum suum ad instaurationem theocratiae congreget, ubi opus fuerit, paratus est mirabilia quibus olim populum e servitute aegyptiaca vindicavit et in suam hereditatem introduxit, superatis impedimentis omnibus renovare: v. 11 « *et transibit in maris freto et percutiet in mari fluctus et confundentur omnia profunda fluminis et humiliabitur superbia Assur et sceptrum Aegypti recedet; v. 12 confortabo eos in Domino et in nomine eius ambulabunt, dicit Dominus* »; — in aperto est allusio ad Ex. 14, 21; 15, 8. Ios. 3, 13. 16; atque uti olim virga Aegypti et oppressio eius recessit ab Israel et confracta est (cf. Is. 10, 24), ita quaecumque regna nunc vel septemtrionem versus vel ad meridiem Dei populum servitute constringere voluerint et a Domini religione abstrahere, adigentur, ut libertatem eis concedant; cultores vero Dei, Iudaei, confortati a Domino et eius nominis gloria et protectione securi et ornati vitae suae rationem ex Dei cultu instituent q. d. *ambulare in nomine eius*.

Textus *mas.* בים צרה non potest aliter intelligi, nisi *per mare, angustiam*, ita ut angustia per modum declarationis vel appositionis addatur: transibit populus per mare, per angustiam; uti olim mare, ita nunc oppressionem omnem superabunt; vel etsi calamitates quasi mare invium eis opponantur, semitam tutam invenient. LXX praebent ἐν θαλάσσῃ στενῇ; explicarunt ergo: per mare quod est et appellari potest angustia — neque enim opus est cum *Ros.* interpretem graecum tantae insimulare ignorantiae, ut ad nomen mascul. additum esse putaverit adiectivum femineum—. *S. Hier.* certe legit בים צרה per mare angustiae (uti aliqui legi volunt v. g. *Ewald*)

idque explicavit per maris *fretum* ; refert ad hanc versionem, Hebraeos narrare captivum populum etiam in Bosphorum et septemtrionalem plagam esse translatum et postea eos ex parte revocatos ; quare hoc loco commemorari *Propontidis angustias*, quae Chalcedonem et quondam Byzantium brevi *freto* dividant. Unde satis ratio eius versionis perspicitur. — Alii vocem additam per modum exclamationis concipiunt : per mare, o angustiam ! sed quam inepte ! cum populus mare transiens minime angustiis premeretur ; alii demum ad tantas angustias sunt redacti, ut ad chaldaicum צְרָא secat, findit recurrerint et verterint : transibit per mare quod findit vel dividit.

De explicandi ratione et varietate similia in hac parte notanda sunt sicut supra ad v. 3-7. Qui de Machabaeorum tempore ea explicant, ea cernunt impleta in reditu multorum Iudaeorum ex regionibus aegyptiaca et assyriaca ; quae v. 11 dicuntur, exempli causa et ad consolationem afferri dicunt (cf. *Sanct. Lap. Men. Reinke*) ; aliis in mari et fluminibus vel gentes inimicas vel varia pericula designari placet (cf. *S. Ephr. Theod. Theod. M.*). Singulari ratione v. 11 explicat *Patritius* ; censet enim « neminem non sentire describi Hellesponti traiectum, quo Romani ducibus Scipionibus Syriae regi Antiocho Magno bellum primo intulerunt. Contra Aegyptum autem mari item iverunt nobilique navali proelio ad Actium Antonio et Cleopatra profligatis, anno insequente iterum mari transmisso Octavius Caesar Aegypto potitus est [1] eamque in provinciae formulam redegit. Aegyptiaci quoque regni casus praedicitur una cum casu regni Seleucidarum, quia etsi plura et graviora ab his, non levia tamen ab illis quoque mala Iudaeis post aetatem Alexandri illata fuerunt ». *Calm.* priorem versus partem in universum et sub conditione dictam accipit : « si traiiciendum sit Israeli mare patriam repetenti, maris fluctus sedabit Deus iisque transeuntibus quietos continebit ; si tranandi sint amnes, illos Deus arefaciet (cf. Is. 11, 15) » ; alteram vero partem historice ac definite interpretatur de Syriae (quod *Assur* h. l. vocetur) regno post Antiochum Epiphanem prostrato ; « Aegyti regno in Ptolemaeos translato Aegyptii indigenae patrio imperio eiecti fuere ; iidemque illi Aegyptiorum reges qui Iudaeos e captivitate reversos frequenter vexaverant, auctoritate quam in Iudaeos exercuerant a Syriae regibus exuti nunquam post aetatem Machabaeorum recuperavere ».

Qui omnia immediate ad tempora messianica transferunt, in hac parte cernunt promissionem divinam, Israelitas in exsilio positos non interituros, sed denique magnis miraculis iri reductum ; prophetam vero specialem facere mentionem Aegypti et Assur, quia cum Cyri decretum de his regionibus non valeret, Iudaeis nondum integrum fuerit e provincia Assur et ex Aegypto reverti in patriam (*Schegg*) ; vel etiam magis generaliter de piis et electis ea dici sentiunt : « faciet Deus mirabilia portenta, ut eos liberet a captivitate diaboli et in terram viventium perducat » (*Rib.*), et per Assyrios et Aegyptios omnes regni Dei hostes intelligun visibiles atque invisibiles (cf *S. Hier. S. Cyr. Rib. Sa*).

---

1. Similiter aliqui iam Is. 11, 15 explicarunt ; cf. ad Is. locum *S. Hier. S. Cyr. Procopium, Tir.*

Propter ea, quae cp. 11 sequuntur, ego in eam inclino sententiam quam *Calm.* innuit, contineri promissa Dei *sub conditione quadam* implenda : Deum *ex se* paratum esse exsules dummodo velint obsequi, ad theocratiae instaurationem magnis etiam potentiae suae manifestationibus reducere; reducibus promitti statum felicem, *dummodo in nomine Dei ambulent.* Aliquatenus reditum illum post Zachariam esse effectum, cum multi Iudaeorum in patriam sint reversi ; prophetam loqui de theocratiae instauratione in universum, ad quam omnes ubique dispersos invitet. Ita et illa quae tempore Machabaeorum gesta sunt, inchoatione quadam comprehenduntur, neque ea quae tempore messianico fiunt excluduntur. Norma proponitur *generalis* qua Deus in theocratia instauranda usurus est ; sicut igitur instauratio illa tempore Zachariae facta praevia quaedam est et inchoatio et praeparatio, ita ea quae de instauratione in universum dicuntur, de illa eius parte necesse est impleri ac fieri inchoatione quadam et similitudine, plene vero ac perfecte in regno messianico modo *spirituali*, qui scil. regni indoli congruat et necessario totius regni constitutione postuletur. Hac consideratione adhibita fortasse explicari potest, cur in verbis propheticis ea cernantur ac deprehendantur lineamenta, quae *secundum quid* tempora Machabaeorum et res ibi gestas referre videantur, dum tamen dicendi color et promissionum amplitudo atque sublimitas illius temporis angustiis capi atque includi minime possit. Ceterum non est oblivioni dandum, quod *Rib.* monet, promitti talia Dei cultoribus et ad praescriptum eius viventibus, i. e. aliis verbis *ambitum* impletionis (plus vel minus) dependere ab hominum libera cooperatione. Insuper vide quae notavi ad Os. 11, 11. Soph. 3, 20.

g) Iudicium in contumaces 11, 1-3.

Descripta theocratiae instauratione et consilio Dei benevolentissimo patefacto propheta ea annuntiare aggreditur, quae divinae benignitatis contemptoribus immineant. Uti enim gentibus iudicium et castigatio instat, ita populo quoque electo, si vocem Dei invitantis spreverit. Est enim oculus Domini super genus humanum et super tribus Israel (9, 1), ut regnum suum stabiliat et quaecumque ei opponuntur deiiciat atque confringat. — Illud autem in contumaces iudicium vates ita exhibet, ut primo summatim et per metaphoram eam ruinam depingat, qua populus infidelis et refractarius erit percellendus : erit scil. regio florentissima, quae Libano, Basan et Iordane continetur, ingenti incendio et excidio devastanda ; v. 1 « *Aperi, Libane, portas tuas et comedat ignis cedros tuas* » ! — Dei benignitatis consilium de regione Libani expositum est 10, 10 ; si id reiicitur a populo, iam iubetur Libanus apertis portis suis remotisque om-

nibus impedimentis recipere hostes, recipere ignem, quo magnifica eius ornamenta absumantur; libera igitur perniciei pandatur via et portae illae, quibus a septemtrione aditus patet ad terram Palaestinam, aperiantur, ut hostes vastissimi incendii instar vehementi impetu irruant. Quam late et cito serpat pernicies et quam funditus totius reipublicae et summa fastigia et ima fundamenta sint evertenda, ulterior metaphorae delineatio exhibet: v. 2 « *ulula abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt! ululate, quercus Basan, quoniam succisus est saltus munitus* »! — hebr. *cupressus* ponitur pro abiete; eadem scil. sors et primoribus instat et inferioribus. Ex Libano pernicies serpit in Basan; saltus munitus vel *inaccessus* est saltus cedrorum Libani. Si Libano non parcitur, etiam regio Basan nullam habet evadendi spem.

A septemtrione demum incendium et vastatio diffunditur per Palaestinam, ita ut undique et animalium et hominum ululatus audiatur; v. 3 « *vox ululatus pastorum, quia vastata est magnificentia eorum; vox rugitus leonum, quoniam vastata est superbia Iordanis* »; — « Iordani fluvio, qui maximus in Iudaea est, iuxta quem morantur leones, fremitum iunxit leonum propter ardorem sitis et ob deserti viciniam et latitudinem vastae solitudinis et arundineta et carecta » (*S. Hier.*); ibi in silvis et arundinetis morari leones saepius innuitur; cf. Ier. 49, 19; 50, 44; apte *superbia* Iordanis silvae dicuntur et nemora. — Paucis verbis ingens excidium depingitur: nihil est in terra repromissionis excelsius, nec nemorosius atque condensius Libano (*S. Hier.*); Basan quoque trans Iordanem silvis et pascuis celeberrima est regio (Is. 2, 13. Ier. 50, 19. Mich. 7, 14. Ez. 27, 6) et Iordanis prope Ierichuntem vallis amoenitate et fertilitate eminebat; iam ea omnia vastissimo incendio una concidere ita proponit vates, ut et res inanimatae et bestiae et homines suis ululatibus tantam stragem deplorent frustra. Hisce autem ultimam iudaicae gentis cladem et reipublicae iudaicae per Romanos factam destructionem et dissolutionem designari et prophetice delineari, fere omnes interpretes iure agnoscunt. Et revera propheta id summatim praeoccupat et poetica metaphora delineat, quod mox v. 14. 16 minatur: supremam scil. populi cladem et abiectionem, quam sibi propter reiectum Messiam promeruit; hanc autem demum a Romanis urbe temploque expugnatis et Iudaeis sine ulla reipublicae forma in omnes orbis partes disiectis esse effectam, in aperto est positum.

Pauci sunt, qui aliter sentiant. Hostium externorum theocratiae interitum *Theod. M.*, Seleucidarum regum *S. Ephr.* ea imagine describi censent; e recentioribus autem *Pressel* cum aliis quibusdam paucis invasionem et vastationem a Theglathphalasar Damasco et Palaestinae septemtrionali illatam proponi vult (cf. 4 Reg. 15, 29; 16, 9). Hoc falsae

opinioni innititur, vaticinia haec esse ab aliquo vate tempore Achaz regis. Illud vero ex contexta oratione facile refutatur, cum in subsequentibus non de aliqua externorum hostium punitione sit sermo, sed de Dei populo ingrato et infideli, cui interitus annuntiatur (vide v. 14. 16).

Plerisque placet verba ita accipere, ut templum ipsum vel propter lapidum candorem vel propter cedrorum materiem dicatur *Libanus* (*S. Hier. Alb. Vat. Lap. Men. Calm.)* aut Ierusalem hac appellatione (cf. Ier. 22, 6. Ez. 17, 22) designetur (*Rib. Sanct.*). Iidem cedros, cupressos, quercus de principibus, sacerdotibus, populo usurpari volunt; *S. Ephraem* ita Assyrios, Babylonios, Persas appellari, *Calm.* reliquas circa Ierusalem urbes vocari censet. Etiam e recentioribus non pauci similem interpretandi rationem sequuntur, cedros, leones etc. appellari reges et potentes, duces etc. Sed ex eo, quod superbi et potentes quandoque hisce comparantur, minime sequitur, in tali descriptione qualem hic habemus, mentem vatis et cogitationem eam fuisse, ut reges et duces *cedros*, templum appellaverit *Libanum* etc. Nam si *cedri* iam reges sunt, cur *leonum* nomen etiam pro regibus introducitur? et si arbores designant et quasi suis proprietatibus exhibent viros principes, duces, plebeios, cur *pastores* ululantes iterum nobis exhibentur? Mira sane troporum et propriae locutionis commixtio atque confusio! Quam facile evitabis, si in vastitate descripta imaginem cernes ruinae imminentis, ita ut per modum parabolae vel allegoriae in regione incendio deleta et hominum bestiarumque ululatibus repleta habeatur symbolum vel similitudo quaedam efformata reipublicae interitui maxime luctuoso devotae ac traditae. Eadem ratione similia quaedam facile explicabis; cf. Is. 2, 13 et praesertim 11, 6-9 et quae ad h. l. notavi. Etiam hic iuremerito applicanda sunt, quae olim monuit S. Basilius contra Origenem: ego quando fenum audio, fenum intelligo ... etc. Neque enim reges et principes *immediate* cedri vel quercus ullibi vocantur et quae ab *Hitz.* allegantur, Ps. 34, 11. Sir. 13, 19. Ez. 38, 13, minime huc pertinent.

b) Antiqua eorum in pastorem bonum contumacia 11, 4-11.

Iudicii ita summatim delineati rationes et causae exponuntur. Idque fit actione symbolica. Deus enim miseram gregis sui conditionem miseratus prophetam iubet gregem pascere i. e. eius curam suscipere eique de omnibus providere. Id propheta quidem ex sua parte praestat; at grex contumacia sua pastoris officium repellit. Actione hac allegorica quam in visione prophetam subiisse multi recte censent (cf. *Lap. Men. Gord.*), Deus universam suam in populum electum providentiam et curam exprimit, et dum talia in visione ad prophetam loquitur et talia eum faciat in visione et experiri et agere, totius gubernationis populo factae et rerum futurarum imaginem menti prophetae proponit atque causas efficaciter docet et necessitatem iudicii in rebelles devolvendi. Iam primo miseri gregis curam Deus prophetae commendat, ita delineans, quomodo

ab initio electionis populo suo optime providerit : v. 4 « *Haec dicit Dominus Deus meus : pasce pecora occisionis* » ; — sunt *pecora occisionis* quia iam nunc vexantur, diripiuntur (*Theod.*), vel ita vocantur, quia Deus praevidet fore, ut demum non obstante cura iis impensa occidantur et deleantur (*S. Ephr. S. Hier. Rib. Sa*), nisi malueris ita appellari propter utramque rationem simul iunctam (*S. Cyr. Theod. M. Lap. Men. Schegg*).

Miseriam ex qua Deus benignus eripere vult gregem, ita describit v. 5 « *quae qui possederant, occidebant et non dolebant et vendebant ea dicentes : benedictus Dominus, divites facti sumus ! et pastores eorum non parcebant eis* » ; — i. e. multi grassantur in gregem ; eum impune mactant vel ad suum lucrum alienis vendunt, suam solum spectantes utilitatem, non gregis bonum ; ipsi qui pastores instituti sunt, gregem vexant. Unde imagine relicta populus proponitur varie afflictus et ab hostibus externis et a suis ipsius principibus et ducibus. Cum illi possessores et venditores dicantur, facile interpretaberis populum sub alienorum dominatione in servitute constitutum, qualis v. g. in Aegypto fuerit. Illud *non dolebant*, rite explanat *S. Hier.* : « nihil mali pro tanta crudelitate patiebantur » ; diu et vehementer populum afflixerunt *impune*.

Talem vero rerum conditionem Deus semper permittere non potest. Quare iudicium quoddam minatur talionis : sicut illi non parcebant, ita ipse non parcet ; sicut illi gregem vexaverunt, ita illos tradet aliis vexandos, ut inter se mutua caede et crudelitate saeviant et poenas debitas repetant ; sicut illi non miserabantur, non iuvabant, ita Deus non miserebitur, non iuvabit ; ita v. 6 « *et ego non parcam ultra super habitantes terram, dicit Dominus ; ecce, ego tradam homines unumquemque in manu proximi sui et in manu regis sui et concident terram et non eruam de manu eorum* » ; — iste versus ipsa sua concinnitate refertur ad antecedentem, non quidem, ut minas proferat in gregem (quod mirum est tot interpretes sequi ; cf. *S. Ephr. Cyr. Hier. Theod. M. Alb. Sa, Mar. Schegg, Patrit.*) neque in gregem et hostes externos (*Rib. Sanct. Lap. Tir. Reinke*), verum in eos qui gregem varie affligunt (cf. *Theod. Men. Keil, Trochon*). Compara enim : non parcebant, ego non parcam ; illi gregem vexantes non dolebant, iam inter se poenas repetent ; illi divites facti sunt, iam terram mutua vastatione concident ; illi cum gaudio sine ulla misericordia vexabant (*benedictus Dominus* ! tantopere de crudelitate commissa sibi gratulantur), Deus autem non eruet eos de manu affligentium, sed sinet mutua caede inter se grassari.

Duobus igitur versibus 5. 6 expositum est, quid vexatores gregis in gregem committant et quales poenas demum sint luituri. Iam a contra-

rio declaratur, quid Deus pro grege ita afflicto fecerit, ut eum, *dummodo velit et obsequatur*, a vexatione exemptum ad prosperitatem et felicitatem adducat : v. 7 « *et pascam pecus occisionis propter hoc, o pauperes gregis ! et assumpsi mihi duas virgas : unam vocavi decorem et alteram vocavi funiculum, et pavi gregem* » ; — propter miseram gregis conditionem (v. 5) et Dei mandatum acceptum (v. 4) propheta munus pastoris solerter obit ; neque a re alienum est, si illud *propter hoc* referas quoque ad v. 6 : ut scil. in illo iudicio rerumque omnium perturbatione grex salvus consistat neque ipse Dei populus ultioni generali involvatur, propheta curam gregis suscipit. Quo animo id muneris subeat, commiserationis voce *o pauperes gregis* i. e. afflicti, miseri, vexati declarat.

Propheta Dei personam sustinet. Quod enim Deus, verus sui populi pastor et rex, ab initio pro suo populo fecit et per saeculorum cursum praestitit, id propheta actione symbolica imitari et exprimere iubetur, ut in ea imagine et ipse cernat providentiam divinam et eam ad populi eruditionem melius et efficacius enarrare possit. Et cum in ea actione symbolica et imaginaria non solum tempus praeteritum repraesentetur, sed etiam futuri habeatur delineatio (v. 12 seq.), egregie cernitur nexu suo interno et Dei cura pro populo conatusque repetiti ad eius salutem efficiendam et huius gregis contumacia atque perversitas longa generationum serie quasi inolita et aucta. — Hebr. vertes v. 7 *et pavi gregem*; ad hoc *duas* assumit *virgas* : alteram vocat *decorem*, vel uti *vulg.* habet v. 10 *decus*, vel uti vocem hebr. etiam explicant : favorem, gratiam, benignitatem ; LXX κάλλος, *Aq. Sym.* εὐπρέπειαν, *Syrus* baculum suavem ; alteram autem virgam appellat hebr. proprie *colligantes*, unde funiculum, LXX, *Aq. Sym.* σχοίνισμα, itemque *Syrus* funem. Nominum ratio ex parte explicatur v. 10 et 14. Virgae *duae* efferre videntur magnam ac multiplicem pastoris curam, gubernandi quoque rationem qua usurus est variam pro varia gregis habitudine et plures vias ac tentamina plura, quae ad gregem pascendum, conservandum, regendum adhibiturus est. In priore nomine favor quidam maior exprimitur gregi impendendus, in altero id quod gregem inter se colligat, continet, conservat, ne dissolvatur et pereat.

Ex explicatione proposita elucet, illud *propterea* optime contextui congruere. Textus hebr. eodem modo concipi debet. Alii לָכֵן varie concipiunt ; v. g. pavi gregem, *propterea quia* miserrimi sunt ; vel pavi gregem, *nihilominus* miseri sunt ; vel *revera, profecto* miseri sunt ; vel pavi gregem *et ita, eo ipso* pavi miseros gregis (cf. *Ros. Schegg, Keil*) ; at minime opus est ab usitata et simplici notione recedere. Textus *vulg.* facilis est et concinnus. — Aliis lectio לָכֵן ita difficilis visa est, ut eam mutandam esse censerent. Et *Houbig.* quidem legi vult להכין *ad erigendum*, *Patrit.*

autem duo vocabula immerito esse separata opinatus in unum coniunxit scribens לכנעניי *mercatoribus gregis*, hac in re secutus LXX qui unum quoque vocabulum legebant; praebent enim ποιμανῶ τὰ πρόβατα τῆς σφαγῆς εἰς τὴν Χαναανῖτιν. Sed haec *correctio* grandi laborat defectu. Qualis enim sensus est : et pavi gregem occisionis mercatoribus ovium? pastor enim bonus non pavit gregem pro alienis, ut iis pro arbitrio cedat; neque sententia v. 7 ullo pacto potest esse eadem quae v. 5 habetur. — Ceterum etiam *Syrus* et *Chald.* לכן legisse videntur.

Ita igitur instructus munus obit. Quo effectu id fuerit, declaratur v. 8 « *et succidi tres pastores in mense uno et contracta est anima mea in eis, si quidem et anima eorum variavit in me* » ; — i. e. bonus pastor gregem revera est tuitus : *tres* illos vexatores v. 5 : possessores, venditores, pastores non parcentes removit et exscidit in mense uno; hostium ergo et externorum et internorum incursum ac impetum fregit; *mensis unus* ad actionem in visione peractam eo modo referendus videtur, quo etiam in somniis temporis rationem experimur et varias actiones longiore vel breviore spatio nobis peragere videmur. Ergo vates per mensem unum munus obiens gregis vexatores compescuit efficaciter. Mensis iste curae Dei pro populo respondet, quam ei exhibuit usque ad exsilii tempus; quare *mensem unum* hanc epocham vocet vel cur vates in visione hanc epocham quasi mensem unum viderit, non facile dixeris; mihi id unum occurrit, ad unam historiae epocham in se conclusam et variis mutationibus refertam posse in visione sine incommodo assumi et exhiberi unam lunationem vel unum mensem lunarem, quo sua quoque stadia et mutationes suumque orbem luna perficit.

Verum grex ille curae sibi impensae minime respondit; *contracta est* [1] sive, ut *S. Hier.* rite rem declarat, indignata est anima mea in eos i. e. contra gregem; « sumpta est metaphora ab eis quorum cor coangustatur et constringitur tristitia et angitur, ita ut quodammodo videantur exanimari prae afflictione animi; ac si diceret : gravissimum mihi ac molestissimum fuit, quod toties irritatus sum ab eis » (*Rib.*). Ipsa pastoris *indignatio* satis superque ostendit, in quantum grex contumax et perversus fuerit. Idque altero quoque membro declaratur hebr. *etiam eorum anima me fastidivit*, mei nauseam et fastidium cepit. Ita multiplex iudaicae gentis infidelitas, apostasia, idololatria apte et efficaciter designatur, qua Dei cultu relicto idolis et sceleribus se mancipantes veteris demum theocratiae ruinam adduxerunt.

Quare gregis contumacis ac rebellis curam ex parte dimisit eosque in interitum ruere permisit v. 9 « *et dixi : non pascam vos; quod moritur,*

---

[1] Hebr. proprie : *brevis facta est* i. e. impatiens fuit. LXX βαρυνθήσεται ἐπ' αὐτούς. Aq. καὶ ἐκολοβώθη, *Sym. Theod.* καὶ ὠλιγοψύχησεν. In altero membro LXX ἐπωρύοντο ἐπ' ἐμέ.

moriatur, et quod succiditur, succidatur et reliqui devorent unusquisque carnem proximi sui »; —modus loquendi summam spirat indignationem, qua Deus apud Ieremiam et Ezechielem in populum rebellem invehitur; « mors, succisio, devoratio vestri non est mihi curae; permittam vos mori, succidi, devorari; nec tantum permittam, sed efficiam. Videtur tria flagella significare et comminari, scil. pestem, bellum, famem» (*Lap.* sim. *Reinke*). Istis gregis interitus simul ut ab ipso grege quasi pertinaciter desideratus et effectus designatur; locutio enim eam vim habet, quasi dicas : si omnino mori vultis et omnem ad perniciem efficiendam lapidem movetis, fiat, uti vultis, moriamini! Idque virga priore confracta symbolice declaratur v. 10 « *et tuli virgam meam quae vocabatur decus et abscidi eam, ut irritum facerem foedus meum quod percussi cum omnibus populis* »; — baculo eo confracto designatur abolitio foederis quod pepigit Deus cum omnibus populis, ne scil. gentes populo electo nocerent; « prius videbar quasi foedus iniisse cum gentibus, ne Israelitas laederent aut affligerent; nunc vero foedus illud irritum faciam, permittendo eis ut illos affligant » (*Vat.*); « eam voluntatem foedus ictum cum gentibus vocat » (*Mar.* sim. *Clarius, Schegg, Reinke, Keil, Trochon*), uti Os. 2, 18. Ez. 34, 25. Iob 5, 23 eodem modo de pacto inito cum bestiis terrae, ne laederent, sermo est. Ad quam acceptionem prope quoque accedit *S. Ephr.* qui prioris virgae vel foederis rationem in eo cernit, quod Deus populum suum excelsiorem se facturum cunctis gentibus promiserat (Deut. 26, 19); ex qua excellentia cum aliarum fieret praeda servitute et exsilio, utique deiectus est. Prioris virgae confractionem subsecutum est exsilium, regni scil. et theocratiae dissolutio; Israel tradebatur in potestatem et ditionem gentium. Priore virga decoris vel amoenitatis, favoris praecipui, benignitatis pastor bonus, Deus, populum suum voluit tueri ab hostibus, pace donare et prosperitate ac securitate; at propter eorum peccata fracta hac virga iisque bonis ablatis eos hostibus tradidit vexandos et diripiendos et in servitutem redigendos. Unde v. 11 « *et in irritum deductum est in die illa. Et cognoverunt sic pauperes gregis qui custodiunt mihi, quia verbum Domini est*»; — punitio illa hunc tulit fructum, ut non quidem grex totus, sed tamen aliqui ea calamitate tamquam divinitus inflicta erudirentur, scil. *pauperes*, vel miseri et afflicti, *qui me observant* (hebr.) i. e. qui ad Deum animos mentesque attente dirigebant et Dei agendi gubernandique modum cum fide perpendebant. Illi *pauperes*, lugentes in Sion, qui propter impietatem et theocratiam collapsam moerebant afflicti (cf. Is. 61, 3. Ez. 9, 4. Soph. 3, 18 hebr.), cognoverunt eruditi a prophetis in incursu hostium divinae vindictae punitionem; illi *verbum Domini* et rem a Deo immissam agnoscentes

eum in modum ad Deum confugerunt, quem Daniel (9, 1) et Baruch (1, 15) nos docent, et quem ut fructum exsilii iam Ieremias indicaverat (Ier. 3, 13. 23).

Difficilem hunc locum exposui secundum eum modum, qui perpensis aliorum expositionibus rationibusque ponderatis mihi quam maxime visus est probabilis, cum antecedentibus ac subsequentibus cohaerens neque a visione prophetica et actione symbolica ullo pacto alienus. Iam aliqua accuratius proponere oportet. In actione hac symbolica priore v. 7-11 divinam providentiam adumbrari censeo de populo electo ab eius electione usque ad exsilium. Hac enim electione Dominus se constituit pastorem; elegit autem populum iam tum ab Aegyptiis maxime afflictum et oppressum et multiplici vulnere domestico prostratum (cf. Ez. 16, 3-6); unde *grex occisionis* non uno titulo iam tum appellari potest et ea, quae v. 5 de hostibus et externis et internis dicuntur, quamvis non de una periodo valeant, iam apte tempora illa describunt. Prioris virgae abiectio vix aliter commode poterit intelligi, nisi de theocratiae dissolutione, de populo hostibus tradito tempore exsilii. Eo enim tempore Dei gubernandi ratio aptissime baculi prioris fractione exhibetur; de eo tempore quam maxime valet: *indignata est anima mea in eos* v. 8 et praecipue v. 9; cuius rei testes sunt fere omnia Ieremiae et Ezechielis oracula. Demum v. 11 illum fructum cernimus propositum, quem exsilii tempus revera tulit.

Neque si longiorem epocham hoc loco delineari censemus, a probatorum interpretum exemplo deflectimus. Temporum enim anteactorum eventus hic efferri agnoscit *S. Hier.* (et cum eo *Haimo, Rup.* aliique) qui in virga priore eam cernit benedictionem, quae in Noe omni hominum generi obvenerit, vocationem cunctarum gentium, qui in funiculo electionem cernit populi Israel, in tribus pastoribus autem uno mense succisis, Moysen agnosci vult et Aaron et Mariam, in v. 9 autem mortem omnium et prostrationem contumacium in deserto, in virgae prioris fractione autem totius orbis nationes a cultu veri Dei abiectas et idolis permissas. Periodum anteactam ibi delineari opinatur *Alb.*, qui in virga priore exprimi censet legem naturalem, qua populum rexerit Deus ante diluvium, in altera vero populi electionem iudaici vel legem scriptam et qui in reliqua quoque explanatione complura describi existimat ex tempore mosaico, immo ex patriarchali quoque, quae hic longius prosequi non oportet. Tempora describi praeterita omnino assumunt *S. Ephr. Rib. Sanct. Sa, Mar.* Ita v. g. *Rib.* expositionem virgarum orditur: « humiles ad se conversos vult audire, quid fecerit a principio erga hunc populum et cur illum abiecerit, quem multo tempore amaverat »; atque in reliquis multum sequitur *S. Hier.*—*Sanct.* autem concedit ea, quae de virgis (quas ipse *benignitatem* et *severitatem* explicat) dicta sint, in omnia Hebraeorum tempora convenire;

in tempus servitutem aegyptiacam subsecutum, in tempus iudicum ac regum, in tempus exsilii etc. *Sa* vero in pluribus sentit cum *S. Hier.*, *Mar.* in virga priore Moysis et iudicum tempora et gubernandi rationem referri, in altera regiam administrationem exhiberi autumat, in tribus pastoribus « fortassis » Heli describi et duos eius filios. Ad tempora praeterita *alludi* etiam *Lap.* fatetur. Divinam providentiam adumbrari, quamvis alia aliter explicent, etiam assumunt *Keil, Trochon* aliique. Atque certe fieri nequit, ut haec pars de Christo explicetur et v. 10 de vastatione a Romanis invecta intelligatur; nam prior virga confringitur et foederis fracti effectus adest, antequam solvuntur triginta argentei. Ergo si ultimae parti sua certa constat interpretatio — et constat omni dubio remoto — pars prior non potest de Christi tempore intelligi, quia nullo modo assignari potest, quomodo Christus ante suam mortem vel Iudaeos interitui tradiderit, vel tres pastores succiderit, vel foedus irritum fecerit; aliis verbis v. 8-11 in Christi vita non habent explicationem facilem et aptam.

Ceterum uti fieri solet in loco difficili, maxima adest in rebus singulis interpretum varietas. Aliqua delibasse sufficiat. Multi in v. 5 solum *domesticos* Iudaeorum hostes, malos pastores, agnoscunt (*S. Ephr. Cyr. Theod. Theod. M. Rib. Lap. Sa, Mar. Calm. Schegg*); sed cum tertio demum loco *pastores* nominentur et a primis duobus distinguantur, nulla adest ratio, cur verba de uno adversariorum genere accipiantur. Alii in possidentibus ac vendentibus Romanos describi volunt (cf. *S. Hier. Alb. Sanct. Vat. Reinke*); sed valde dubito, an venditionis Iudaeorum per Romanos urbe expugnata factae mentio apte hic possit ingeri. Sensus enim actionis symbolicae est, ut pastor constituatur, qui gregem si velit a perditione servet: quomodo ergo ea ipsa perditio tamquam iam facta v. 5 describi potest et ita ratio reddi cur Deus mandatum pascendi det? Quare versus generali modo intelligi debet, ut congruus adsit rerum nexus et vera mandati causa efferatur: vult enim Deus gregem *afflictum* pascere i. e. servare; quem in finem tamquam pastor populi oppressores amovet v. 8; postmodum utique gregem rebellem denuo vexatoribus prodit v. 9. 10; sed antequam ad extremam ruinam per Romanos illatam veniatur, alius Dei salvatoris conatus gregem servandi enarratur v. 12-14. Igitur fieri nequit, ut *initium* actionis symbolicae iam Romanos exhibeat, cum solum extremus eius terminus Romanos tamquam ultimae castigationis divinae exsecutores attingat. Neque dicas, ea forte per prolepsin statim ab initio occupari, uti de v. 1-3 statuimus. Nam utriusque ratio minime est eadem. Actio enim symbolica incipit a praecepto Dei *pasce*, cui quidem apte subiungitur causa pascendi, non autem eiusmodi prolepsis.

Quid sibi velint *duae virgae*, maxime varie elucidare conantur. Alii enim ex nominibus designari volunt gubernationem *lenitate* et *severitate* constitutam [1]

---

1. Quam interpretationem etiam proponit D. Kimchi; cf. Kimchi, Commentary on Zechariah, translated from the Hebrew by A. M'Caul, London 1837.

(*Sanct. Lap. Men. Tir.* — *Calm.* in virga priore, pedo, cernit severitatem, in altera, flagro e funiculis composito, lenitatem) vel duplicem providentiam quam Deus sub Machabaeis et sub Christo ostenderit (*Gord.*). Alii modum exprimi cernunt quo Deus egerit cum genere humano : vocatione scil. omnium gentium in Noe facta et electione Israel (*S. Hier. Rib. Sa*) vel lege naturali et lege scripta (*Alb.*) ; aliis epochas designari placet ex historia Israelitarum : tempus mosaicum iudicumque in virga priore, in altera tempus regum (*Mar.*), vel adumbrari gubernationem regiam et schisma Israelitarum (*S. Ephr.*) aut sacerdotium et regnum [1] (cf. *Theod. M. Barh.*). Alii rem ad Christum statim transferentes eum exprimi opinantur qui adoratores suos sanctificatos in spiritu legalibus simul et evangelicis praeceptis pascit (*S. Cyr.*), vel Ecclesiam suam ex gentibus et Iudaeis colligit (*Theod.*).

Inde iam per se intelligitur, varie quoque v. 10 de virgae confractione exponi et de foedere irritato ; gentes abscindi a cultu divino et idololatriae tradi censent *S. Hier. Alb. Rib. Sa* ; ablato sacerdotio confluxum populorum cessare ad templum hierosolymitanum *Theod. M.* ; divinam opem negari reducibus *Sanct.* ; in morte Christi irritum factum esse vetus testamentum foedusque iudaicum *Lap.* atque ut alia omittam, *S. Cyr.* virgam proiectam explicat ex pastoritia consuetudine, qua aberrantes oves pedo proiecto ad gregem reducuntur, et in foedere dissipato fidei per gentes diffusionem cernit et propagationem. Alii foedus cum omnibus populis initum foedus esse volunt pactum cum tribubus Israel (*Barh. Tir. Loch, Pressel*) ; sed quamvis tribus Israel quandoque vocentur עַמִּים, tamen *omnes* populi ita intelligi nequeunt.

Qui sint *tres pastores* v. 8, ita varie explicant interpretes, ut plus quam quadraginta ferantur sententiae. Valde communis est ea, quae principes, sacerdotes, prophetas a Christo esse sublatos dicit vel triplex munus veteris foederis regium, sacerdotale, propheticum a Christo abolitum (cf. *S. Ephr. Cyr. Euseb. Theod. Barh. Sanct. Lap. Vat. Reinke, Loch, Trochon, Pressel*) ; at cum hac parte non agatur de Christo neque ea acceptio cum v. 10 et v. 12 seq. componi possit, est derelinquenda. *Keil* in iis tria regna adumbrari censet, quae populum Dei afflixerint, ideoque sublata fuerint. Sed ita nexus ac progressus rerum misere interturbatur ; nam ex v. 8 pastor bonus removet tres pastores ; tunc iis amotis quam ingratus sit grex experitur ; quare gregem suum v. 10 gentibus i. e. regnis mundi relinquit vexandum ; quomodo ergo haec mundi regna iam v. 8 possunt per pastorem bonum aboleri ? Alii tres duces Machabaeos (*Men. Gord.*), imperatores romanos (*Calm.*), tres reges Israel vel Iuda [2] (cf. apud *Pressel*), immo et Christum et Iacobum Zebedaei filium Iacobumque Alphaei (*Tir.*) intelligi volunt. *Mensem unum* designare longum tempus opinantur *Reinke, Schegg*, breve e contra *Sanct. Vat. Clarius, Loch, Trochon* ; intelligi mensem annorum i. e. annos triginta *Tir.*

---

1. Ita etiam Ioseph Kimchi explanavit, qui in voce Ion. 1, 6 argumentum deprehendit reges designari *funibus* ; cf. Kimchi, Comm.

2. Kimchi intelligit tres filios Iosiae designari l. c. ; recentiorum multi referunt tres illos ad 4 Reg. 15, 8 seq.

proponit; longius progreditur *Hofmann* (vide apud *Keil*), qui in subsidium vocans Dan. 9, 24 mensem hebdomadum annorum i. e. 30 $\times$ 7 i. e. 210 annos symbolice exhiberi coniectat, quo temporis spatio tres pastores (regnum babylonicum persicum, macedonicum) sint succisi. Denique *Patrit.* rem ita enucleat: « pastor ille supremus pastorum huiusmodi *saepe mutationem facere* coactus est, quae certe pars est studii in rei pecuariae procuratione ponendi... inepte igitur faciunt, qui in historia quaerunt quinam sint illi tres pastores intra unum mensem a gregis cura amoti... ut equidem sentio, non aliud haec verba sunt quam vulgaris illa ac pedestris modus narrandi ea quae saepius quam par est, aut alii faciunt aut ipsi facere cogimur ».

f) Extrema iniuria bono pastori inflicta 11, 12-14.

Cum prior castigatio (v. 10) non apud totum gregem, sed solum apud *pauperes gregis* (v. 11) fructum attulerit, alterum conatum eumque ad animos commovendos efficacissimum adhibet bonus pastor. Mercede enim muneris sui postulata serio eos monet, ut secum reputent quanti id sit aestimandum et ut aperte reipsa declarent, qualem aestimationem conceperint. Si quis amor pastoris in iis adsit, si qua officii praestiti existimatio et beneficii per tot saecula accepti (*Calm.*) agnitio, hac pastoris postulatione ut eius rei testimonium ferant, coguntur: v. 12 « *Et dixi ad eos: si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam; et si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos* »; — hac postulatione eos provocat, ut aperte fateantur, quantum ipse et eius opera ipsis probetur. Ipse rogandi modus: si aequum vobis videtur (id quod cum aliqua mixtum est ironia), pro tot curis ut habeam aliquid mercedis, afferte eam quam mihi deberi censetis; sin minus aequa est postulatio, omittite—pastoris indignationen non celat, quae praesertim in ultima meiosi (*sin minus desistite!*) elucet, qua quid de eorum mente iudicet iam satis indicat. Quae sequuntur *et appenderunt*... ut ait *Alb.*, cum compassione et despectu legi debent. Pretium enim *servile* pendunt pastori suo, eum tamquam vile mancipium habent; triginta enim argentei solvendi erant domino, si bos cornupeta servum vel ancillam invaserit (Ex. 21, 32); unde pro tali pretio servus emi poterat. Quare quam vili existimatione eum habeant, quantopere eum despiciant, operam eius contemnant et nihili faciant, satis superque manifestant. Haec omnia vates in visione peragit, experitur; ea autem symbola sunt, quibus res futurae exhibentur. Personam gerit veri illius pastoris, qui prius per angelos et prophetas, dein per se ipsum gregem illum adiit eique pascendi et regendi officia impendit, quem tamen et in legatis suis et demum in se ipso cum apparuisset, despiciebant et pessime

tractabant. Quanti enim Christum aestimabant ? proditori qui eum vendebat, triginta argenteos solverunt ! Adeo ad literam impleri hoc vaticinium complacuit sapientiae divinae. In tantum Christus qui in forma Dei constitutus Deo aequalis est, se exinanivit formam *servi* accipiens, ut pretio servi vendi, pretio servili aestimari voluerit ! — *Et appenderunt* more scil. veterum, qui pecuniam non tam numerabant, quam ponderabant, iusto pondere argentum vel aurum pro solutione dantes (cf. Gen. 23, 16. Is. 55, 2. Ier. 32, 9).

Iam iniuriam acceptam et contemptum maximum ad Dei tribunal perferre iubetur vates, simili modo, quo Ieremias causam suam Deo commendat (Ier. 11, 20 ; 20, 12) vel potius quo ipse Messias causam agit apud Deum : « in vacuum laboravi, sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi ; *ergo* iudicium meum cum Domino » (Is. 49, 4) ; v. 13 « *et dixit Dominus ad me : proiice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos et proieci illos in domum Domini ad statuarium* » ; — ad versionem suam notat *S. Hier.*: « pro πλάστῃ atque fictore *statuarium* olim interpretatus sum verbi ambiguitate compulsus, quod statuarium fictoremque uno sermone significat ». Hebr. הַיּוֹצֵר habetur, quae vox et de Deo saepius dicitur, qui res efformat et fingit(Ps. 33, 15 ; 94, 9. Is. 45, 7. 18. Ier. 10, 16 ; 33, 2 ; 51, 19. Am. 4, 13 ; 7, 1), et communiter figulum, plasten significat. Cum igitur ea vox tam crebro de Deo usurpetur, textus noster *ante impletionem* vix aliter poterat concipi, quam ut vates iuberetur pretium illud afferre ad rerum omnium Formatorem, ut is qui lucem format et tenebras resque singulas fingit, etiam vindictam formaret et effingeret de tanta iniuria et de tali contemptu. Et haec acceptio commendari videtur, quia dicitur : et proieci illud in domum Domini ad formantem. Utique impletione facta nemo dubitabit vocem de se ambiguam vertere : proiice ad figulum... et proieci illos in domum Domini ad figulum (cf. Matth. 27, 5-10). Ita enim *ad literam* hanc actionem symbolicam in Messia impleri Deus voluit. Vatem in visione Dei sustinere personam, etiam eo innuitur, quia pretio vati soluto Deus se appretiatum esse profitetur ; neque infirmum inde argumentum colligi poterit pro Messia qui sit Deo aequalis in natura divina.— *Decorum pretium* magna effert ironia vilissimam et mancipio congruam eorum actionem.

Nemo mirabitur vocem *figuli* in tali contextu interpretibus difficultatem movisse. LXX vertunt χωνευτήριον ; ita *Sym.* quoque ; *Syrus* et *Chald.* (?) vertunt quasi non יוצר scriberetur, verum אוצר[1] : proiice illud ad thesaurum, vel ad

---

1. Atque haec scriptio saltem duos codices hebr. occupavit, *Kennicotti* 530 et 650 ; cf.

thesaurarium ; quam interpretationem praeeuntibus R. Isaac Karaeo et R. David Kimchio [1] iam *Pagninus* et *Vat.* amplexati sunt aliique recentiores (*Hitz. Ewald*, Lehrbuch §. 45 d. *Fürst L. Pressel*). Immo novam etiam vocem יֹוצֵר *thesaurum* fingere aliqui non dubitarunt. Sed frustra. Verae lectioni et interpretationi iam *Aq.* fert testimonium : καὶ ἔῤῥιψα αὐτὸ ἐν οἴκῳ Κυρίου πρὸς τὸν πλάστην (cf. *Euseb.* ; *M.* 22, 745). Alii (*Keil, Trochon*) retinent quidem versionem *ad figulum*, sed putant id in proverbium abiisse ad contemptum exprimendum ; verum talis proverbii nullum adest vestigium neque cernitur, quomodo vel apte vel saltem decenter dici possit in ea suppositione : et proieci illos in domum Domini ad figulum (zum Henker !). Eodem modo excluditur aliorum opinio *ad figulum* designari locum impurum (in valle Hinnom ?) prope templum. Iam *Sanct.* quoque in ea locutione *ad figulum* id exprimi inter alia coniicit, ut innuatur, tam vili mercede lutum potius emi quam hominum laborem, vel : proiice ad figulum, ut ipse e luto pastorem aliquem vel idolum pastoris fingat, cuius praesentiam alii tam vili mercede coemant, neque enim illud sordidum et ignobile pretium alterius operam digne remunerari potest. Verum haec omnia longius quaesita et nimio artificio excogitata sunt neque ullo alio exemplo simili ex usu loquendi commendari possunt. Verborum sensus obvius, simplex, sponte quasi sua enatus est, quem iam explicat *S. Hier.* : « proiice pretium meum ad figulum, qui creator et fictor est omnium ; nec dixit *depone*, sed *proiice*, ut fictoris plastaeque iudicio merces Domini penderetur ; et εἰρωνικῶς pretium suum i. e. divinae maiestatis in triginta cernens argenteis et tam vili mercede se proditum, *decorum* inquit *pretium*, hoc autem pressius est legendum cum irrisione et subsannatione dicentis : tanto me populus meus... et a me electi in filios emendum atque vendendum pretio iudicarunt ».

Movent h. l. quoque quaestionem, cur *S. Matthaeus* verba haec sub nomine Ieremiae afferat (Matth. 27, 9). Varii varie respondent [2]. Perspicue nodum solvit *Sanct.* advertens, Matthaeum rationem voluisse reddere non tam pretii, quam *agri* eo pretio emti ; de *agro* vero nihil dicere Zachariam, dicere vero Ieremiam

---

Ges. Thes. p. 619 ; *de Rossi* ad h. l. — *Chald.* ponit vocem אמרכלא, quam *Levy*, Chald. Woerterb. I p. 38 *praepositum* explicat, *Buxtorfius* autem *thesaurarium* (Lexic. chald. p. 127), item *Ros.*

1. Cf. Kimchi, Commentary on Zecharjah. In quo libro legitur ad nostrum locum, aliquos verbum explicare *thesaurum* ; idque posse fieri quia literae vocales א, ה, ו, י inter se commutari possint. Sed simul additur, vocem h. l. eo fine esse electam, ut adsit allusio ad Creatorem, et allegatur Ps. 33, 15 : qui finxit sigillatim corda eorum. — Ioseph Kimchi verba « proiice ad figulum... » interpretatur : scribe hanc prophetiam eamque repone in domo Domini. R. Abraham toletanus in triginta argenteis symbolum cernit triginta annorum per quos Machabaei pii, Matthathias, Iudas, Ionathan, Simon feliciter res administraverint.

2. *Schanz* in commentario ad Matth. nomen Ieremiae per errorem a Matthaeo esse positum opinatur neque talem erroneam commutationem ullo pacto censet officere notioni catholicae de inspiratione ; at haec sententia est falsa. Bene adnotant *Reinke* et *Grimm*, Evangelistam hac citatione Ieremiae novam nobis aperire venam ad intelligentiam profundiorem et Ieremiae et Zachariae.

cp. 32. Atque revera Evangelista postquam dixit : « consilio autem inito emerunt ex illis *agrum* figuli in sepulturam peregrinorum ; propter hoc vocatus est ager ille hakeldama, hoc est, ager sanguinis, usque in hodiernum diem », adiicit prophetiae impletionem, quae proinde iure merito *immediate et per se* ad eventum ultimum, ad emtionem agri, mediate ad ipsum pretium refertur ; prioris autem solus meminit Ieremias ; textus igitur a Matthaeo allatus ex duobus quasi conflatur, id quod et ab Apostolis et ab ipso Domino quandoque fieri, *Sanct.* quoque variis exemplis comprobat. — Ceterum vide de hac re *Ios. Grimm*, Einheit der vier Evangelien p. 715-724.

Quomodo Iudaei hunc locum a Christianis pro Iesu vero Messia allegatum enervare studuerint, refert *S. Hier.* : « Iudaei istum locum malitiose interpretantes triginta argenteos triginta legis mandata commemorant, quae facere iubeantur in lege et rursum triginta sex alia quae prohibeantur in lege, et dici eis, ut argentum mandatorum Domini plastae suo atque fictori reddant Deo : quod quia facere noluerunt, esse proiectos. Breviter indicare volui quid sentiant ». In quo testimonio simul adverte, eius temporis Iudaeos (ut antea *Aq.*) interpretationi *figuli* suffragium ferre ; quare de thesauro et thesaurario figmenta aliorum eo maiore iure spernes. — Totum hunc locum *Chald.* mirum in modum detorquet : « et dixi eis : facite beneplacitum meum ; sin minus, cessate ! et fecerunt beneplacitum meum viri ex parte. Dixit mihi I. : scribe memoriam operum eorum in membrana scriptoria et proiice eam ad domum sanctuarii, proiice sub manum praepositi (thesaurarii, ut alii vertunt ; sed hic alio nomine vocabatur ; vide *Levy*, Chald. Woerterb. I p. 39) pro eo quod pretiosum feci timorem meum in oculis eorum. Et scripsi memoriam operum eorum in membrana scriptoria et proieci eam ad domum sanctuarii I. sub manum praepositi magni ».

Pretio adeo vili non solum pastoris ostendunt contemptum, verum etiam solutione declarant se libenter eius munere carere eumque ab ipsis ab officio dimitti et reiici. Talem autem iniuriam et repulsam passus pastor gregem relinquere et interitui committere statuit v. 14 « *et praecidi virgam meam secundam quae appellabatur funiculus, ut dissolverem germanitatem inter Iudam et Israel* » ; — apparatu pastoritio confracto se relinquere gregem eiusque curam abiicere demonstrat. Altera virga nomine *funiculi* coniunctionem symbolice effert qua populus inter se colligatus Deoque coniunctus unam rempublicam, unum coetum et religiosum et civilem exhibuit. Uti priore virga nomine favoris ab externorum hostium impetu defendebatur, ita altera in se ipso continebatur; ab utraque virga rerum conditio florens ac prospera pendebat. Prior castigationis modus erat, ut externorum vexationi et servituti subiicerentur ; alter iam hoc loco proponitur atque in eo consistit, ut omnis reipublicae forma funditus evertatur, ut populus coetu religioso et civili disiecto iam separatione insanabili et in omnem orbis partem dispersione et eiectione

in se ipso quasi separetur et divellatur. Ita germanitas, fraternitas, vinculum illud abscinditur, quo gens aliqua inter se consociata unum quasi corpus unamque rempublicam efficit atque efformat. Eam vero dissolutionem accidisse bello a Romanis illato sub Vespasiano et Tito, urbe hierosolymitana expugnata temploque combusto et Iudaeis sine ulla reipublicae propriae forma in imperii romani provincias omnesque orbis partes dispersis atque disiectis, vera est atque communis interpretum sententia (cf. *S. Ephr. Hier. Alb. Sanct. Lap. Men. Tir. Reinke, Loch*); atque ad eam facile etiam aliorum opinio reducitur, designari internas illas discordias, quibus gentis iudaicae ruina celeriter sit promota atque effecta. Allusione facta ad schisma sub Roboam inter Iudam et Israel interpositum alii similem quandam gentis discissionem praedici censent atque divisionem, qua una eaque minor pars Messiam secuta regno Messiae iungeretur, altera vero abiiceretur et priorem acerbis odiis persequeretur (*Rib. Calm.*). Neque difficile erit, hanc sententiam cum prima expositione ita conciliare, ut altera alteram vel supponat vel sequatur. Eundem quoque in re sensum habebis, si *funiculum* nota metaphora, cum funibus mensoriis sua cuique sors atque ager attribueretur, etiam h. l. intellexeris *partem, hereditatem*, qua scil. Deus populum sibi elegerit; in quam explicationem iam praeivit *S. Hier.* scribens : « secunda virga quondam appellata est funiculus et *pars mea*» (sim. *Rup.*) eamque *Pressel* amplectitur.

Ex hoc versu simul elucet, vocem חֹבְלִים a veteribus rite esse explicatam, neque ullo modo probari posse aliquorum interpretationem de baculo *dolorum* vel *perditionum* vel *corrumpentium* (cf. *Mar.* qui *corruptores* reges tyrannice gubernantes explicat, *Vat. Clarius*, quibus praeierunt Maimonides et Kimchi apud *Ros.* relati); nam eo baculo pastor gregem pascere dicitur, baculo autem abiecto et confracto gregem interitui permittere; sed uti aliquo sensu tolerabili existimare quis posset, gregem per aliquod tempus doloribus inflictis vel malorum regum gubernatione castigari et erudiri, ita nullo modo aliquis sibi persuadebit, in poenam gregis contumacis pastorem confringere baculum dolorum eumque abiicere i. e. ablatum iri omnes miserias et afflictiones. Neque enim (ut alia taceam) nexus ullus cernitur inter talem ablationem et fraternitatis dissolutionem. — Vocem חֹבְלִים aliqui explicant *foederatos, coniunctos* (cf. *Ros. Hitz.*); esse scil. participium *intransitivum*, neque significatione abludere a חוֹבֵר Ez. 1, 9. Alii punctis mutatis חֲבָלִים legentes vocem facilius explicari censent, utpote ad חֶבֶל *funem, funiculum* referendam. Sed utrocumque modo legas, significatio h. l. certa est et ex antiquorum interpretum concordia et ex declaratione in v. 14 proposita, quae omnino notionem exigit cum fraternitate intime consertam eamque symbolice repraesentantem.

k) Malo pastori traditur grex contumax 11, 15-17.

Cum bonum pastorem vili pretio soluto et despectui habuerint et cum ignominia ab officio cessare iusserint, merito traduntur vexatori, qui in subsequentibus latius describitur. Hisce simul declaratur, quid sibi velit v. 14 « ut dissolverem germanitatem ». Uti antea vates in se repraesentavit et sustinuit actione symbolica vel allegorica personam Dei providi pastoris, ita eodem modo nunc exhibet schema et formam mali pastoris; idque fit Deo iubente, ut certa indicetur impletio futura; v. 15 « *Et dixit Dominus ad me : adhuc sume tibi vasa pastoris stulti* » ; — *adhuc* propter v. 4; aliud enim mandatum suscipit. *Stultus* ex modo loquendi s. Scripturae est impius, scelestus abiecta fide et religione; *vasa* i. e. apparatum; habitum indue et in te exprime. Aliis placet vasa accuratius describere, quae eius emolumentis deserviant, ovibus autem nihil prosint, aut etiam noceant, uti baculus fortis et nodosus ad percutiendum, gladius ad iugulandum, laqueus ad oves strangulandas etc. (cf. *Rib. Lap. Sanct.*).

Quid eo portendatur schemate, ipse Deus docet v. 16 « *quia ecce ego suscitabo pastorem in terra qui derelicta non visitabit, dispersum non quaeret et contritum non sanabit et id quod stat non enutriet et carnes pinguium comedet et ungulas eorum dissolvet* » ; — i. e. omnia boni pastoris officia egregie negliget et damna maxima quae potest et vexationes ovibus inferet (cf. Ier. 23, 2. Ez. 34, 2-8). Hebr. *qui pereuntes non visitabit* i. e. nullam curam impendit iis, quae perditioni iam proximae sunt; dein aberrantes et dispersas non quaeret [1]; iis ex ovibus quae os fractum habent aut membrum aliquod vulneratum, nullum remedium applicabit. Uti aegrotas oves et indigentes plane negligit, ita ne sanas quidem et bene valentes conservare studet; non modo nihil pabuli providet, verum eas mactat, « carnes ipsas, si fieri potest, talosque comedit » (*Theod. M.*); *ungulas divellere, discerpere* « ne recto ingrediantur pede » ; ita *S. Hier. Cyr. Rib. Lap.* vel per asperos tramites eas ducit, ut ungulas laedant (*Schegg, Trochon*); sed cum de mactatione in membro antecedente mentio iniiciatur, praeplacet explicatio a *Theod. M.* iam data; tanta scil. pastor malus est aviditate et voracitate, ut ipsas ungulas discerpat si quid ad devorandum inveniat (*Reinke, Keil*).

---

1. Hebr. נַעַר aliqui *agnum tenellum* explicant (cf. *Hitz.*). Sed agnelli vix discedere solent a matre, unde nulla quaerendi necessitas adest; insuper נַעַר solum de homine usurpatur, neque tamen *tenellum* dicit. Quare versiones veteres (LXX, *Syrus, Hier. Chald.*) rite vocem explicarunt a נָעַר *excutere, dispellere* cf. Ps. 109, 23. Iob 38, 13. Aliis praeplacet scribere נער (cf. *Hitz. Fürst* L.).

Eiusmodi pastoris forma ultima iudaicae reipublicae tempora et horrenda illa odia intestina et saevitiarum genera, quibus duces rebelles inter seipsos et in populum grassabantur, rite describi nemo poterit inficiari. Unde sicut huius capitis initium ruinam illam extremam proponit, ita poena propter spretum pastorem bonum eadem h. l. iis praedicitur, ut ruinae isti per suos scil. quos sequi maluerunt prae Messia duces implicentur et miserrime ab iis tractentur. Id scil. vates h. l. clare praedicit, quod Messias postmodum de *mercenario* exposuit, quod de pseudoprophetis et pseudochristis, quos suscepturi essent, monuit (Matth. 24, 24. Marc. 13, 22. Ioan. 5, 43 : « si alius venerit in nomine suo, illum accipietis »).

Hunc malum pastorem esse ipsum et solum Antichristum, multi olim censuerunt (cf. *S. Hier. Cyr. Theod. Rup. Sa*) ; immo *Rib.* omnes fere hanc sequi sententiam scribit. Verum mox *Sanct.* licet fateatur alios pene omnes interpretes illam sententiam amplecti, quid sibi in hac communi sententia « in quam incumbit omnium pene auctorum conspirans consensio », minus probetur, solita modestia sed validis argumentis exposuit; monet initium capitis agere de urbis vastatione et eam nuntiare ruinam, quare h. l. non esse statim ad Antichristum transeundum ; adesse multa quae non quadrent in ipsum ; v. g. istum pastorem reprehendi, quia commissi sibi gregis curam abiecerit (v. 17), sed Antichristum nullo pacto esse pastorem neque ex instituto illa curare debere officia etc. Atque eius argumentatio tantum valuit, ut subsequentes interpretes eam explicationem relinquerent. Ita iam *Lap.* : « quarto et genuine pastor hic significat omnes perversos pontifices et principes qui Iudaeos post tempora Zachariae rexerunt aut pontificatum et principatum invaserunt, quibus Deus Iudaeos tradidit ob eorum scelera, praesertim quod se suosque pastores respuerent. Talis imprimis fuit Iason sceleratus... eiusque frater Menelaus (cf. 2 Mach. 4, 25 ; 5, 6)... tales quoque fuerunt Herodes, Annas et Kaiphas, scribae et pharisaei... tales post Christum Theodas et Iudas Galilaeus,... idem Barchocebas tempore Hadriani imperatoris,... talis denique erit Antichristus » etc., et in eandem sententiam de malis pastoribus generatim concesserunt *Men. Gord. Est.* Ergo ad Antichristum eo tantum sensu trahi potest, quatenus ipse summus futurus est hostis regni Dei ; unde si qui hostes Dei describuntur, ea descriptio etiam aliquo modo Antichristo poterit convenire. Quare iuremerito recentiores h. l. mentionem Antichristi prorsus omittunt. Audi v. g. *Patrit.* : « qui superiora sedulo consideraverit adque horum omnium . . . vaticiniorum seriem ac ductum attente animum adverterit, huic nulla poterit dubitatio suboriri quin hac postrema imagine illi Iudaeorum rectores sive quod verius dixeris tyranni portendantur, qui supremo iudaicae reipublicae tempore miseram gentem teterrimo regimine, immani crudelitate, atque intestinis dissidiis dilacerantes, causa fuerunt cur et urbs Hierosolyma et gens et ipsi una simul funditus exscinderentur ac disperirent » ; sim. *Reinke, Loch, Trochon.*

Neque ex veteribus omnes de Antichristo exposuerunt. *S. Ephraem* depictum

cernit Lysimachum, fratrem Menelai (de quo vide 2 Mach. 4, 39) seq.); dein addit similem poenam (v. 17) etiam accidisse pastoribus Iudaeorum post crucifixionem Christi; demum concludit: « iterum illi pastori aequalis fit Antichristus ». *Theod.* ea valere vult de Antiocho Epiphane saltem eatenus, quatenus is sit typus Antichristi; *Theod. M.* de malis Iudaeorum pastoribus qui malis artibus sacerdotium arrepturi sint explicat et *Alb.* de falsis pastoribus et Antichristo, *Mar.* de regibus post regni sub Roboam divisionem, *a Castro* de Romanis, *Calm.* de tribus Romanorum imperatoribus Caligula, Claudio, Nerone. — Quod *Sanct.* aliique etiam malos pastores Machabaeorum tempore intelligunt, approbare nequeo, quia *germanitatis* dissolutio (v. 14) quae hisce aperte depingitur, arctissimo nexu copulata cernitur cum *decori* pretii solutione; quare alterius virgae confractio non evenisse censenda est ante Christi mortem. Unde *ex mente Dei* qui parabolicam hanc rerum exhibitionem vati indidit, pastoris mali descriptio tempora necessario spectat post pretium solutum. Aliud est, quid vates ipse intellexerit. Hoc sane perspexisse censendus est, gregem propter Deum (Messiam) pastorem contemptum ac repudiatum miserum in modum esse discerpendum et vexandum. Ceterum facile tibi persuadebis, etiam de Zacharia valuisse quod *S. Petrus* docet: « de qua salute exquisierunt atque scrutati sunt prophetae... scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi » (1 Petr. 1, 10. 11).

Alii, uti *Calm. Keil*, Romanos iudicii Dei exsecutores habitu mali pastoris depingi existimant. At Romanis cura pastoralis sensu biblico non incumbebat adversus gregem, quare reprehensio v. 17 ad eos spectare nequit; neque Romanorum imperium propterea concidit, quia Iudaeos rebelles et a Deo ipso abiectos vexaverint; id quod tamen ex v. 17 consequens videretur. Unde saltem ex v. 17 patere debet, Romanos non posse intelligi.

Uti grex, ita demum mali quoque pastores misere interibunt: v. 17 « *o pastor et idolum, derelinquens gregem! gladius super brachium eius et super oculum dextrum eius! brachium eius ariditate siccabitur et oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur* »; — hebr. *vae pastori nihili* i. e. insano, stulto, inepto; ei congrua sceleri poena denuntiatur; brachio enim et oculo i. e. auxilio, vigilantia gregem debuit tueri (cf. *Cyr. Theod. M.*), quod cum neglexerit, iis praesertim membris erit puniendus, spoliandus omni robore et lumine et cum ignominia ad turpitudinem mutilandus (cf. 1 Reg. 11, 2)

Hebr. אליל *S. Hier.* Iob 13, 4 *perversum* reddidit; vox dicit *vanum, inane* et est frequentissima deorum gentilium designatio et appellatio. Unde *S. Hier.* hoc loco eo facilius *idolum* vertit, quia versum de Antichristo exposuit: « tam sceleratus est pastor, ut non idolorum cultor, sed ipse idolum nominetur, dum se appellat Deum et vult ab omnibus adorari ». LXX rite exprimunt per numerum pluralem, cum non de uno aliquo pastore sermo sit ὦ οἱ ποιμαίνοντες τὰ μάταια. Si cum LXX, *S. Hier.* retinetur *gladius*, vox certe sensu generali de poena inflicta explicari debet, vix de membrorum abscissione, quia in subsequente solum de ariditate et obtenebratione mentio

fit. Forte חֹרֶב melius h. l. vertitur, uti *S. Hier.* vertit Deut. 28, 22 *aestus* i. e. ariditas, siccitas, nisi legere malueris חֹרֶב; dein membrum versus utrumque apte et concinne inter se effertur. *Chald.* quidem etiam *gladium* exprimit, sed alio sensu : qui similis est lanioni, cuius culter in manu eius et oculus ad pinguia ut mactet. *Syrus* aliter quoque : pastor stolide, cuius brachio et oculo dextero oves commisi. —*Reinke* ita iungit et vertit : o pastor male, ad cuius brachium et oculum dexterum gladius est i. e. iis ipsis quibus gregem tueri debebat, miserere lacerat, actionibus scil. et consiliis. Sed valde dubito, num haec explanatio et voci עַל conveniat et *gladius ad oculum* positus sanum praebeat sensum ; adde quod de mali pastoris crudelitate iam v. 16 satis dictum est ; nunc cum sententia *vae* vestiatur, statim poenae denuntiationem potius exspectaveris, quam languidam repetitionem.

SECTIO ALTERA. CAP. 12-14.

ARG. — Ipsa inscriptione *onus verbi Domini super Israel* iam indicatur etiam theocratiae instauratae sua instare certamina, proelia, persecutiones. Hostes enim Dei etiam hostes sunt regni eius. Quare metropoli theocratiae multiplex annuntiatur infestatio et oppugnatio; omnes enim gentes rabie quadam et aemulatione urbem illam expugnare et evertere tentabunt; at frustra et cum magna sui ipsarum damno et excidio (12, 1-4). Deus enim eximiam feret opem : duces Iuda magna animorum fortitudine nec minore pietate periculis se obiicient et egregiam victoriam reportabunt : pax restituetur et populus theocraticus insigni virtute et excellentia a Domino decorabitur (12, 5-8). Ad tale autem victoriae et dignitatis fastigium pervenient sacrae theocratiae cives, quia Deus in eos effundit spiritum gratiae et precum, quo imbuti in sacram Christi patientis et morientis contemplationem incumbunt intimo animorum affectu (12, 9-14); quo loco insigne exhibetur vaticinium, quantopere in Ecclesia Christi memoria mortis Christi continuo et universim pio fidelium omniumque ordinum sensu sit recolenda. Propter eundem Christum *quem confixerunt* (12, 10), omnibus aperitur fons largissimus ad eluendas immunditiеs, ex quo sanctitas in theocratia vigens originem ducit. Eam autem s. vates ita describit, ut vitia illa duo veteri foederi adeo fatalia, idololatriam et pseudoprophetiam, longissime abfore praedicat (13, 1-6). — Erunt igitur regni messianici impugnationes, sed Dei ope superabuntur, et superabuntur *armis spiritualibus* ; effunditur enim spiritus Dei, aperitur fons emundans, aboletur peccatum.

Iam in subseq. intima panditur ratio, cur regnum quoque messianicum infestationibus hostium obiiciatur : Rex enim eius et Pastor est percussus, unde gregi quoque afflictio obtinget et probatio, qua reiectis malis electi tamquam aurum probantur (13, 7-9). Hanc afflictionem et probationem s. vates continuo consuetis imaginibus bellicis, urbis scil. expugnatione

et vastatione, proponit, qua in calamitate Deus insigni potentiae manifestatione suos protegit et e periculo eripit (14, 1-7). Ereptos autem magnifica liberalitate complectitur : persecutionis et tribulationis tempore transacto theocratia novo splendore et incredibili fecunditate florebit, regnum Dei dilatabitur et theocratiae metropolis singulari dignitate, amoenitate, fortitudine consistet; hostes eius terribili plaga percutientur eorumque spoliis theocratia ditabitur (14, 8-15). Hisce autem in regno Dei eximia aderit sanctitas : gentes ad Dei cognitionem adductae gratis animis Domino festos dies celebrabunt; si qui ab hac animi grati significatione alieni exstiterint, benedictione divina carebunt et sorte hostium percutientur; in regno autem Dei cuncta erunt maiore dignitate Deo consecrata (14, 16-21): populus sanctus coram Deo sancto.

Unde hanc sectionem facile quis in duas partes dividet 12, 1-13, 6; 13, 7-14, 21 quae magnam inter se affinitatem praebent. In priore effertur tribulatio atque pressura urbi inferenda; dein mira Dei protectio et hostium interitus, in populum Dei larga gratiae effusio et exinde sanctitas; in altera proponitur pastoris percussio et gregis afflictio (duplici modo : 13, 7-9; 14, 1. 2); dein mira Dei protectio, hostium interitus; largae benedictionis in populum effusio et inde consequens sanctitas. Discrimne tamen advertitur, quod sicut in altera parte et oppugnatio maior et gravior describitur, ita auxilium Dei multo mirabilius, hostium interitus terribilior exhibetur; sanctitas in utraque parte varie illustratur : communis utrique est imago aquae vivae mundantis et vivificantis : in priore spiritu gratiae et precum, sacro de Christo patiente luctu et sacro in pseudoprophetas zelo et superstitionis remotione describitur, in altera imagine sollemnitatis festi tabernaculorum et intima omnium rerum ad Dei cultum et honorem habitudine et consecratione potissimum adumbratur. Praeterea novae theocratiae prae vetere praestantia saepius egregie illustratur 12, 8; 14, 20. 21; eius asseritur indefectibilitas 12, 3; 14, 11, quae in omnium hostium prostratione quoque cernitur. Vaticinia messianica prorsus illustria proponuntur : quae Isaias de servo Domini patiente et trucidato dixerat, a Zacharia per Pastorem confixum et percussum explicantur et huius Pastoris divina natura satis clare asseritur (12, 10; 13, 7)[1].

---

1. Atque argumentum adeo opulentum, sublime, pium *Reuss* non puduit describere quasi carens non solum arte poetica, verum etiam ideis : « selbst der blos aesthetische Genuss ist ein sehr geringer, da auch das gründlichste Studium in diesen Blaettern nicht finden kann, was der Geist nicht hineingelegt, Poesie und Ideen » l. c. p. 332. — Ecce ad quid demum s. librorum studium recidit apud eos, qui verae scientiae biblicae se esse unos cultores atque fautores gloriantur !

a) Oppugnatur theocratia 12, 1-4.

In praecedente capite vates exposuit, qualis sors futura sit iis, qui Messiam pastorem abiicient et spernent et quomodo eo crimine respublica iudaica sit funditus evertenda (11, 1-3. 14. 15-17). Sed etiam hic dicere oportet cum *S. Paulo*: « quid enim si quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? absit » (Rom. 3, 3). Theocratia exsurget messianica. Iam sacer vates ad eam contemplandam convertitur. Neque aliud quid post cp. 11 et pastorem Messiam exspectaveris. Et ea quidem germanitate inter Iudam et Israel dissoluta apte introducitur, ne unquam populus Dei deesse atque plane deficere videatur. Ita grege abiecto magnum illud panditur mysterium, quod Osee quoque indicat (1, 10), Deum Israele abiecto nihilominus novum Israel sibi efformaturum, theocratiam ab iis qui genere sint Iudaei non acceptam constitutum iri ab iis qui spiritu et mente sint verus Israel. Gressus igitur ad theocratiam messianicam facilis est et ex promissione Dei absoluta obvius et ex pastoris Messiae munere necessarius.

Sed cum ipse pastor Messias iam nobis ostensus sit parvipensus et contumelia affectus (11, 12. 13), sacer vates ad id proponendum progreditur, quod cum tali pastore intime nexum atque consertum esse videtur eius scil. theocratiam quoque a multis iri impugnatum, spretum. Illud igitur vates ore prophetico monet, quod novi foederis revelatio et doctrina aperte nos edocet, esse Ecclesiam corpus, cuius caput est Christus, et corpus igitur et membra in se experiri et exprimere ea, quae in capite Christo gesta sunt: « si me persecuti sunt, et vos persequentur ». Verum illud quoque vates noster pulcherrime ac luculentissime exhibebit: « confidite, ego vici mundum ».

Cum igitur de oppugnatione theocratiae et de pressura sermo sit quam habituri sunt ad pastoris exemplum et modum fideles eius sectatores (cf. 13, 7. 14, 1 seq.), huius partis inscriptio facile intelligitur: « *Onus verbi Domini super Israel* »;— est enim ea ex parte oraculum onerosum (cf. Nah. 1, 1) de tribulatione ingruente et pondere persecutionum; *Israel* nomen est honorificum populi Dei, nomen theocraticum, quod ipsam notat theocratiam; quare ad messianicam quoque theocratiam designandam facillime vel potius ex analogia et nexu intimo per se adhibetur. Utrum vero ii, qui hanc theocratiam sunt efformaturi, Israelitae sunt carne et sanguine, necne, parum refert. Eos non fore ex genere omnes iudaico prophetae satis aperte declarant. Nam, ut alia omittam, postquam dixerunt, reliquias tantum Israel salvas fore, Israel statim ut populum demonstrant numero et multitudine abundantem

(cf. Os. 1, 10. Mich. 2, 12. 13), neque unquam omittunt regni messianici ad gentes propagationem gentiumque in numerum populi Dei ac censum connumerationem explicite efferre (cf. Is. 19, 25. Am. 9, 12 et quae ad hos locos notavi). Quare uti ipse Messias nomine Israel compellatur (Is. 49, 3), ita eodem nomine populus consalutatur messianicus.

Iam *onus* explicatur; verum ne quis de *onere* trepidet animumque despondeat, Dei et maiestatem et potentiam in rerum creatione et conservatione magnifice relucentem vates depingit : « *dicit Dominus extendens coelum et fundans terram et fingens spiritum hominis in eo* »; — cf. Is. 42, 5. Am. 4, 13; « Dominus igitur qui coelum extendit ut pellem et terram alta mole solidavit et spiritum hominis finxit in eo, idem animarum creator est omnium » (*S. Hier.*); unde quia rerum omnium in coelo et in terra omniumque viventium imperium tenet summum summamque potentiam, non est cur cultor Dei de *onere* formidet. Appellatur h. l. יֹצֵר, quod nomen facile ad 11, 13 retuleris, ut explicationem ibi propositam hoc etiam loco confirmari iure dixeris. — Cur tali prooemio oraculum vestiatur, audi *S. Cyr.*: « consueverunt sancti prophetae non vulgaria praedicturi prius conari, ut Deum universorum viribus valentissimum et robustissimum ostendant, quo eorum oratio ex omni parte stabilem fidem consequatur, quamvis spe maiora et si rem cogitatione humana metimur, captum nostrum excedentia et incredibilia dicant ... (et paulo antea) ... adeo enim magnarum rerum conditor et opifex, quomodo non citra sudorem et facillime quod voluerit conficiet ? *fingitur* spiritus, non ad initium exsistentiae suae vocatus (quamvis per ipsum factus sit), sed quasi transformatus, ex imbecillitate ad virtutem, ex ignavia ad patientiam » (sim. *Rib. Sanct.*).

Sed quale *onus*? in ipso onere iam victoria et triumphus declaratur, uti theocratiam decet, cuius auctor et caput de se dicit : ego vici mundum. Unde v. 2 « *ecce, ego ponam Ierusalem superliminare crapulae omnibus populis in circuitu, sed et Iuda erit in obsidione contra Ierusalem* »; — uti Israel h. l. generatim populum Dei novamque theocratiam dicit, ita ex analogia Ierusalem metropolis pro ipso centro theocratiae eiusque quasi parte praecipua ponitur; est enim regni eius urbs primaria, civitas capitalis et sedes regia, qua capta et deleta regnum ipsum deletum videri poterat. Metaphoram declarat *S. Hier.*, « ut qui limen eius attigerit inebrietur et corruat, sive ipsum superliminare in eum corruat, a quo contingitur »; i. e. quicumque hostis, ut explicat *Tir.*, vel limen attigerit urbis, mox quasi ebrius et mente captus retroagetur, trepidus ac tremulus ... exitiosum ac letiferum erit vel limen urbis hostiliter attigisse. Experti id sunt non modo Antiochus Epiphanes etc., verum quicumque bellum theocratiae intulerunt, omnes Ecclesiae Dei persecu-

tores, uti h. l. *S. Cyr.* advertit. — Hebr. non tam de limine vertiginis, quam potius de phiala, patera, *de pelvi vertiginis*[1] interpretaberis (cum *Mar. Lap. Clario, Gord. Calm.* et recentioribus); est scil. Ierusalem pro populis quasi vas repletum potu inebriante, ut *Chald.* habet; « est metaphora a calice aureo, optimo vino pleno sed venenato, ad quem certatim accurrunt sitibundi, sed mox ut eum gustarint, tremere, stupere, animam agere incipiunt » (*Lap.*). Unde simul innuitur, sicuti bibulus fatali quadam voluptate, ne dicam necessitate, ad vinum stimulatur et avide potum arripit, ita populos stimulis quasi agitari et excitari et voluptate quadam perfundi, ut bellum inferant theocratiae. Verum potus ex eo calice haustus iis est fatalis; est pro iis vinum calicis furoris Domini, quo vertigine et ebrietate correpti stupefiunt ac concidunt. Est enim ebrietas in s. literis tropus usitatus, quo calamitatum pondus et inde sequens stupefactio exitialis depingitur (cf. Is. 19, 14. Ier. 25, 16).

Alterum membrum verte ex hebr. *et etiam supra* (contra) *Iuda erit in obsidione contra Ierusalem* i. e. quando Ierusalem oppugnatur et obsidetur, impetus hostilis et belli pondus etiam erit contra Iudam, etiam Iudae incumbet (cf. *Calm. Reinke, Schegg, Keil, Trochon*); non tantum metropolis, sed etiam cum ea tota regio petulantiae hostium erit exposita, ergo *tota* theocratia furorem hostium experietur. Tribulatio et angustiae, quae in *patera vertiginis* solum indirecte et ex consequente exprimebantur, iam mentione *obsidionis* clare designantur.

Veteres hoc membrum de Iudaeis accipiunt, qui ipsi quoque simul cum hostibus iuncti obsidionem et inimicitias moveant contra Ierusalem; « sed et Iudas obsessa Ierusalem est captus a gentibus et in illarum transiens societatem cogetur obsidere metropolim suam »; ita *S. Hier.* quem fere sequuntur; et eadem ratione *Chald.* quoque. Secundum variam capitis huius acceptionem (de qua postea) id explicant vel de Iudaeis apostatis tempore Machabaeorum, qui ad hostes desciscentes acerrime omnium in fratres suos saeviebant (cf. 1 Mach. 1, 53; 7, 20 seq. 2 Mach. 5, 6 etc.), vel de iis, qui Iudaei nomine et genere Ecclesiam Dei statim ab exordio acriter sunt persecuti, vel demum de degeneribus Ecclesiae filiis, qui in adversariorum castra transfugae Ecclesiam hostiliter impugnant. Tales utique internos Ecclesiae hostes nullo fere tempore defuisse atque odia sua cum externis hostibus miscuisse, res est aeque vera ac luctu plena. Sed hoc loco id a propheta innui negandum esse videtur. Nam v. 4 et 5. 6. 7 Iuda certe ita

---

1. Hac enim significatione סַף quoque pollere, certum est ex *Ex.* 12, 22. 2 Sam. 17, 28 1 Reg. 7, 50. 2 Reg. 12, 14; cf. *Ros. Reinke, Keil* ad h. l. Vocem *S. Hier.* 3 Reg. 7, 50 vertit *hydriam*; item 4 Reg. 12, 14 et Ier. 52, 19.

describitur, ut ab omni animo hostili alienissimus intime cum Ierusalem iunctus appareat et insignis gratiae divinae et protectionis particeps eundem cum metropoli triumphum agat de oppugnatoribus; dum enim Deus v. 4 oppugnatores prosternit, domum Iuda gratia et misericordia praevenire dicitur et in subseq. Iudaei insignes describuntur heroes qui proelia Domini cum gloria proeliantur. Ergo perdurum esset, Iudam v. 2 alio prorsus et contrario sensu accipere quam v. 4. 5. 6. 7. Neque iure dixeris, illos Iudaeos, antea hostes theocratiae, per Dei gratiam ad meliorem frugem rediisse et impia belli societate derelicta pro civitate Dei arma arripuisse. Hoc quidem valde pulchrum est ac laudabile; at in verbis prophetae de tali conversione non est sermo, et si rerum eventum ipsum in auxilium vocare velles, talis interpretatio fundamento fere destitueretur; neque enim Iudaei apostatae tempore Machabaeorum, neque Iudaei illi in exordiis rei christianae, neque filii Ecclesiae apostatae degeneresque ullo unquam tempore heroes evaserunt et defensores theocratiae eo numero, ut simpliciter posset asseri id quod in hac explanatione oraculum prophetae affirmaret, eos qui oppugnatores olim fuerint, defensores factos esse. Dein perpende, v. 4-7 Iudaeos exhiberi *oppugnatos ab hostibus*; ergo concludendum, nisi ratio *evidens* contraria appareat, eosdem Iudaeos etiam v. 2 designari. Adde quod verba prophetae *et etiam supra Iuda* per se societatem dicunt sortis et rerum cum Ierusalem; dein potes iure merito etiam prius עַל vertere *contra*, uti vox versa est ultimo loco : in obsidione *contra* Ierusalem; sensu enim hostili *adversus, contra* vocem eam usurpari saepius, et notum est (cf. Iud. 16, 12. Ez. 5, 8. Iob 16, 4. 9. 10; 19, 12; 21, 27 etc. vide *Ges.* Thes. p. 1028) et ipso hoc loco ostenditur. *Syrus* verba hebr. eodem sensu accepit : et etiam contra Iudam erit obsidio cum Ierusalem.

Oppugnationem theocratiae, quae tamen ipsis aggressoribus male cedet, alia imagine vates proponit v. 3 « *et erit, in die illa ponam Ierusalem lapidem oneris cunctis populis; omnes qui levabunt eum concisione lacerabuntur, et colligentur adversus eam omnia regna terrae* » ; — hebr. *omnes gentes terrae*; « sensus iste est : ponam Ierusalem cunctis gentibus quasi gravissimum lapidem sublevandum. Levabunt quidem eam et pro virium varietate vastabunt; sed necesse est ut dum levatur, in ipso nixu et elevatione ponderis gravissimus lapis scissuram aliquam vel rasuram in levantium corporibus derelinquat » (*S. Hier.*). Certatim theocratiam aggredientur; uno oppugnatore cessante alter succedet; omnes sese exercebunt et vires exserent ad lapidem istum sublevandum; conantur tollere i. e. vastare et delere urbem; verum nulli res bene cedet; sibi ipsis vulnera et concisiones inferunt; nihilominus alii se fortiores et prudentiores existimantes idem conamen aggredientur reliquorum sorte et poena minime edocti. Pulcherrime et brevissime hac comparatione sacer vates bellum illud continuum delineat, quod theocratiae infertur aemulatione quadam nationum, quae omnes vires suas ostentare et

exercere certatim volunt in hac oppugnatione neque tamen aliorum cladibus eruditae ab incepto desistunt.

Qualiter Deus sui regni partes sit acturus ac tuiturus, declaratur v. 4 « *in die illa, dicit Dominus, percutiam omnem equum in stuporem et ascensorem eius in amentiam; et super domum Iuda aperiam oculos meos, et omnem equum populorum percutiam caecitate* »; — in expeditione bellica equites celeritate, impetu maxime terribiles sunt; unde in eorum clade insigni omnium clades et conatus irriti bene delineantur. Quam fortiter suorum causam Deus sit suscepturus, collige ex locutione emphatica: omnem equum stupore, eiusque sessorem amentia esse percutiendum; omnes ergo praecipites in certam ruinam et exitium ruent. Erga suos vero qui opprimuntur tenerrimam pandit curam; oculos aperire providentiam dicit dirigere summo amore impensam; « aperiri oculos illud sibi velle existimo, quod amplissime et toto velut aspectu respiciet; quod suae erga illum benevolentiae ac praeterea indulgentiae et caritatis indubitatum erit indicium » (*S. Cyr.*); vel ut *Rup.* ait: oculorum apertio gratiae est effusio. Illis lumen divinum affulget; hostibus ipsum naturale lumen subtrahitur, ut tenebris obvoluti cum ignominia ab oppugnatione repellantur; cf. 4 Reg. 6, 18. 2 Mach. 10, 30.

De quonam tempore et de qua theocratiae conditione haec a propheta dicta sint accipienda, interpretes varie sentiunt. Iam *S. Hier.* scribit: « triplex est interpretatio... alii enim Iudaeorum putant iam haec ex parte completa a Zorobabel usque ad C. Pompeium, qui primus Romanorum Iudaeam cepit et templum, quam historiam scribit Iosephus. Alii vero quando Ierusalem fuerit instaurata in fine mundi esse complenda; quod sibi cum ἠλειμμένῳ suo, quem supra pastorem stultum legimus, miserabilis gens iudaea promittit. Alii autem, hoc est, nos qui Christi censemur nomine, in Ecclesia usque ad finem mundi quotidie expleri et explenda memoramus ». Neque tamen semper tanta cum certitudine loquitur S. Doctor; ad v. 6. 7 v. g. notat: « haec iuxta historiam seu facta sint, seu futura, fidem rerum Domini iudicio relinquentes et sanctis eius, qui ab eo sapientiae et veritatis spiritum receperunt ». Atque revera sunt neque pauci neque ignobiles interpretes, qui de Machabaeorum tempore ac victoriis haec et sequentia dici censeant; ita *S. Ephr. Theod. Theod. M. Barh. Mar. Sanct. Lap. Tir. Men. Gord. Houbig. Calm.* Audi v. g. *Tir.*: « alludit ad athletas qui ponderossisimorum lapidum sublevatione vires suas tentare et ostentare solebant non sine gravissima subinde laesione et exitio suo. Patuit hoc in Heliodoro, in Iasone, in Menelao, in Lysimacho, in Alcimo, in Antiocho Epiphane et Eupatore, in Nicanore, in Bacchide, Appollonio, Tryphone, aliisque asiaticis tyrannis mala morte ob vim Ierosolymae illatam mulctatis, ut de M. Crasso, Cn. Pompeio et Herode taceam... taceam etiam Ammonitas, Moabitas, Philisthaeos, Idumaeos, Syros, Tyrios, aliosque Iudaeorum hostes ab illis non modo repulsos, sed et subactos non raro ». Sed tamen ea ita de Machabaeorum victoriis accipiunt, ut spirituali-

ter vel allegorice vel mystice de Ecclesiae triumphis, eo tempore iam typice demonstratis, interpretentur (cf. *S. Ephr. Sanct. Lap.*).

Alii ea directe atque immediate dici existimant de nova Messiae theocratia, de Ecclesia Christi et variis persecutionibus quibus per temporum decursus impetitur et quas Dei ope omnes superat; ita fere *S. Hier. Cyr. Rup. Su, Rib. Vat. Clarius, Loch, Trochon.* Atque hanc sententiam implectendam esse censeo. Primo enim postquam cap. 11 iam tempora Messiae delineata sunt (11, 12-17), vix mihi persuadebo, vatem regredi ad praeviam epocham. Dein post opus vindictae ac destructionis quod Messias in grege contra contemptores est completurus (11, 14-17) quam aptissime altera subiungitur pars *positiva* qua regnum Messiae et bona in eo conclusa proponuntur; id vero fit cap. 12. Tertio ea quae hic promittuntur, et ampliora sunt et sublimiora, quam ut Machabaeorum conditionibus conveniant. Etiamsi enim v. 2 *populos in circuitu* intelligi vel posse vel debere putaveris de vicinis solum tribubus, quae Machabaeorum tempore bella movebant, mox tamen v. 3 latior aperitur campus, cum iam *omnes populi*, immo *omnes nationes terrae* כל גויי הארץ in scenam prodeant. Deinde attende ad ea quae in subseq. promittuntur; adeo enim magnifica sunt, ut res Machabaeorum longissimo intervallo relinquant. Demum a v. 10 apertissimum est, vatem agere de tempore messianico, neque tamen ullo modo transitum in aliam epocham indicat, sed eodem cursu pergens *et effundam* simpliciter subdit; unde pronum est concludere, eum in instituta oratione et serie rerum versari; insuper adverte, a v. 10 eum adesse nexum et rerum colligationem, ut ratio afferatur et explicetur, cur Deus praeclaros triumphos et tam sublimem animorum fortitudinem ac virtutem largiatur. De quo nexu vide infra ad v. 10 et seq. Quibus perpensis non dubito asserere sacrum vatem haec oracula de regno messianico fudisse.

Restat tertia sententia, cui *Reinke* et *Schegg* potissimum patrocinantur, fieri vaticinium de futura Israelis conversione, in temporum fere fine ex S. Pauli doctrina exspectanda (Rom. 11, 25) atque de illis oppugnationibus, quas in ultima temporis messianici periodo hostis valentissimus, Gog et Magog (cf. Ez. 38, 39, Apoc. 20, 7) Ecclesiae Christi est illaturus. Verum non perspicio, cur vaticinium ad id unum restringatur, neque cur de *Iudaeorum* conversione sit explicandum. Unum quod id suaderi potest, in nominibus Iuda et Ierusalem continetur. Ad nomina haec *theocratiam* significare, quia et vetus theocratia in Iuda et Ierusalem erat constituta et nova ex eadem vetere enascitur et in illa tamquam in typo est praeparata et adumbrata, res est apud prophetas saepe obvia (vide quae notavi ad Is. cap. 40, Erklaerung p. 461 et seq.) et a sacris N. T. auctoribus prorsus comprobata; cf. Rom. 4, 12; 11, 17. Gal. 3, 29; 4, 27. Eph. 2, 19 etc. Novum Israel, novam theocratiam ex omnibus gentibus coalescere debere, et nihilominus sacris nominibus theocraticis antiquis iri nominatnm, non obscure quoque innuitur Os. 1, 10. Am. 9, 11. 12. Mich. 7, 11. 12. Quare haec nomina etiam hoc loco non ad Iudaeos genere et natione sunt restringenda.

Sententia vero a *Pressel* proposita, describi h. l. invasionem a Sennacherib factam clademque exercitui eius divinitus immissam (4 Reg. 18, 13 seq. 2. Par. 32, 1 seq. Is. 36, 1 seq.), refutatione non indiget, cum tota pendeat ab eius de tempore Zachariae opinione. Quicumque enim hanc quoque vaticinii partem post

exsilium esse compositam censet, eo ipso illam explanationem explosit, sicuti etiam opinionem a *Reuss* propositam, describi hic tempus Manassis regis et tangi ea quae 4 Reg. 21, 2 seq. 16. 2 Par. 33, 11 narrentur. — Ceterum ipse *Hitz.* cp. 12 tempus describi messianicum agnoscit.

b) Deus eximium praestat auxilium 12, 5-8

Neque in hac theocratiae oppugnatione licebit otiosos esse, qui in ea principes vel duces sint constituti; sed pia precatione et divinae opis fiducia freti periculis sese obiicient v. 5 « *Et dicent duces Iuda in corde suo : confortentur mihi habitatores Ierusalem in Domino exercituum, Deo eorum* » ! — efflagitabunt primores a Domino, ut populo suo vires subministret et animorum fortitudinem, quibus roborati afflictione et persecutionibus evadant superiores. Spem unice reponendam esse docent in *Domino exercituum*, cui omnes exercitus coelestes ac terrestres praesto sunt et subiecti et qui est *Deus eorum*, singulari foedere et eximiis promissionibus eorum protector, vindex, omnium bonorum sponsor.

Textum mas. אַמְצָה recentiores fere vertunt : *robur* (praesidium) *mihi incolae Ierusalem*, explicantes nomen forma femin. ab אֹמֶץ derivatum. At veteres formam verbalem ibi deprehenderunt. Scribit enim *S. Hier.* : pro eo quod nos diximus *confortentur mihi* et LXX transtulerunt εὑρήσομεν ἑαυτοῖς *inveniemus nobis*, in hebr. scriptum est *emsa li*, quod *Aq.* transtulit καρτέρησόν μοι i. e. *conforta mihi*, ut sit sensus : vota facient in abscondito mentis arcano, ut Deus confortet.. ». Forma imperativi optime sensui congruit ; unde illa erit legenda punctatione mas. parumper mutata אַמְּצָה i. e. uno dagesch adiecto, ut sit imperat. piel cum *he* paragogico. LXX verbum מצא legerunt ; sim. *Chald.* inventa est salus. *Syrus* verbum agnoscit hebr. sed alia forma effert : praevaluerunt prae nobis. *Houbig.* et *Ges.* (Thes. p. 119) offensi vocula *mihi* illam expungi volunt ac rescribi ליושבי (uti praebent pauci codd. apud *de Rossi* pro לי ישבי) : praesidium est habitatoribus Ierusalem apud Dominum. Verum est, illud *mihi* etiam omitti apud *Chald.*, sed reliqui testes ei suffragantur et insuper sensus adest optimus, quia illud *mihi* intimum uniuscuiusque ducis votum et desiderium eleganter aeque ac breviter exprimit.

Tempore igitur afflictionis et persecutionis primores Ecclesiae pro fidelium populo opem Dei implorabunt. Talem vero opem Deus plebi suae feret virtute et constantia donans Ecclesiae principes eosque victores constituens ; v. 6 « *in die illa ponam duces Iuda sicut caminum ignis in lignis et sicut facem ignis in feno, et devorabunt ad dexteram et ad sinistram omnes populos in circuitu ; et habitabitur Ierusalem rursus in loco suo in Ierusalem* » ; — victoria describitur facilis, insignis ; quid enim igni resistet et quam apta materia ignis sunt ligna et manipuli (hebr.) segetis demessae aridi? « Quod autem ait *ad dexteram*

et ad sinistram fortitudinem ac successum indicat quibus nemo resistere aut impedimento esse poterit» (*Rib.*). Verum, ut bene monet *S. Cyr.*, «non perdunt gentes, sed potius falsae in ipsis scientiae detestanda et impura dogmata incenderunt veterisque fallaciae sordes absumpserunt et animos eorum qui semel crediderant, ad insipientiam et temeritatem frigefieri amplius passi non sunt». Illis enim persecutionibus Ecclesia non erit minuenda, sed augenda novis incrementis (*Rib.*). Habes praeformatum illud : non praevalebunt adversus eam portae inferi. Post oppugnationem Ecclesia erit ditior, pacatior, in sua sede firmissime constituta; id dicit *et habitabitur rursus in loco suo* i. e. in eo statu in quo tunc erat quando vere potuit dici Ierusalem, civitas pacis et civitas sancta (*Sanct.*) [1]. In hebr. *Ierusalem habitabit in loco suo* sensu eodem; *in Ierusalem* additum videtur emphasis gratia; hostes enim urbem delere student, lapidem illum removere et auferre (v. 3); at manet urbs inconcussa, manet ubi a Deo fundata est; quare non sine sarcasmo inimicis dicitur : habitabit Ierusalem in loco suo i. e. in Ierusalem; manebit theocratia et centrum eius ibi, ubi a Deo ponitur, ne latum quidem unguem illud amovebitis [2].

Triumphus vero bonique incrementum ita a Deo conceditur, ut auxilium divinum non possit non perspicuo cognosci; v. 7 «*et salvabit Dominus tabernacula Iuda sicut in principio, ut non magnifice glorietur domus David et gloria habitantium Ierusalem contra Iudam*»; — tabernacula, quae bellico apparatu destituta minime sustinere posse videntur impetum hostilem, a Domino salvabuntur *sicut in principio* i. e. sicut antea populum suum magnifice ab hoste salvavit et vindicavit ita, ut salus et victoria ipsi soli adscribi potuerit v. g. tempore Gedeonis, tempore invasionis a Sennacherib factae; eodem modo populum suum ita periculis eripiet, ut gloria nulli alii attribui possit, ut appareat non humana principum (domus David) sapientia et prudentia neque humanis subsidiis (quae in arce munita et in urbe munita Ierusalem cernere licet in oppositione ad *tabernacula*), sed sola Dei ope victoriam esse partam. Duces scil. non poterunt gloriari, quod ipsi attulerint salutem populo, nec metropolis munita, quod ipsa auxilium vel refugium praestiterit ruricolis (cf. *S. Hier. Theod. Alb. Rib. Sanct.*). Uti explicatione ipsa ostenditur, illud *sicut in principio*, vel uti *S. Hier.* Deut. 9, 18 vertit,

1. Comparat *Sanct.* loquendi modum usitatum, quo v. g. Martialis de Roma a Domitiano imperatore restituta dixit : reddita Roma sibi est.

2. *Houbig.* locutionem illam immerito vocat *corticem sine medulla*; vult legi Ierusalem habitabit בשלם in pace. *Chald.* habet : Ierusalem prosperabitur; reliqui testes textui hebr. suffragium ferunt neque est, cur mutetur.

sicut prius apte ponitur, cum iam in Iudaeorum rebus bellisque gestis similes adfuerint eventus, quorum gloriae ad unius Dei opem mirabilem referri debuerunt. Legit igitur *S. Hier.* כָּרִאשֹׁנָה cum particula comparationis, quae etiam a LXX et *Syro* effertur ac etiam ab aliquibus codd. praebetur (cf. *de Rossi*). Aptior sane est haec lectio ac facilior quam *mas.* בָּ' *in* principio, quam *Chald.* sequitur; nam quid sibi vult hoc loco : *prius* Iudam salvabit, dein Ierusalem? Est enim una eademque theocratia, quae oppugnatur et salvatur. Neque si Iudam *populum* intellexeris et domum David *principes* theocratiae qui eius gubernacula tenent a Messia ut altero Davide in consortium regiminis quasi assumpti, apparet, quo sensu dici possit *prius* servatum iri et ad victoriam perductum populum, dein duces ac principes.

Atque quo maior cernatur gloria Dei et theocratia nova illustrior appareat, Deus praeter victoriam de hostibus populum suum insigni virtute et excellentia antea inaudita donabit; v. 8 « *in die illa proteget Dominus habitatores Ierusalem, et erit qui offenderit ex eis in die illa, quasi David, et domus David quasi Dei, sicut angelus Domini in conspectu eorum* »; — i.e. debilis vel infirmus [1] erit quasi David; fiet, a Domino roboratus, heros uti David qui ursum et leonem superavit et Goliath prostravit; et domus David, ii scil. quos Messias, alter David, in laborum suorum ac regiminis sui consortium tamquam socios et adiutores accersit (cf. Ps. 44, 8 prae consortibus tuis) et qui eo titulo ad eius domum ac familiam peculiari ratione accensentur, isti erunt *ut Elohim* (hebr.), i. e. uti explicationis gratia adiungitur (*Sanct. Lap.*), *ut angelus Domini ante eos* (hebr.) i. e. ille angelus qui Dei nomine castra Israelitarum ex Aegypto egredientium et per desertum migrantium praecedebat, et saepius insignem protectionem populo Dei exhibuit, cum v. g. una nocte in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia percuteret (Is. 36,36). Hisce comparationibus egregie effertur, in quantum nova theocratia gratiarum abundantia et favoribus divinis excedat veterem illam, in quantum scil. umbra et figura superetur a veritate et impletione. Is enim qui in infimo gradu novae theocratiae constitutus est, erit virtute et fortitudine sicut David; ii vero qui proxime Deo adhaerent et ab ipso quasi in suam familiam atque intimam admittuntur familiaritatem, iam ipsi Deo et angelo Domini comparantur; adeo enim excellunt, ut in V. T. nihil adsit, quod cum ipsis aliqua ratione conferri possit. Ita clare describitur excel-

1. Ita vocem נִכְשָׁל vertit *S. Hier.* 1 Reg. 2, 4 « infirmi accincti sunt roboro »; proprie eum dicit qui pede offendit et in eo est, ut labatur; cf. Prov. 4, 12. Is. 63, 13 *impingere*; item Ier. 31, 9.

lentia novi foederis, quam Christus ipse effert qui postquam Ioannem praecursorem dixerat maximum omnium, continuo subiecit minimum in regno coelorum esse illo maiorem, ratione scil. habita *dignitatis theocraticae*, qua in novo foedere filii sumus et heredes, dum vetus illud omnes tamquam parvulos sub tutoribus et actoribus et paedagogis continuit (Gal. 4, 2). Haec autem dignitas theocratica maior maiorem etiam ac pleniorem sibi vindicat gratiarum fontem, virtutis excellentiam, divinorum mysteriorum cognitionem. Cum sacer vates de oppugnatione agit, illud praecipue comparatione Davidis, Dei, angeli Dei indicare velle censendus est, quod ad vincendas persecutiones necessarium est : animi robur ac pectus magnanimum, cui accedat auxilium Dei potentissimum, uti in angelo Dei cernebatur. Hic locus certe insignis est ad N. T. excellentiam commendandam et simul consolatione plenus. Utinam vita quoque omnium tam sublimi dignitati congrueret!

Hanc excellentiam N. T. hoc loco indicari innuit *S. Cyr.* Vaticinium istud etiam eo modo impleri docet *Arias Montanus*, quia infiniti sancti N. T. poterunt conferri cum maximis sanctis V. T. qualis fuit David. Hoc igitur loco meo quidem iudicio apertissime patet, vatem non de tempore praeparationis (de tempore suo vel Machabaeorum), verum de nova theocratia messianica verba facere. Quo enim pacto Machabaeorum facinora, utut praeclare gesta erant, tanto intervallo superarunt res Davidicas? quomodo duces Machabaeorum tam sublimes erant ac divini, et talem populo praestiterunt ducatum, talem protectionem, salutem talem, ut iam nihil inveniretur in annalibus populi Dei, tot miraculis plenis, cui possent conferri, sed ut ad ipsum Dei angelum esset ascendendum? Haec sane maiora sunt quae h. l. dicuntur et nisi ad indolem spiritualem et gratiae abundantiam et virtutum eminentiam transferantur, constare nullo modo possunt. *Theod.* quidem de tempore Machabaeorum ita explicat : « tantam ex victoria gloriam collegerunt Iudas et Ionathan, ut accolae et vicini ac finitimi avidissime hos sibi socios adiunxerint » ; *Lap.* vero rem ideo esse confectam putat, quia duces Machabaeorum angelorum ope et ductu dimicarunt et vicerunt. Sed tum Ezechias rex quoque iure dici potuit heros sicut angelus Dei, quia pro ipso angelus Dei Assyrios prostravit; at non puto talem comparationem hoc sensu ab ullo interprete iri approbatum.

c) Gratiam large effundit 12, 9-14.

Uti v. 4, ita v. 9. 10 Deus declarat, quid hostibus, quid suis sit exhibiturus. Hoc parallelismo iam innuitur, ea quae a v. 4 et deinceps tractata sunt, denuo assumi et sub alia quadam ratione proponi. Ad hoc

etiam confert, quod altera haec pars eadem formula *in die illa* vestitur. Sicut enim in antecedentibus imagine bellica Ecclesiae victoria est declarata eiusque excelsior dignitas comparatione cum David instituta est annuntiata, ita in subsequentibus exponitur, quibus auxiliis ad victoriam illam et dignitatem tuendam Ecclesia sit perventura; fortitudinem scil. ac virtutem Ecclesiae unice reponi in Dei gratia et hauriri augerique ex devota Christi passionis contemplatione. Ita pars antecedens pulcherrime absolvitur et indoles spiritualis novae theocratiae egregie effertur.

Primo promissio in priore parte v. 4 data repetitur modo generali v. 9 « *Et erit, in die illa quaeram conterere omnes gentes, quae veniunt contra Ierusalem* »; — i. e. « ne semel tantum aut iterum id facturus putaretur, dicit *quaeram conterere*, id est, semper mihi curae erit conterere omnes hostes Ecclesiae, ut nullo modo in eam praevaleant; omni tempore haec praestabo » (*Rib.*). At quid suis sit largiturus, eodem modo exponit, quo v. 4 dixerat se oculos aperturum super domum Iuda. Quod supra belli analogia est explicatum, nunc supernis subsidiis spiritualibus effectum iri docetur; hostes scil. conterentur et ipsa Ecclesia interne victoriis et triumphis decorabitur, quia spiritus Dei large effunditur isque spiritus ad orationem et Christi passionis devotionem potenter excitat; unde v. 10 « *et effundam super domum David et super habitatores Ierusalem spiritum gratiae et precum, et aspicient ad me quem confixerunt et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti* »; — « verbum effusionis sensum largitatis ostendit » (*S. Hier.*); *domus David et habitatores Ierusalem* i. e. theocratia secundum ordinem hierarchicum vel regiminis et secundum ordinem civium (laicorum, populi) designatur (vide v. 7. 8). Ut igitur id fiat quod Deus pollicetur (*Rib.*), copiose conceditur *spiritus gratiae*, quo gratum sibi habeat et efficiat populum illique liberaliter largiatur, quae usui futura sunt et gloriae (*Sanct.*), ille scil. spiritus, qui eos per gratiam infusam gratificet Deo ipsique et angelis faciat gratiosos et amabiles (*Lap.*); gratia haec iis infusa praeclarum continet titulum, quo ius habent ad auxilia peculiaria et ad opem divinam, ita ut ea gratia muniti egregie iam instructi sint ad praeclara certamina subeunda.

Huic intime conseritur spiritus *precum*, « quia quos Spiritus s. repleverit, eos statim ad adorandum accendit » (*Haimo*). « Spiritus autem precum ille est, qui pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus, qui nos facit postulare. Magnum sane donum est et velle Deum grato sibi populo concedere quae illi ad salutem expediant, et eidem eam mentem et spiritum dare, ut semper petat, ut gnarus infirmitatis suae ad Deum

confugiat » (*Sanct.*). Haec igitur arma sunt, quibus et moderatores Ecclesiae qui in consortium regiminis et partem potestatis a Messia sunt assumpti assumptique domum ac familiam Davidis alterius constituunt, de hostibus triumphant et subditi, qui cives sunt Ierusalem (cf. Gal. 4, 26. Hebr. 12, 22) in suo quisque ordine tamquam heroes consistunt et victoriam reportant (v. 8). Gratia Dei ornati et adiuti nunquam sibi suisque viribus confidunt, sed ad Dei opem confugiunt et per supplices preces obtinent ab eo duci et recte cuncta perficere (*Rib.*). Orationis igitur studium quam maxime in Ecclesia florebit. In oratione eius robur, certitudo triumphi, hostium conversio vel prostratio reponitur; oratione conteret hostes « non in perditionem, sed in emendationem, ut adversum Ierusalem militare desistant et esse incipiant de Ierusalem » (*S. Hier.*). Iuvat h. l. advertere, quam continuo in Ecclesia *spiritus precum* vigeat : cogita tot sacerdotes, tot ordines religiosorum per singulos dies in orbe universo preces statutas persolventes et opem divinam continuo efflagitantes, ita ut nullum diei noctisque momentum sit quo non ex aliqua orbis parte preces liturgicae ad thronum gratiae ascendant, quibus adde plurimas tot piorum supplicationes.

Iste autem spiritus et impulsus a Deo copiose effusus ad id praecipue tendit, ut piis oculis *aspiciant ad me quem confixerunt*; quis iste sit, ex serie oraculorum dubium esse nequit. Iam enim apud Isaiam Messias describitur vulneratus, attritus, sublatus, abscissus propter iniquitates nostras et propter scelera nostra et percussus propter pacem nostram, cuius livore sanati sumus (Is. 53, 3-12; cf. 49, 7-9; 50, 6. 7) et apud Zachariam Messiam pastorem male habitum et despectum a suis didicimus (11, 12. 13) et infra 13, 7 eundem pastorem framea impetitum atque percussum legimus. Unde qui h. l. se confixum dicit, alius esse non potest nisi ipse Messias. Cur autem ipsi theocratiae cives eum configere dicantur, ratio est manifesta, quia ipse grex pastorem male tractat (11, 12. 13) et quia propter hominum scelera mortem subit et quia ab hominibus humano iudicio morti adiudicatur, uti apud Isaiam innuitur (53, 8. 9. 12). — Ad eum *aspicient*; verbum הִבִּיט cum אֶל iunctum dicit aspicere cum spe, fiducia, admiratione, reverentia, aspicere cum attentione, cura, amore, uti patet Num. 21, 9. 1 Sam. 16, 7. 2 Reg. 3, 14. Ps. 34, 6; Ps. 119, 6. Is. 8, 22; 22, 11; 51, 2. 6; 66, 2 etc. Unde ex usu verbi aspectus indicatur reverentia, fiducia, admiratione plenus; cf. Num. 21, 9 : « fecit Moyses serpentem aeneum et posuit eum pro signo; quem cum percussi aspicerent, sanabantur ».

Quanto autem doloris et devotionis affectu hanc Messiae vulnerum contemplationem peracturi sint spiritu gratiae et precum imbuti atque impulsi, comparatione effertur duplici doloris ac gemituum parentum de

morte *unici* filii, doloris ac lamentationis de obitu *primogeniti*. Quae vis ut percipiatur, perpende quantopere apud Hebraeos nominis ac familiae conservatio ac propagatio valuerit, quanta in ea credita sit divina benedictio, quanta in eius exstinctione maledictio (cf. Gen. 30, 23. Deut. 7, 14; 25, 6. 1 Reg. 1, 6. Ps. 112, 9; 126, 3. Prov. 17, 6. Is. 47, 9 etc.). Unde bene notat *S. Cyr.*: «profusissimis lacrimis parentes primogeniti et dilecti mortem semper prosequuntur nec plangendi et lamentandi invenire modum sustinent, estque dolor longinquus plane et quasi perennis acriter et intolerabiliter vellicando animos macerans». In primogenito enim, ut ait *Alb.*, quia praeclarior natio est et floret in eo vigor patris et matris, maior dolor esse solet; est insuper plerumque columen familiae (*Rib.*). Atque solet luctus magnus in Scriptura assimilari luctui unigeniti; cf. Ier. 6, 26. Am. 8, 10.

Quod autem Messias ea de se dicit, quae Iahve dicere solet: *quaeram conterere, effundam spiritum gratiae,* ne tempore quidem Zachariae mirum videri poterat iis, qui recordarentur, iam ab Isaia Messiam vocatum fuisse iis nominibus, quae divinam eius naturam designarent (Is. 9, 6; praesertim *Deus fortis*), in psalmis eandem divinam naturam et appellationem praedicari (Ps. 44, 7; 2, 7; 109, 3), a Michaea divinam et aeternam eius originem indicari (Mich. 5, 2). Hos locos praesens vaticinium praeclare illustrat, quia Iahve se dicit confixum, ergo divina Messiae natura clare asseritur. Cum vero nihilominus Messias a Iahve iterum distinguatur, tamquam missus a mittente (cf. Is. 61, 1. Ps. 44, 8. Zach. infra 13, 7 etc.), plures esse in una Dei natura personas pro indole V. T. iam satis distincte docetur. Nam quod aliqui interpretes volunt, Dominum se dicere confixum, non quia ipse sit confixus aut configendus, sed quia propheta Dei et legatus a populo morti tradatur, admitti commode nequit. Aliud est enim dicere: qui vos spernit, me spernit, et dicere: qui vos occidit, me occidit; prius verum est et recte dicitur; alterum non ita. Iniuria quae legato fit, morali aestimatione tamquam contumelia *eius honori* illata transit in mittentem; sed verbera, vulnera, mors non *ut talia,* non ut iniuria *realis,* sed priori solum modo tamquam honorem mittentis laedentia in mittentem referuntur; quare locutio prior recte usurpatur, altera usurpari nequit, nisi asserere velis *transfigere, occidere* solum honoris laesionem vel talem designare persecutionem, quam utique Christus in membris affirmavit suis se perpeti (cf. Act. 9, 5). Inde quoque patet, nostrum locum etiam insignius divinam Messiae naturam probare, quam 11, 13 *appretiatus sum.*

Neque admitti potest, quod aliqui volunt (cf. *Ros. Ges.* Thes. p. 348; *Fürst*

L.), verbum דקר significare *maledicere, conviciari*. Nam 1° aliis omnibus locis solum significat neque aliud significare potest nisi *transfodere, confodere* hasta, gladio ; ita Num. 25, 8 perfodit ambos simul ; Iud. 9, 54 evagina gladium tuum... et *percussit* eum et mortuus est ; eodem modo de gladii percussione 1 Sam. 31, 4 et 1 Chron. 10, 4 ; Is. 13, 5 membrum parallelum ad *cadere in gladio* exhibet ; Ier. 37, 10 adhibetur de vulneratis ; 51, 4 eodem modo ; Thren. 4, 9 de occisis ; ergo non licet aliam statuere significationem pro hoc Zachariae loco ; adde 2° quod ex ipsa comparatione luctus de morte unigeniti et primogeniti et ex planctu funebri instituto apertissime patet, de *morte* esse sermonem ; ille enim qui conviciis lacessitur, non tamquam mortuus plangitur ; demum 3° hanc significationem praeter *S. Hier.* rite secuti sunt *Aq. Sym. Theod.* ἐξεκέντησαν (cf. *M.* 16, 3008 [1] ; cod. syr. hexapl. p. 244. 563) et *Syrus* ; legunt praeterea ἐξεκέντησαν *transfixerunt Theod. Theod. M.* et *S. Cyr.* quoque explicite asserit, hebraicam editionem non cum LXX consentire verum efferre ἐξεκέντησαν. Atque hanc vocem etiam praebet evangelium Ioan. 19, 37 et Apoc. 1, 7.

LXX praebent ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο pro eo quod insultarunt (*S. Hier.*), quam versionem iam *S. Hier.* ex similium literarum permutatione explicat : « si enim legitur *dacaru* ἐξεκέντησαν id est *compunxerunt* sive *confixerunt* accipitur, sin autem contrario ordine literis commutatis *racadu* ὠρχήσαντο id est *saltaverunt* intelligitur, et ob similitudinem literarum error est natus ». In uno cod. hebr. (Kenn. 355) haec lectio רקדו servata est. Mutatio erat facilis et error scribendi obvius ; nam « hebraicae literae *daleth* et *res* similes sunt et parvo tantum apice distinguuntur » (*S. Hier.*) ; atque eam similitudinem non tantum adesse in scriptura quam vocant *quadrata*, sed etiam in antiquiore, literarum specimina ostendunt, quae v. g. proponuntur in *Schenkel*, Bibell. V p. 241 et *de W. Schrader*, Einl. post p. 620, *Cornely*, Introd. I post p. 742. Eandem lectionem forte etiam *Chald.* secutus est ; habet enim : rogabunt a me, eo quod translati fuerunt.

Certissime quoque retinenda est lectio אֵלַי *ad me* ; hanc enim commendant et legunt et veteres versiones LXX, *Syrus, S. Hier. Chald.* et eam ipse sensus requirit ; nam ut bene *Hitz.* observat : quis demum censendus est iste confossus, nisi ipse Iahve ? de alio enim aliquo ne vestigium quidem adest in toto contextu. Verum quidem est, codices hebr. sat multos nunc [2] praebent אליו *ad eum* (cf. *de Rossi* ad h. l. variae lectiones V. T. 3 p. 217 et supplementum p. 94). Sed priorem lectionem habent « non modo plerique et meliores codices, sed et vete-

---

1. Et aperte testatur *S. Hier.* ad Zach. 13, 3, *Aq. Sym. Theod.* et 12, 10 et 13, 3 vertisse *confixerunt*.

2. Ita etiam vertit R. Isaak : propter eum quem confixerunt, et R. Kimchi : quia (בעבור) confixerunt. Ceterum is fatetur rabbinos locum hunc explicasse de Messia filio Ioseph qui in bello sit occidendus. Ipse vero talem explicationem miratur, quae scil. neglecto contextu et nulla Messiae mentione facta inferatur. Abarbanel vero de Messia interpretatur eumque esse transfixum illum fatetur. Cf. Kimchi, Commentary on Zecharjah, p. 181. — De Iudaeorum explicatione vide *Galatinum* (de arcanis cath. verit. lib. 3 cp. 2 ; 8, 17. Basileae 1550 p. 192. 591) ; ex recentioribus *Hengstenberg* (Christologie II, 1), *Reinke* (Mess. Weissag. IV, 2 p. 212 seq.) et vide quae ad 9, 9 notata sunt.

res omnes interpretes; ita LXX non in vaticano solum, sed et in reliquis omnibus codicibus; ita syriaca versio hexaplaris, ita *Theodotio* habet et ipse πρὸς μέ teste scholio codicis barberini et eadem versione syro-hexaplari; ita *Chald. Vulg. Syrus, Arabs* » (*de Rossi* 3 p. 219; cf. *M.* 16, 3008). Cum igitur tot testimoniis lectio constet *ad me* (etiam *Aq.* et *Sym.* ita legisse non spernendis indiciis colligit *de Rossi* l. c.), non laudandus est hoc in loco optimus ceteroquin vir *Reinke*, qui [1] eam mutari vult in אֵלָיו et vertere : aspicient versus eum quem transfixerunt. Sed quamvis forma ea in statu constr. quater in libro Iob inveniatur (Iob 3, 22; 5, 26; 15, 26; 15, 22; 29, 19), nullibi tamen talis iunctio invenitur אֵלָיו אֵת אֲשֶׁר scil. ut אֵת nota accus. cum praepos. copuletur. Sensit id incommodi *Reinke*; unde ad aliud effugium se recipit, את scil. h. l. vim habere vult pronominis demonstrativi αὐτός, *hic*; at id in lingua hebr. est inauditum et si in rabbinismo et syriasmo ita adhibetur, sane non continuo sequitur eandem vim ac potestatem in sermone hebr. ei competere. Ergo inutile et arbitrarium est, pro lectione plana, ab omnibus veteribus rite eodem modo explicata, lectionem et versionem nobis obtrudi duplici soloecismo et altero quidem vix non inaudito oneratam. Immerito quoque *Reinke* in subsidium suae lectionis provocat ad Ioan. 19, 37 ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν. Est enim notissimum, Apostolos *raro* ad literam locum afferre sed *sensu* esse contentos, nisi ipse sensus idem omnino verbum postularet, id quod hoc loco in ἐξεκέντησαν obtinet, minime vero in priore membro; adde quod in contextum evangelii aptius congruit dicere : *videbunt in quem transfixerunt*, quam *aspicient ad me*; nam illud omnis qui legit statim intelligit, in hoc autem quotusquisque non haereret mirans ac dubitans, quis ille sit qui subito in evangelio dicat *ad me*?

Atque quantopere patientis Messiae contemplatio ac devotio animos sit occupatura, altera comparatione effertur, qua insignis totius nationis dolor ac fletus ob oculos ponitur; v. 11 « *in die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon* »; — i. e. sicut planctus qui instituebatur ob rem luctuosissimam, quae olim accidit in Adadremmon in campo Mageddon; ibi scil. Iosias rex pius qui labantem rerum conditionem sua pietate diu fulserat, vulnus accepit letale, quo mox vitam exhalavit. Eum autem « universus Iuda et Ierusalem luxerunt, Ieremias maxime, cuius omnes cantores atque cantatrices usque in praesentem diem lamentationes super Iosiam replicant et quasi lex obtinuit in Israel » (2 Par. 35, 24. 25). Luctus igitur erat universalis, totius populi, luctus perenni memoria institutus et celebratus. Talis erit dolorum Messiae recordatio. Id impletum cernimus in Ecclesia, in cuius liturgia perennis exstat mortis Christi commemoratio.

---

1. Duces in ea re secutus est *Calusium, I. D. Michaelis, Bleek* (cf. *de Rossi, Pressel*).

Alludi ad Iosiae mortem et planctum de eo factum communis est fere omnium interpretum sententia. Quod pauci alii afferunt, nihil habet probabilitatis. *Chald.* duplicem hic cernit exprimi planctum : sicut planctus Achab filii Amri quem occidit Hadadremmon filius Tabremmon (cf. 3 Reg. 15, 18) in Ramoth Galaad, et sicut planctus Iosiae. *Pressel* mentionem fieri vult planctus matris Sisarae ducis (Iud. 5, 28) ; at non est certum, num Sisara ea in regione ceciderit vel planctus fuerit, neque iste planctus tam notus erat vel tanti momenti censebatur, ut ad eiusmodi comparationem posset adhiberi. Idem dicendum est de opinione ab *Hitz.* prius proposita, alludi ad planctum de Ochozia rege qui in Mageddo mortuus est (4 Reg. 9, 27). At multo magis repudianda est sententia postmodum ab eodem proposita, quae tamen complures habet laudatores (*Merx, Reuss, Wellhausen* etc.), alludi ad ritus lugubres, quibus Hadadremmon apud Syros simili modo celebratus fuerit, sicut Adonis (cf. Ez. 8, 14) ; esse scil. Hadadremmon deum solem, qui terrae fertilitati praesit. Utique Thammuz (Adonis) variis ritibus etiam obscoenis celebrabatur et in eius cultu mortem illam et novae vitae reditum exprimi censent, cuius vicissitudines in rerum natura per hiemem, ver et aestatem et in solis luce et calore imminuto et aucto cernebantur. At iuremerito contra id excipit *Wolf Baudissin* (Real-Encyklopaedie für prot. Theol. 2 ed. V p. 493), esse improbabile, a propheta poenitentiam Israel conferri cum cultu idololatrico ; immo dici debet talem comparationem cum cultu obscoeno esse prorsus intolerabilem ; quis enim feret a propheta rem sanctissimam, dolorem de Christi morte, conferri cum ritibus libidine plenis quos mulieres in abominando cultu obibant ?

Neque ipsum nomen Hadadremmon ei opinioni favet. Est quidem *Hadad* idolum syriacum deum coeli et solis repraesentans et, uti rerum assyriologicarum periti asserunt, ex monumentorum testimonio idem cum Rammânu vel Râmânu deo tempestatum ac tonitruum ; nomen ex utraque appellatione compositum autem indicare aiunt, Hadad deum eo loco considerari praesertim tamquam deum tempestatum ac tonitruum (cf. *Schrader*, Keilinschr. und A. T. 2 ed. p. 454). Sed sub hac ratione idolum abest ab indole Adonidis vel Thammuz. Est igitur Hadadremmon nomen idoli. Verum hoc minime obstat, quominus idem nomen alicui oppido vel urbi inditum sit ; id quod iam ex nominibus illis elucet quibus et Baal et variae urbes vocabantur ; v. g. Baal Gad, Baal Hamon, Baal Chazor, Baal Thamar etc. (*cf. Movers,* Phoeniz. I p. 175). Et *S. Hier.* quidem tradit, Hadadremmon urbem esse iuxta Iezrahelem, quae hoc olim vocabulo nuncupata sit et iam Maximianopolis in campo Mageddon vocetur, in quo Iosias vulneratus sit. Res est omnino probabilis, cum etiam recentiores terrae palaestinensis exploratores in campo Iezrahel invenirent vicum *Rummane* vel *Rummaneh* nomine, qui vicus eo loco situs esse videtur, quo Iosias vulneratus erat (cf. *R. Riess*, bibl. Geogr. p. 27 ; *Guérin,* Descript. géogr. . . de la Palestine ; seconde partie, Samarie, II p. 228 ; *Wolf Baudissin* l. c.). Quod igitur libri historici in Mageddon factum enarrant (4 Reg. 33, 29), id prope Mageddon in vico Hadadremmon accidisse ex Zacharia accuratius discimus. Megiddo vel Mageddo eandem urbem esse censent quae veteribus *Legio,* recentioribus *Ledschun* audit ; ita multi qui-

dem ; verum de ea re dubitat *R. Riess* l. c. p. 62, qui potius vicum hodiernum *Medscheidel* cum Mageddo esse componendum arbitratur.

Quod LXX h. l. de planctu malogranati, quod in campo succiditur, habent, facile explicatur ex lectione רִמּוֹן, de qua arbore cf. Num. 20, 5. Deut. 8, 8 etc. ; et ipsi masorethae ex hac etymologia vocem eam sibi ignotam legisse et punctis adnotasse videntur. Melius LXX legunt 4 Reg. 5, 18 Ῥεμμάν (3 Reg. 15, 18 Ταβρεμμών), quae lectio proxime ad nomen assyriacum accedit. Nam de malo punica (rimmon) hic nulla mentio ingeritur. *Syrus* interpretationem de Iosiae morte ipsi textui inserit vertens : eo die multus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus filii Amon in valle Mageddon.

Insigni amplificatione planctum hunc universalem, perennem, totam theocratiam pervadentem et animos omnium intimo affectu commoventem sacer vates describit et vivo modo omnium oculis mentibusque proponit ; v. 12 « *et planget terra, familiae et familiae seorsum : familiae domus David seorsum et mulieres eorum seorsum ; familiae domus Nathan seorsum et mulieres eorum seorsum ;* v. 13 *familiae domus Levi seorsum et mulieres eorum seorsum ; familiae Semei seorsum et mulieres eorum seorsum ;* v. 14 *omnes familiae reliquae, familiae et familiae seorsum et mulieres eorum seorsum* » ; — peculiari mentione domus *David* et domus *Levi* efferuntur, et utrique, tribui regiae et sacerdotali, alia familia ex eadem stirpe subiungitur ; *Nathan* filius est David, a quo Zorobabel descendit (Luc. 3, 27. 31) ; de Gerson filio Levi orta est familia semeitica (Num. 3, 21). Cum familiae regiae et sacerdotalis planctus speciatim commemoretur, per se innuitur, quod aequissimum est atque in Ecclesia ipsa liturgia perficitur, ordines illos quibus Ecclesiae regimen et munus incumbit sacerdotale, singulari ratione passionem Christi continuo celebrare.

Et si audimus mulieres quoque pia illa repleri tristitia, quis non cogitet mulieres in Christi morte lugentes et de eius sepultura sollicitas atque tot virgines sacras, quae per saeculorum decursum in varia vitae conditione sed praecipue in monasteriis adunatae vitam degunt meditationi et amori Sponsi patientis sacratam et devotam ? — Rationem aliam, cur illae tribus nominentur, affert *S. Hier.* : « in David regia tribus accipitur ; in Nathan prophetalis ordo accipitur ; Levi refertur ad sacerdotes ; in Semei doctores accipiuntur, ex hac enim tribu magistrorum agmina pullularunt. Reliquas tribus tacuit, quae non habent aliquod privilegium dignitatis ». Quam rationem multi adoptarunt (cf. *Alb. Lap. Men.*). Sed doctores ad Semei referri, a Iudaeis est excogitatum ; et cum Semei ad Levi tribum adnumeretur, omnino suaderi videtur, ut etiam in membro antecedenti Nathan intelligatur stirps ad tribum et domum *David* pertinens. *Sanct.* vero probabilius censet, eas afferri familias quae praecipue etiam Iosiae regi parentaverint et subaudiendam esse similitudinis notam.

Oraculum hoc de transfixo et planctu instituto varie accipitur. Et *S. Ephr.* quidem *historice* intelligendum esse ait de Iuda Machabaeo a gentibus interempto, quem omnes familiae amare fleverint; idem *Barh.* et similiter de tempore Machabaeorum loquitur *Theod. M.* quamvis Iudam Machabaeum non nominet et *transfixum* explicet de Domini voluntate antea ab iis spreta. Quod *S. Ephr.* vult, ut historice de Iuda Machabaeo, typice vel spiritualiter de Christo vaticinium explicetur, id etiam non displicuit *Calm.* et fere amplexus est *Sanct.* nisi quod *transfixum* propter Ioan. 19, 37 de uno Christo interpretatur, sed *plangent eum* denuo ad tempora Machabaeorum refert, de quibus hactenus instituta sit narratio. Cur hanc de Machabaeis explanationem reiiciendam esse existimem, iam supra exposui ad initium cp. 12. Ad eas rationes accedit, quod effusio spiritus Dei ad tempora pertineat messianica (cf. Ioel 2, 28. Ez. 36, 27).

Planctum h. l. praedictum alii esse volunt de excidio urbis Ierusalem; ita *S. Cyr. Eusebius* (demonst. evang. 8; *M.* 22, 637. 644) aliique. Sed bene iam contra eam opinionem monuit *Sanct.* Iudaeos in extremo illo civitatis excidio non aspexisse Christum neque propter eius mortem inflictum sibi malum putasse; verbo: ibi non planxerunt Christum, neque luctus qui a vate describitur dignitate plenus, censeri potest esse impletus et repraesentatus in summa illa desperatione, insania, amentia. Quamvis apte dici possit cum *S. Cyr.* aliisque, domum David planxisse ob regnum deletum, Levi ob sacerdotium ablatum etc. et ita unamquamque tribum peculiarem habuisse plangendi causam modumque singularem carmenque lugubre aliud a viris, a mulieribus aliud recitari solitum esse, id unum tamen non sufficit, ut locum hunc de eo tempore interpretemur. Neque illis assentiendum esse puto, qui luctum ultimo iudicio futurum h. l. describi opinantur et Christi aspectum tunc fore censent, quando fiet illud: « tunc parebit signum filii hominis in coelo, et tunc plangent omnes tribus terrae et videbunt filium hominis venientem in nubibus coeli » (Matth. 24, 30. Luc. 21, 27). Nam tunc non Christum plangent, sed se ipsos; neque omnes plangent, verum ii solum, qui damnationis iudicium exspectare debent (*Sanct.*). Dein minime negligi potest, aspectum Christi *spe plenum* et planctum hoc nostro loco efferri tamquam intime iunctum et effectum effusione spiritus gratiae et precum. Quare de poena et luctu Iudaeorum infidelium (*Rib.*) oraculum accipi nequit et ex eadem causa ultimi iudicii terrores et damnatorum planctus excluduntur. De ultimo iudicio explicant *Theod. Haimo, Rup. Rib. Sa, Estius* et ad eam sententiam semel etiam propendere videtur *S. Hier.* cum dicat: « tunc dolebunt a se crucifixum, cum viderint in claritate regnantem », nisi haec obiter dicta de Iudaeis sint intelligenda, qui conversi ad Christum eum fide in claritate regnantem videant: quae explicatio ceteris a *S. Hier.* dictis melius congruit.

Alii temporis designationem in medio relinquunt dicentes vel nunc vel in fine temporum oraculum impleri (*Alb. Gord.*). At vera explicatio ea esse videtur, qua dicimus impletionem incepisse iam sub ipsa cruce, cum multi redirent pectora sua percutientes et dicentes: vere filius Dei erat iste (Matth. 27, 54. Luc. 23, 48. *S. Cyr.*), et in pio sanctarum mulierum planctu, eamque per saeculorum decursum fieri per omnes quos spiritus gratiae et precum ad tam sanctum pietatis exer-

citium animaverit (cf. *Lap. Men. Tir. Calm Trochon*). Neque huic acceptioni generali obstat Apoc. 1, 7: « ecce venit cum nubibus et videbit eum omnis oculus et qui eum pupugerunt et plangent se super eum omnes tribus terrae ». Cum enim apud Zachariam amoris aspectus ille et luctus *ex effusione spiritus gratiae et precum* oriatur et uti cp. 13 docetur effectus habeat quam maxime salutares, in Apocalypsi autem illis verbis proponatur Christum esse iudicem venturum terribilem et Iudaeis infidelibus et gentibus incredulis, verba ea in Apoc. non sunt dicta eodem sensu, quo apud Zachariam occurrunt; licet igitur sint verba *materialiter* fere eadem, non sunt eadem *formaliter*; vel aliis verbis non exhibent explicationem sensus, sed eorundem applicationem et translationem ad rem similem et alium aspectum.

Ad quam rem nota, Apostolos si ex s. Scriptura argumentum proferre vel verba s. Scripturae explicare volunt, explicite s. Scripturam nominare. Tale discrimen v. g. advertis Ioan. 19, 37; ibi conceptis verbis dicitur: « et iterum alia Scriptura dicit »; Apoc. 1, 7 nihil tale habes; vel sedulo confer Rom. 10, 11-21; ex quibus locis S. Paulus *arguere* vult, hos formula affert: *dicit Scriptura, scriptum est, Isaias dicit, Moyses dicit*: unum solum locum sine tali formula profert: « numquid non audierunt? et quidem in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum ». Ratio est obvia; nam Ps. 18, ex quo verba *materialiter* deprompta sunt, non agitur de Apostolis neque sensu literali (uti patet) neque sensu typico, cum sol et stellae et coeli non sint typi. Eodem modo verba Zachariae per accommodationem usurpata sunt Apoc. 1, 7 et cum Scripturae non fiat mentio, Scriptura quoque non explicatur. Sed quod verba a contextu avulsa ad alia quoque, immo ad contraria designanda usurpari possunt et usurpantur, veram loci alicuius ex contextu explanationem minime poterit in dubium vocare. Saepius quoque eam quam hermeneutae accommodationem dicunt, in s. literis a sacris scriptoribus adhiberi, vide *Ubaldi* (Introd. in s. Scr. III p. 114 seq.), *Cornely* (Introd. in s. Script. I p. 546) aliosque.

Ceterum de historia explanationis huius vaticinii apud Iudaeos et Christianos fuse agit *Reinke*, die mess. Weissag. IV. 2 p. 211-231.

d) Auferentur peccata 13, 1-6.

Eodem tempore, quo mors Messiae pio luctu recolitur, Deus omnibus aperit fontem ad omnem immunditiem eluendam; v. 1 « *In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatae* »; — hebr. *ad peccatum et immunditiem*; allusio fit ad ritus lustrales, quibus immunditiae leviticae abluebantur; cf. Num. 8, 7 et Num. 19, 9 *aqua aspersionis* commemoratur, cuius usu maculae immunditiae legalis abluuntur; sed etiam vera peccati ablatio et mundities animi eadem metaphora declaratur; cf. Ps. 50, 9: « asperges me hyssopo et mundabor; lavabis me et super nivem dealbabor ». De tali aqua mundante

et eluente peccatorum sordes iam vaticinatus est Ezechiel : « et effundam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris » (36, 25; cf. 47, 1. Ioel 3, 18). Immundities נִדָּה illa praecipue dicebatur mulierum in menstruis, quae maxima censebatur et omnia inficiens, quaecumque ab iis attingebantur (Lev. 15, 20 seq.). Uti supra 12, 10 promissio dabatur de effusione spiritus gratiae et precum i. e. de animis *interno* afflatu gratiae imbuendis, ita h. l. innuitur apertum iri in Ecclesia sacrum quoddam lavacrum et remedia perenniter oblata, quibus peccata omnia et vel maximae sordes (cf. Is. 64, 6) eluantur. Notatu dignum est, talem aquam salutarem intimo nexu coniunctam proponi cum Messia confixo. Utique ex Christi sanguine sacramenta baptismi et poenitentiae vim suam habent salutarem, atque in eius sanguine spes veniae reposita est. Verba oraculi adeo sunt generalia, ut in impletione ad baptisma (*S. Hier. Cyr.*) restringi nequeant, sed potius lavacrum indicent continuo paratum et ad omnia peccata quoties opus fuerit eluenda factum et apertum. Quare alteram post naufragium tabulam, baptisma laboriosum i. e. poenitentiae sacramentum necessario simul comprehendunt et totum illud, quod in Ecclesia Christi adest, ad delenda peccata, apto symbolo fontis aperti, aquae nunquam deficientis omnibusque oblatae, exprimunt.

Cum igitur talia adsint uberrima gratiae subsidia et interna et externa, in nova hac theocratia status vigebit sanctitatis et virtutis, et ea sunt illa arma, quibus hostes theocratiae debellabuntur atque in iis reposita est et declarata illa *oculorum Dei apertio*, qua Iuda ab hostium insidiis eripietur (cf. 12, 4). Ita haec pars quemadmodum arcte cohaeret cum effusione spiritus gratiae et precum, non minus arcte simul cum illa effusione refertur ad victoriam spiritualem quae de hostibus theocratiae reportanda erit (cf. 12, 4. 9. 10). Tali igitur modo imago bellica antea 12, 5-8 nobis proposita ad victoriam spiritualem declarandam transfertur.

Eam autem novae theocratiae sanctitatem vates ita describit, ut duo illa damna et vitia capitalia quibus vetus theocratia corrupta et demum eversa fuit, a nova longissime abesse demonstret, idololatriam scil. et pseudoprophetiam. Haec duo enim veteri theocratiae ruinam attulisse, libri historici et prophetici abunde testantur. Causis igitur ruinae amotis novam theocratiam perennem fore semperque Dei favore illustrem atque gratiosam simul innuitur. Sic patet nexus v. 2 « *et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum de terra et non memorabuntur ultra, et pseudoprophetas et spiritum immundum auferam de terra* » ; — hebr. *prophetas*, sed intelligi pseudoprophetas elucet ex coniunctione cum idololatria, cum spiritu immundo et ex sequentibus v. 3-6. Alluditur in priore parte ad oraculum Os. 2, 17. Novae theocratiae revera munus incumbit, ut per universum orbem idola

disperdat et oblivione obrui faciat gentium scil. conversione procurata et effecta, quod officium *apostolicum* a vetere aberat. Spiritus immundus, « qui loquebatur in pseudoprophetis » (*S. Hier.*), is intelligi potest, de quo 3 Reg. 22, 19-23 sermo est, spiritus scil. mendax et malus, cui a Domino permissum sit decipere eos qui daemonum inspirationi libenter aures praebent. Magiam enim et divinationem et auguria et quaecumque demum ad idololatriam et pseudoprophetiam pertinebant, saepe non sine daemonum ope atque auxilio fuisse peracta, s. literae testantur (cf. Act. 16, 18). Etiam hoc nostro loco id innuitur quod postmodum explicite docuit S. Paulus, in idololatria et annexis ritibus daemonis cultum exerceri (cf. 1 Cor. 10, 20. 21). Censet *Sanct.* uti supra allusum sit ad Iosiam (12, 11), ita etiam in fonte aperto et idololatria et mantia excisa alludi ad praeclare gesta a Iosia (cf. 4 Reg. 23, 5 seq. 2 Par. 34, 4 seq.), ut eius exemplo et quasi typo tempus adumbretur messianicum.

Quamvis tempore Zachariae Iudaei idololatriae non essent dediti, nihilominus propheta prorsus apte ea qua fecit ratione novae theocratiae statum describere potuit. Nam discrimen effert inter novam et veterem theocratiam; vetus periit ex idololatria, ergo conveniens erat efferre, novam ab eo periculo et ruina fore longissime remotam. Neque omittendum est, etiam pro Iudaeis ex exsilio reducibus non omne idololatriae periculum abfuisse; elucet id ex pseudoprophetis qui tempore Nehemiae non deerant (Neh. 6, 14), elucet ex historia Machabaeorum, quo tempore haud pauci ad gentilium ritus sese abiecerunt; unde verba illa de idololatria nullo modo arguunt tempus ante exsilium, sed tempore Zachariae quoque apte proferuntur. Adde praedici simul idololatriam universam in orbe terrarum ablatum iri et facile perspicies, quam bene usurpare potuerit Zacharias vetustum oraculum iam ab Osee datum ad novam theocratiam adumbrandam. Unde frustra aliqui haec verba in medium afferunt, ut probent oraculum hoc ante Zachariam editum fuisse.

In vetere theocratia prophetae saepe conqueruntur de studio et favore, quo populus pseudoprophetas sit prosecutus (cf. Is. 9, 15. Ier. 5, 31; 14, 13; 23, 16; 27, 9. Mich. 2, 11 hebr.); aliter res se habet in nova: v. 3 « *et erit, cum prophetaverit quispiam ultra, dicent ei pater eius et mater eius, qui genuerunt eum : non vives, quia mendacium locutus es in nomine Domini. Et configent eum pater eius et mater eius, genitores eius, cum prophetaverit* »; — quod in lege praeceptum est, contra pseudoprophetam ipsi parentes exsequentur; cf. Deut. 13, 6; 18, 20. Bene advertit *S. Hier.* : « si quis ultra tentare voluerit et quidpiam ex persona Domini prophetare, statim pater eius et mater obliviscentur parentum, ut Dei retineant servitutem, et proferent contra filium mortis sententiam et tam piae erunt omnium in Deum mentes, ut non exspecte-

tur publicum iudicium, sed pereant qui tales sunt sententia propinquorum ». Tanto igitur odio abhorrebunt a pseudoprophetia, ut satis sit parentibus ad quodvis supplicium in filios proprios decernendum, quod falsa in nomine Domini locuti sint (*S. Cyr.*), quod se a Domino missos et inspiratos et iubente eo loqui finxerint; « habet autem emphasin post *pater eius et mater eius* dicere *genitores eius*, ac si dicat : quantumvis eum genuerint, quantumvis eum ut parentes ament » (*Rib.*). Et si ipsi parentes adeo in reos animadvertunt, quanto zelo alii quoque honorem Dei laesum vindicare censendi sunt? Etiam h. l. verbum דקר mortem dicit violentam confixione illatam; nam *non vives... et configent eum.*

Immo tanta erit rerum mutatio, ut ipsi quoque pseudoprophetae de peccato suo admisso pudore afficiantur, illud confiteantur, et ab incepto desistant v. 4 « *et erit, in die illa confundentur prophetae unusquisque ex visione sua cum prophetaverit, nec operientur pallio saccino ut mentiantur,* v. 5 *sed dicet : non sum propheta, homo agricola ego sum, quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea* »; — pallium saccinum erat vestimenti genus asperum, quo prophetae usi esse videntur; nihil enim molle in vero propheta cernebatur, verum vita aspera, labore plena et communicationi cum Deo dedita, et verbis et suo exemplo aliis praedicabant (cf. 4 Reg. 1, 8. Matth. 3, 4). Unde impostores ipso vestitu se mentientes prophetas populum decipere studebant. Verum effusione spiritus facta id continget, quod difficillimum est, ut scil. eiusmodi impostores larvam abiiciant et palam verum fateantur. Hebr. *quia homo me possedit* (me emit) *ab adolescentia mea* i. e. tantum abest, ut sim propheta, ut tamquam servus agrum colere debeam a iuventute mea. Textum lat. explicare poteris : Adam quem Deus colendae terrae alligavit ministerio, sequor et sudore vultus panem meum acquirere debeo. Haec dicere videtur « poenitens, quod in cogitationes adeo insipientes devenerit, ut perfricta fronte contra Deum falsa proloqueretur, et peccatum suum confitens et veniam poscens » (*S. Cyr.*); sim. *Alb. Reinke*; alii volunt pseudoprophetas rogatos mentiri, dum negent se unquam munus illud sibi arrogasse, et e contra affirment se agros colere et servos esse; timore scil. poenae et mortis eos adigi, ut veritatem celent neque videri velint, quod olim magno cum fastu appetierint; ita, ut videtur, *S. Hier. Rib. Sanct. Keil, Trochon*; vel saltem timore eos impelli, ut muneri falso assumpto renuntient (*Lap. Men. Tir.*). At nihil est in ipsis verbis, cur ii simulationis et mendacii arguantur, neque cernitur, cur non sincere, sed tecte loquantur. Cum igitur verba de sincera conversione accipi possint et certe talis conversio addat ad splendorem temporis messianici et ad efficacem virtutem spiritus gratiae demonstrandam haud parum conferat, prior explicatio retinenda videtur.

Hanc explanationem etiam quae sequuntur commendant : v. 6 « *et dicetur ei : quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? et dicet : his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me* » ; — interrogatus scil. de incisionibus et cicatricibus quae in manibus eis ac lacertis apparent, candide suam fatetur culpam, se illis olim in idolorum cultu fuisse incisum, cum ageret vatem eorum ac cultorem. Hebr. *in domo amasiorum meorum* i. e. idolorum quae ego vesano amore colui ; verbum enim h. l. usurpatum מְאַהֵב *nunquam* de vero et casto amore adhibetur, sed de impuro amore et fornicatione corporali et spirituali ; eo nomine idola appellantur, quibus populus adhaesit (cf. Ier. 22, 20. 22. Ez. 16, 33. 36) ; unde apud Os. 2, 7 : « vadam post amatores meos, qui dant mihi panes et aquas » (cf. v. 15), eodemque nomine etiam populi vocantur, quibuscum foedera inierunt Iudaei antitheocratica (cf. Thren. 1, 19. Ez. 16, 37 ; 23, 5. 9. 22), quia foedus inire et auxilium implorare gentium iam est recedere a Domino et gentium deos adire. Tales vero incisiones in idolorum cultu factas fuisse et vesanos cultores sibi ipsis intulisse, praesertim si furore mantico corriperentur, et sacri auctores et profani scriptores satis superque testantur (cf. 3 Reg. 18, 28. Ier. 16, 6 ; 48, 37. *Movers*, Phoeniz. I, 682 ; *Reinke* l. c. p. 252). Cum igitur talis sit usus constans verbi *amatorum* et eiusmodi in manibus et lacertis incisiones fieri solerent in cultu idolorum, explicatio proposita et verbis et rebus apte correspondet. Plerique tamen interpretum domum intelligunt *parentum* vel propinquorum, a quibus pseudopropheta, ut ab auguriis desisteret, plagis et vulneribus affectus fuerit, vel generatim a quibus puer varias expertus sit castigationes.

Ita *S. Hier.* : « haec vulnera et has accepi plagas parentum meorum iudicio condemnatus et eorum qui me non oderant, sed amabant. Et intantum fugato mendacio veritas obtinebit, ut etiam ipse qui suo punitus est vitio, recte perpessum se esse fateatur » ; sim. *S. Cyr. Theod. Theod. M. Haimo, Alb. Sanct. Mar. Vat. Clarius, Schegg, Trochon.* At si per parentes propter pseudoprophetiam punitus esset, non solum verbera et incisiones, verum ex v. 3 poenam mortis exspectaremus. Inde igitur aliud huius sententiae incommodum oritur.

Etiam hic aliqui (cf. *Keil*) censent, hominem illum turpiter mentiri ; volunt enim eum revera in idolorum cultu et in pseudoprophetia sibi illa intulisse vulnera ; at cum ea de re interrogatus esset, eum affirmare, illa castigationibus parentum sibi esse inflicta. Sed ad quid tales ambages? Verba de se plana ex usu communi domum dicunt idolorum ; ergo culpam fatetur.

Alii sunt, qui ea verba de Christo in manibus transfixo esse accipienda statuant (cf. *S. Ephr. Rup. Rib. Lap. Sa, Men. Tir. Gord.*). Ratio po-

tissima, quae a *Rib.* affertur, est « quoniam Ecclesia romana in Missa quinque plagarum proponit nobis haec verba Zachariae et omnino ad plagas Christi videtur referre ». Sed, ut bene iam respondit *Sanct.*, in usu liturgico permulta sensu solum *accommodato* proferuntur. Illi ipsi debent verbis vim inferre; explicant enim *qui diligebant me* : qui debuerant me diligere, qui plurimis titulis mihi devincti erant, a quibus ideo amorem exspectare iure merito potui (et sim.). Sed tales non esse *diligentes*, et Christum non a diligentibus, sed a nobis cum essemus *inimici* (ut S Paulus ait, Rom. 5, 10), esse plagis transfixum, probatione non indiget. Adde veram vocis hebr significationem et usum constantem, quinam sint *amatores*, et potius mecum miraberis, talia verba, quae pium aliqiud solum sonare possunt contextum ignoranti, sensu accommodato pro mysterio divini amoris esse usurpata. Praeterea nota quam arcte haec verba cum antecedentibus sint coniuncta ipsa externa loquendi forma, et quantopere solo iam dicendi genere a subsequentibus sint separata et aliena.

e) Cum pastore grex percutitur 13, 7-9.

In antecedentibus (cp. 12) sacer vates theocratiam novam etiam ab hostibus impugnatum iri praedixit simulque exposuit, quibus subsidiis victoria sit reportanda et qua ratione impetus hostilis vera pietate sit superandus (12, 10 et seq.). Nunc autem intimam nobis pandere videtur rationem, *cur* nova quoque theocratia a persecutionibus et tribulationibus non immunis sit futura. Huius scil. theocratiae rex et pastor summus in se expertus est altissimo consilio divino impetus hostiles, dolores, mortem; unde ii quoque qui ipsi nomem dederunt per multas tribulationes pastoris sui imaginem in se exprimant oportet Is est enim arctus ille nexus, quem ipsa verba prophetica statuunt inter pastorem percussum et gregem dispersum (v. 7) varieque afflictum et probatum (v 9).

Pastoris percussionem non sine arcano divinae voluntatis et ordinationis mysterio fieri, verba produnt quibus Deus loquens inducitur v. 7 « *Framea suscitare super pastorem meum et super virum cohaerentem mihi, dicit Dominus exercituum; percute pastorem et dispergentur oves et convertam manum meam ad parvulos* » : — in hac gladii allocutione firmum depingitur ac determinatum Dei decretum, quod exsecutioni mandari vult; simul res magna designatur et stupenda, quae divina egeat exhortatione, imperio divino, ut gladius quasi *audeat* munere suo fungi. *Gladius* ex usu loquendi non de uno percussionis et mortis genere quod fit per *gladium*, adhibetur, verum generatim de vulneratione et morte (cf. *S. Hier. Rib.*). Pastor quem *suum* Dominus dicit, ille est, cui dictum

est *pasce* 11, 4 seq., ille, cuius personam gerere et in se repraesentare propheta iussus erat, ille scil. pastor, qui teste S. Paulo populum iam per desertum duxit eique cibum et potum praebuit coelitus suppeditatum (1 Cor. 10, 4. 9), et qui accedens ad populum suum inique ab eo est habitus et repudiatus (supra 11, 12. 13). Appellatur a Deo *vir socius meus* (hebr.) vel uti hebr. bene expressit *Aq.* ἐπ' ἄνδρα σύμφυλόν μου *super virum contribulem meum* (*S. Hier.*), vel proximum meum; est enim vox pentateuchica עָמִית adhibita[1], quae pastorem hunc intima societate et aequalitate iunctum ostendit cum Domino, adeo ut sicut *homo* alium eiusdem stirpis et familiae et gentis *hominem* vocat עָמִית, ita Dominus hunc pastorem suum nominet socium et aequalem. Altior igitur et divina pastoris natura indicatur et cur dici potuerit *aspicient ad me quem confixerunt* (12, 10), ulterius declaratur. Pastor igitur ex Patris voluntate (*S. Hier.*) gladio i. e. morte est percutiendus. Tali enim imperio *percute pastorem*, id exprimitur, ut *S. Cyr.* adnotat, quod Christus dixit : « non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper »; exprimitur calix ille quem Pater dederit filio (*Rup. Alb.* sim. *Theod.*); exprimitur, pastorem in mortem tradi definito consilio et praescientia Dei (Act. 2, 23. *Lap.*).

Sed uti fit pastore percusso grex dispergitur, oves timidae perturbantur, diffugiunt, praecipites quaquaversus ruunt, praeda fiunt obvia luporum et latronum. *Oves* ille certe grex est totus, cuius curam pastor suscepisse 11, 12 scribitur. Huic gregi sortem imminere dispersionis praedicitur. Hanc autem dispersionem et afflictionem Dei benignitate et gratia temperandam esse et piis et humilibus opem divinam adfore et misericordiam, verba reliqua testantur *convertam manum*... quae vox media quidem est in sensum bonum vel malum i. e. in favorem vel castigationem versatilis, et h. l. bono ac promissorio sensu adhiberi suadetur eo, quia *parvulorum* horum sors ex reliquorum sorte eximitur; sed cum maioris partis sors sit excidium et interitus, reliquiis istis salus et gratia annuntiatur. Ita iam licet concludere ex norma toties proposita : reliquiae salvabuntur (Is. 10, 21. Ier. 23, 3; 31, 7. Mich. 2, 12; 5, 3. Soph. 2, 9; 3, 13 etc.). Idem ex v. 8. 9 elucet, in quibus tertia gregis pars relinquenda et salvanda dicitur, neque minus ex analogia cum 11, 11 *et cognoverunt pauperes gregis* concludi debet atque ex loco simillimo colligi potest Is. 1, 25 : « et convertam manum meam ad te et excoquam ad purum scoriam tuam », quae verba Zachariae omnino obversata esse videntur. Accedit quod cum in *dispersione* iam contineatur

1. Cf. Lev. 5, 21; 18, 20; 19, 11. 15. 17; 24, 19; 25, 14. 15. 17; quibus in locis a *S. Hier. proximus, frater, civis, contribulis* vertitur.

afflictio et miseria, nulla ratio reddi possit, cur *parvuli* etiam speciali modo sint castigandi, complures vero causae sponte sua et ex ordine providentiae offerantur, cur *parvulis* i. e. humilibus vel reliquiis paucis misericordia impendatur. Igitur Deus convertit manum, ut dispersos colligat, exsangues confirmet et a fuga et pavore receptos amplexetur ac foveat (*Sanct.* sim. *S. Hier. Alb. Rib. Sa, Mar. Reinke, Trochon*; sensu vero contrario castigationis *Tir. Schegg*; uter sit praeferendus, in medio relinquunt *Lap. Men.*).

Toti igitur gregi praedicitur *afflictio, dispersio*. Haec autem singulis cedere potest vel in salutem vel in ruinam; cedet in salutem parti minori. Ita ex verbis ipsis. Unde patet, quomodo eadem verba a Christo in monte olivarum sint usurpata (Matth. 26, 31. Marc. 14, 27. Ioan. 16, 32). Apostoli enim ad gregem illum quem Pastor bonus pavit, pertinent, quare ex pastoris sorte ipsi quoque affligentur, fuga dilabentur et tamquam oves timidae et pavidae perturbabuntur. Verum ea re vaticinium non esse absolutum, iam ex eo patet, quia norma generalis statuitur et *dispersio* gregis v. 8. 9 magis explicatur eamque partim fore in ruinam partim in salutem praedicitur.

Pastorem esse ipsum Messiam, fere omnes interpretes rite perspexerunt; neque id ex cp. 11 et 12, 10 et ex ipsis Christi verbis (Matth. 26, 31 et al.) dubium esse potest. Ex veteribus unus *S. Ephr.* censuit secundum *sensum exteriorem* verba ea posse convenire Oniae sacerdoti, et solus *Theod. M.* nulla Christi mentione facta explicat de malis principibus: « commovetor, inquit, o gladie, tum contra illos qui tam male principatu utuntur, tum etiam contra omnes qui genti iure societatis addicti favere illorum improbitati curarunt ». Legit *Theod. M.*: « framea, consurge adversus pastorem et adversus virum civem eius »; sim. etiam *Chald.*: « gladie, denudare super regem et dominatorem socium eius »; quae lectio omissa appellatione *pastoris mei* explicationi eius ianuam aperuit. *Syrus* in utroque nomine pronomen *meum* effert; lectio graeca variat: ad pastorem additur μου, sed in altero membro alii legunt etiam μου (cod. vatic.), alii αὐτοῦ (*Cyr. Theod.* cod. alex.). In explicatione vestigia a *Theod. M.* trita aliqui recentiores relegerunt: *Ewald* regem intelligi vult Phacee (Pekach), *Hitz.* Manassen, *Iahn* Iudam Machabaeum, *Pressel* reges Davidicos post Ezechiam. — Etiam in ultima versus parte lectio varia est: *S. Cyr.* praebet *convertam manum meam ad pastores* (idem cod. alex.); *Syrus* ad *superiores*; cod. vatic. ad *parvos*; *Theod. Theod. M.* ad *parvos pastores*; hac utique lectione *convertere manum* de poenarum inflictione intelligitur.

Iam dispersio gregis clarius describitur v. 8 « *et erunt in omni terra, dicit Dominus, partes duae in ea dispergentur et deficient et tertia pars relinquetur in ea* »; — dispersionis effectus is erit, ut duae partes ex-

scindantur (hebr.) ac pereant (exspirent) et solum tertia pars relinquatur; reliquiae igitur salvabuntur. Id certe proprie intelligi debet de illo grege, de quo cp. 11 sermo est institutus; ergo de Iudaeorum populo qui percusso pastore malis ingentibus affligetur et ruinae atque interitui tradetur, ita ut minor populi pars salva evadat. Quare illud *in omni terra* de sola ac tota Iudaeorum regione videtur explicandum cum *S. Cyr. Ephr. Theod. Sanct. Aria, Vat. Mar. Tir. Schegg* et non immediate ac proxime de terra Iudaeorum et gentilium vel de universo orbe (*S. Hier. Alb. Rib. Lap. Men. Gord.*). Quamvis per analogiam facile ad omnes traducatur; nam simul cum regni messianici fundatione iudicium quoddam exercetur, quo illud in opus deducitur « multi vocati, pauci electi »; habet enim Messias ventilabrum in manu sua et venit, ut gladium mittat et separet, cum sit positus in ruinam et resurrectionem (cf. Erklaerung des Proph. Is. p. 711). Hac consideratione adhibita *tertia pars* per quandam ampliationem et similitudinem dici potest de universa Ecclesia ex omnibus gentibus collecta (cf. *S. Hier. Alb. Rib. Men. Calm.*); illam non *mathematice* intelligi per se planum est; locutio est similis ei apud Is. 6, 13. Ez. 5, 2. 12. Matth. 24, 40. 41.

Tertia haec pars ex interitu et iudicio erepta ipsa quoque ad Pastoris similitudinem per multas tribulationes et probationes intrare debebit in regnum coelorum; et ita optime redditur ratio, cur socii regni messianici variis exerceantur probationibus, Regis enim sui similitudinem in se exprimere debent; v. 9 « *et ducam tertiam partem per ignem et uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen meum et ego exaudiam eum; dicam : populus meus es; et ipse dicet : Dominus Deus meus* »; — cf. Ps. 65, 10. 11. Ignis tribulationis veros ostendet et exhibebit Messiae sectatores; eo probationis genere maior atque illustrior virtus eorum, fortitudo animi, sincera pietas atque generosus in Deum amor elucebit, ita ut in domo Dei tamquam aurum et argentum fulgeant in vario meritorum gradu constituti. In tali probatione omnes supplices ad Deum tendent manus eius opem invocantes et in eius auxilium singulari fiducia sperantes : *nomen* Dei invocabunt, Deum quasi admonebunt nominis sui *Iahve*, ut se exhibeat Deum praesentem, iuvantem, foedus ac promissa in opus deducentem (cf. Os. 12, 5. Ioel 2, 32. Hab. 3, 18). Deus autem promptam praestabit opem; cf. Is. 65, 24 : « eritque antequam clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus ego audiam ». Ita fiet, ut populus Dei divina ope praeventus sanctitate et summa securitate emineat, ut foedus divinum summa consistat integritate, salute, beatitate. Id enim mutua illa inter Deum et populum appellatione et intimae amicitiae significatione et quasi consalutatione pulcherrime exprimitur; cf. 10, 6. Ez. 36, 26. Os. 2, 24.

Adnotat *S. Hier.* : « Iudaei haec ad Christum referunt et in ultimo tempore futura contendunt; sed hoc inter nos et illos est, quod nos expleta iam dicimus, illi explenda commemorant ». *Barh.* probationem eam ad tempora Machabaeorum refert scribens : « excoquam eos i. e. per manum Antiochi » (cf. 1 Mach. 2, 19 seq.).

Impletionem quod spectat, haud immerito v. 8 ad tempus obsidionis per Romanos factae referunt (cf. *S. Hier. Cyr. Sanct. Calm. Reinke*) et ad cladem illam ingentem quae Iudaeis est illata; « et quidem *Iosephus* (de bello 7, 17) scribit in obsidione undecies centena millia periisse, fuisse vero capta nonaginta septem millia; tertia vero pars et vitam retinuit et libertatem, nempe Christianorum » (*Sanct.*). Tertiam partem alii intelligunt *Iudaeos* ei calamitati superstites, ita ut v. 9 tribulationes et persecutiones ac vexationes designentur, quibus illi et tum temporis et subsequentibus saeculis obnoxii ac subiecti fuerint et post quas demum aliquando convertendi et ad Dominum reducendi sint (cf. *Vat. Mar. Reinke*). Alii autem fideles vel electos ex Iudaeis tertia parte designari censent (cf. *Theod. Sanct.*). Atque haec sententia omnino est praeferenda. Nam tertia haec pars correspondet iis qui 11, 11 *pauperes gregis* et modo *parvuli* dicebantur; proinde non de *infidelibus* Iudaeis superstitibus, sed de parte gregis fideli dicitur. Praeterea non est abs re quod notat *Sanct.*, Iudaeos illos infideles et Titi tempore et nunc ita ustos esse fornace persecutionum et uri, ut tamen non purgarentur, ita excoctos esse et excoqui, ut tamen non excoqueretur scoria neque animos mutarent et mores, unde nomen Dei invocare et populus Dei dici merito possent. — Neque ea explicatio generaliori acceptioni de *omnium* Christi fidelium sorte in v. 9 delineata obstat. Nam sors describitur gregis illius partis quae Pastori adhaeret et propter similitudinem cum illo persecutiones obire debebit. Iam huic gregi omnes aggregantur, qui Christo nomen dederint; est enim docente S. Paulo theocratia *oliva*, Iudaei infideles rami sunt ii qui exscinduntur, gentes vero fideles in excisorum loco inseruntur participes factae et sociae radicis et pinguedinis olivae (Rom. 11, 17 seq.) et « si autem vos Christi, ergo *semen Abrahae* estis, *secundum promissionem heredes* » (Gal. 3, 29; cf. 4, 26. 27).

f) Deus suos e tribulationibus eripiet 14, 1-7

Etiam gregi fidelium durae vexationes modo praedictae sunt et afflictiones valde graves. Quid enim vehementius et acrius fingi potest, quam uri sicuti metalla igne liquantur et purgantur (13, 9)? Iam eius vexationis exemplum vel potius symbolum generale proponitur in urbis Ierusalem expugnatione et direptione. Et primo quidem versu summatim prius tota perstringitur calamitas, altero per partes enumeratur, qualis quantoque gradu inferenda sit (cf. *Rib.*); v. 1 « *Ecce, venient dies Domini et dividentur spolia tua in medio tui* »; — dies dicuntur venire

Domino (hebr.) vel quia ipse est egregiae illius probationis auctor (cf. 13, 9 : *ducam, uram, probabo*) vel quia tali tempore quam maxime suam coram omnibus gloriose patefacit maiestatem et potentiam. Spolia dividi in media urbe urbem dicit expugnatam et victores hostes magna in ea versari securitate (cf. *S. Hier. Rib.*).

Quomodo ad id perventum sit, declaratur v. 2 « *et congregabo omnes gentes ad Ierusalem in proelium, et capietur civitas et vastabuntur domus et mulieres violabuntur et egredietur media pars civitatis in captivitatem et reliquum populi non auferetur ex urbe* » ; — de notione Ierusalem vide ad 12, 2. Uti ibi Ierusalem superliminare crapulae et lapis oneris vocatur omnibus populis, ita h. l. conatus exhibentur quibus hostes levare student hunc lapidem ; per aliquod tempus civitas sancta et sedes theocratiae hostium impetui patet et vastationi est subiecta atque multi incolarum et civium (media pars) in servitutem abripiuntur aliaque quae in urbis expugnatione hostili evenire solent quasi impune patrantur. Et talia a Domino immitti perhibentur. Ille enim *congregat* hostes, ille scil. qui etiam dixit : *framea, suscitare super pastorem*, urit et probat gregem (cf. 12, 2. 3 *ponam*). Permittit igitur inimicos iniuriis et vastationibus et spoliationibus et carcere et morte grassari in suos. Hi enim sunt ignes illi ad excoquendum, ignes ad metalla purganda, ad animas sanctas sublimi ac coelesti virtutum splendore exornandas.

Verum, uti 12, 4 Deus suorum causam egregie tuetur et hostes insigni clade prosternit, ita etiam h. l. valentissimum praebet praesidium ; v. 3 « *et egredietur Dominus et proeliabitur contra gentes illas, sicut proeliatus est in die certaminis* » ; — « egredi dicitur Deus, cum se aliquo opere manifestat » (*Sanct.*) ; cf. Mich. 1, 3. Comparatio dicit Deum ita pugnare contra hostes, sicut solet, sicut iam saepe in Israelitarum bonum sese pugnantem et hostes dissipantem exhibuit (cf. Ios. 10, 14. 42 ; 23, 3. 10. Iud. 4, 15 ; 5, 8. 1 Reg. 7, 10. 2 Par. 20, 17 ; 32, 21). Plerique cum *S. Hier.* illum diem certaminis explicant, « quando Pharaonem in mari submersit rubro et pro israelitico populo dimicavit » (*S. Hier. Rib. Sanct. Lap. Reinke*) ; ita *Chald.* quoque ; potest etiam inde commendari, quia prophetae saepius liberationem messianicam ex priore illa illustrant (cf. Is. 11, 11. Ier. 16, 14 ; 23, 8. Zach. 10, 11?). Atque, uti in pugna contra Aegyptios Deus populo suo iter aperuit per maris aestus, ita prodigio utetur haud absimili, si opus fuerit, animumque ostendet ad auxiliandum paratissimum et remedia subministrabit efficacissima. Haec symbolice proponuntur v. 4 « *et stabunt pedes eius in die illa super montem olivarum qui est contra Ierusalem ad orientem, et scindetur mons olivarum ex media parte sui ad orientem et ad occi-*

dentem praerupto grandi valde, et separabitur medium montis ad aquilonem et medium eius ad meridiem »; — i. e. mons olivarum in medio diffinditur ita, ut grandis exsistat vallis ab oriente ad occidentem et montis partes scissae recedant ad partem septemtrionalem et ad meridiem. Si Deus montes tangit, fumigant, si descendit, liquefiunt (cf. Mich. 1, 3), si eos calcat, scinduntur; terrae motus ac concussionis saepius fit mentio in oppugnatione et strage Dei hostibus inferenda; cf. Is. 29, 6. Ier. 4, 24. Ez. 38, 19. 20. Ioel 2, 10; 3, 16; similia in aliis Dei manifestationibus symbola maiestatis et potentiae proponuntur (Ps. 45, 7; 67, 9; 81, 5; 97, 7; 98, 1 etc.

Hac autem valle aperta aperit suis salutis opportunitatem et absconsionem ab hostibus qui urbem devastant eosque quasi sub tegmine alarum suarum in summa rerum trepidatione protegit. Ita sensus esse videtur v. 5 « *et fugietis ad vallem montium eorum, quoniam coniungetur vallis montium usque ad proximum; et fugietis, sicut fugistis a facie terrae motus in diebus Oziae regis Iuda* »; — quod in *vulg.* legitur *montium eorum* « manifestum mendum est et legendum omnino *montium meorum*, ut constat ex hebr. et LXX ceterisque et veteribus et novis interpretibus et ex translatione quae est apud *Hier.* atque ex eiusdem commentariis »; ita *Rib.* ceteroquin acerrimus *vulg.* defensor atque vindex. Vallis montium Domini est vallis scissione montis olivarum exorta; hebr. *nam pertinget vallis montium ad Azal*[1] i. e. haec vallis noviter orta protendetur usque Azal vel Azel, qui vicus idem esse videtur cum Beth-haezel Mich. 1, 11; secundum *S. Cyr.* vicus est in extremo recessu montis situs. Terrae motus tempore Oziae solus Amos (1, 1) mentionem facit. Comparatione summa trepidatio, terror, maxima quaedam festinatio et inde magna persecutionis vis et impetus illustratur.

Locutio *sicut fugistis* non necessario scriptorem arguit qui ad eius rei aequales loquitur; verum eodem modo adhibetur sicut apud prophetas saepe de universo populi israelitici tempore sermo fit ac si iidem ad quos admonitio dirigitur in omni epocha vixissent; est scil. totus populus quasi una *persona moralis*, quae in Aegypto servivit, educta est, legem accepit, Palaestinam occupavit et multiplici apostasia Dominum offendit; ita Ieremias nomine Dei ad aequales suos loquitur: « recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam et caritatem desponsationis tuae, quando secuta es me in deserto... induxi vos in terram Carmeli... et ingressi contaminastis terram... et misi ad vos omnes servos meos pro-

---

1. Adnotat *S. Hier.*: « pro proximo LXX *Asael* transtulerunt, *Aq.* ipsum verbum hebr posuit *asel* (אָצֵל) per *e* brevem literam (ἀζέλ), *Theod.* per extensam (ἀζήλ), solus *Sym.* *proximum* interpretatus est, *quem et nos secuti sumus* ».

phetas » Ier. 2, 2 seq. 7, 25 ; ita multoties Ez. 16, 4 seq. 23, 4 seq. Os. 2, 5 seq. Am. 2, 10 : « ego sum qui ascendere *vos* feci de terra Aegypti et duxi *vos* in deserto per quadraginta annos » etc.

Textus *vulg.* satis est obscurus. Explicant : quia vallis i. e. vorago illa facta in monte oliveti iam diviso (quae proinde iam non est vallis unius montis sed duorum, nimirum montium iam divisorum) pertinget ad montem sibi proximum (*Lap.*). Alii *vallem montium meorum* de valle explicant interiecta inter Sion et Moria (cf. *S. Hier. Rib. Men. Sanct.*) : « cum hiatus ille grandis ex olivarum monte ad locum civitati proximum producendus sit, recipient sese cives ad eam urbis partem, quae a praerupto illo atque ab hoste imminenti putabatur tuta ; haec vero est inter duos montes Dei, Sionem videlicet et Moriam » (*Sanct.*). At non est probabile, fieri montis divisionem ad terrorem civibus incutiendum, neque cernitur, quomodo capta urbe sese recipiant in vallem montis Sion et Moria, quippe quae in ipsa urbe sita minime tuta esse possit ab hostibus. Cum fiat fuga, res aliter cogitari nequit, quam ut Deus evadendi opportunitatem montis olivarum divisione suis aperiat et offerat. Sinit igitur hostes per aliquod tempus in urbe sancta grassari, suis tamen receptaculum praebet locumque securum ; at mox manifestam maiestatem suam facit et suis et hostibus.

Salus enim praeclara et triumphus indicatur eo quod Dominus cum sanctis suis venire dicitur : « *et veniet Dominus Deus meus omnesque sancti cum eo* » ; — uti olim ad foedus cum populo pangendum descendit ad montem Sinai « et cum eo sanctorum millia » (Deut. 33, 2), ita suis adest ad foedus suum vindicandum, defendendum, corroborandum ; adsunt cum eo angelorum cohortes, quippe qui sint « administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis » (Hebr. 1, 14) ; ita venturus in maiestate cum angelis suis exspectatur in fine saeculorum ad suos salvandos et inimicos ruina aeterna prosternendos (cf. Dan. 7, 9. 10. Matth. 25, 31. Marc. 8, 38 ; 13, 27. Luc. 9, 26 ; 12, 8). Ad rem observat *Lap.* : « cum bellum fidelium est difficile et victoria illustris, tunc dicitur Deus descendere cum omnibus sanctis suis, puta angelis, quia omnes ei adstant ut pro eo decertent ».

Tempus probationis et persecutionis tempus est afflictionis et tristitiae, tempus etiam periculis plenum pro ipsis piis ; quam temporis conditionem vates symbolis declarat : v. 6 « *et erit, in die illa non erit lux, sed frigus et gelu* » ; — lux enim symbolum est laetitiae, festivitatis, felicitatis ; ea absente tenebris, pavore omnia obvolvuntur ; frigore et gelu vita eiusque actiones impediuntur, enecantur. Sed si illud tempus iam piis est formidandum, eo maiore iure tempus iudicii divini et vindictae inimicis erit pertimescendum. Quare verba haec potiore etiam

modo hostes tangunt, quibus cum Dominus descendat cum angelis suis ad auxilium suis praestandum, tenebrae et horrores ingruent, quibus omnis vitae lux et amoenitas aufertur et mortis rigor ac torpor imminet (cf. 12, 4). Tempus igitur describitur calamitosum utrisque piis ac impiis, diverso utique exitu. Pro populo enim Dei mediis in calamitatibus lux ac salus orietur, uti iam adventu Domini indicatur.

Textum hebr. nunc multi vertunt : *splendores condensabuntur vel oblenebrescent* i. e. sidera quoque lucem non dabunt, uti fere de magno iudicii die praedicitur, quo Deus hostes conteret ; cf. Is. 13, 10. Ier. 4, 28. Ez. 32, 7. 8. Ioel 2, 31 ; 3, 15. Matth. 24, 29. Ea translatio sequitur *kethib*. Sed satis est inusitatum astra dici *claritates, res pretiosas* ; neque locutio Iob 31, 26 obvia יָקָר הוֹלֵךְ *incedens clare* (de luna) satis probat sidera appellari res pretiosas. Neque veteres eam norunt interpretationem ; sed fere uti *S. Hier.* verterunt ; ita LXX καὶ ψύχη καὶ πάγος ; *Sym.* ἀλλὰ ψύχος καὶ πάγος ; unde legerunt וקרות pro 'י et sicut habet *qeri* וקפאון ; etiam *Syrus* et *Chald.* hanc exprimunt lectionem ; quare ea erit retinenda. Insuper meliorem praebet sensum ; nam sidera obscurari iam in membro priore eo ipso indicatur, quia lucemnon fore asseritur ; in veterum autem versione additur ad lucis absentiam novum incommodum idque satis grave et durum. Neque forma pluralis וקרות *et frigora* negotium facessit. Nomina enim eiusmodi in plurali saepius efferuntur (cf. *Ewald*, Lehrb. §. 179). Unde iuremerito complures recentiones veterum versionem retinent ; cf. *Hitz. Schegg.*

Suo demum tempore mediis in afflictionibus liberatio et felicitatis abundantia a Domino concedetur : v. 7 « *et erit dies una quae nota est Domino, non dies neque nox ; et in tempore vesperi erit lux* » ; — Deus solus scit i. e. Deus pro beneplacito suo auxilium fert, quando ipse vult ; ad abdita eius providentiae consilia pertinet, utrum tempori probationis mox sit finis imponendus, an tardius ; interea ipsum probationis tempus ita est conformatum, ut sit quasi medium quoddam inter diem ac noctem ; non est plenus dies, cum ingruit calamitas ; non est nox, quia certa affulget spes et Dei gratia et benignitas tot promissis devincta piis semper affert consolationem [1]. Sed *vespere*, quando ita ingruit rabies persecutionis, ut lux omnis exstingui et densa nox iam proxima esse videatur, subito *lux* i. e. felicitas, salus, gloriosa liberatio atque victoriae triumphus a Domino concedetur. Erit contrarium eius quod minatus est Dominus apud Amos : « occidet sol in meridie et tenebrescere faciam terram in die luminis » (Am. 8, 9). Ita Ierusalem sentiet *onus* ex oppugnatione ; est enim *lapis oneris* (12, 3) qui levatur ; et donec levantes concisione lacerentur, ipsa urbs angustiis et tribulationibus quasi crepusculo quodam obvolvetur. Conditio igitur ac status Eccle-

1. Bene *S. Ephr.* : « non erit per omnia tribulatio neque per omnia consolatio ».

siae militantis hisce describitur : in mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum En tempus obscurum, sed luce divina temperatum, et ex tribulatione efflorescit salus: *tempore vesperi lux*, quia grex cum suo pastore per multas tribulationes intret oportet in regnum coelorum. Haec *lux* tempore vespertino est idem ac « super domum Iuda aperiam oculos meos » eo scil. tempore, quo etiam contra Iuda impetus fit in obsidione Ierusalem (12, 1. 4).

Ita rebus omnibus consideratis visum est locum hunc obscurum ac difficilem posse explicari. Merito aggreditur *Sanct*. huius capitis enarrationem hisce verbis: « totum hoc caput et varium est et explicatu difficillimum, neque enim constat, de quo tempore aut de quibus rebus loquatur propheta. Atque etiam si de tempore materiaque constaret, genus ipsum dicendi implexum et obscurum eos implicat nexus, quos si quis explicare contendat, rem sane arduam tentabit potius quam assequetur ». Adesse videtur parallelismus cum cp. 12, in utroque loco oppressio urbis et liberatio exhibetur; in utroque post oppressionem tempus subsequitur summae benedictionis; in utroque hostes mirandum in modum a Domino stupore et ruina percutiuntur. Talis iam parallelismus similem pro utraque parte explicationem iure suo exposcere videtur. Accedit, quod cp 14 vaticinio subnectitur: « *uram eos sicut uritur argentum, probabo eos sicut probatur aurum* » Sed quis non videt, angustias propositas 14, 1-7 ei probationi per ignem et ustionem faciendae ad amussim congruere posse? Modo dictum est 13, 7 percusso pastore gregem esse affligendum. Cum igitur *talis* afflictio statim revera 14, 1-7 subdatur, cur a scopo et mente vatis nos abludere quis iure dixerit, si illam probationem hic exhiberi contendimus?

Ceterum interpretes in varias abeunt sententias, quarum praecipuas referre non pigebit. Priorem partem agere de excidio Ierusalem per Romanos, sententia erat ita communis, ut merito *Sanct*. dicere potuerit pro suo tempore: « huc incubuit omnium pene interpretum consensio ». Eam sententiam sequuntur *Eusebius* (dem. ev. 6, 18; *M* 22, 452), *S. Cyr. Theod. Rup. Alb. Rib. Sanct. Sa, Calm. Reinke; S. Hier.* quoque eam proponit; at minime in ea acquiescit; mox enim subdit: « Iudaei haec sub Gog dicunt esse complenda; alii temporibus Macedonum et Aegyptiorum diversarumque gentium ex parte transacta. Nos temporis veritatem Domini scientiae relinquentes quae scripta sunt explicemus ». Unum est quod s. Doctor repetitis vicibus respuit, agi de extremo Ecclesiae tempore vel exprimi sententias chiliastarum. Sed ea quae tractavimus non posse explicari de tempore expugnationis a Romanis factae, satis elucere videtur. Nam *congregabo omnes gentes* maius quid et magis generale sonat; si illa ruina exponeretur, caedis ac stragis ingentis mentionem iure exspectaveris Dein v. 3 in ea sententia non apte cohaeret. Deus enim eo tempore non proeliatus est *contra* Romanos, sed potius eos iuvit, unde aliqui explicant et vertunt *proeliabitur simul cum gentibus contra urbem* (cf. *Cyr. Theod. Sanct. Calm.*); alii eo iam loco expugnatione relicta Romanos a Deo per evangelii praedicationem oppugnari ac vinci volunt. Utrumque satis arbitrarie. De ultimo per se patet. Prius

autem admitti nequit, quia comparatio instituta *sicut in die certaminis sui* (hebr.) proelia ea dicit, in quibus Dominus olim pro populo suo pugnavit; unde verba intelligi nequeunt de contrario, de pugna scil. qua cum gentibus urbem Ierusalem prosternat.

Neque ullo pacto ea quae v. 4-7 continentur, ei tempori congruunt. Frustra enim *Sanct.* et *Calm.* montis divisionem de fossis a Romanis factis vel *Theod.* de exercitu Romanorum explicare student. Qui divisionem illam ad terrae motum in Christi morte factum referunt (cf. *S. Cyr. Theod.*), nexum rerum ac seriem interturbant; qui allegorice explicant de commotione per evangelii praedicationem inducta (cf. *Haimo, Rup. Alb. Rib. Sa*), eo ipso ostendunt derelicta explanatione de Romanorum expugnatione aliquid aliud esse inquirendum, ut habeatur vaticinii unitas et consonantia. Extremam partem vaticinii posse ad Romanorum tempus referri, pauci opinantur (*Sanct. Calm.*); plerique qui a Romanis inceperunt, desinunt in adventum Domini et in diem ultimi iudicii (cf. *S. Hier. Cyr. Rup. Haimo, Alb. Rib.*); at quomodo tunc eos qui sequuntur versus adnectemus? *Theod.* crepusculum illud in morte Christi factum describi censet v. 6. 7; sed quomodo ab obsidione Romanorum regressus fiat ad Christi mortem, in vaticinii verbis ac serie arcte iuncta quis invenire poterit? Similiter *Eusebius* (l. c. 10, 7; M. 22, 756) et frigus in atrio Caiphae et tenebras in morte Christi praedici a Zacharia deprehendit.

Contra eam interpretationem, in quam « incubuit omnium pene interpretum consensio », iam animadvertit *Mar.* post ea tempora non contigisse felicitatem illam quae eo capite contineatur, et iure notat *Lap.* obstare omnia sequentia. Unde *Mar.* expugnationem refert aut ad Ptolemaeum Lagi aut ad Antiochum Epiphanem, *Lap.* ad Antiochum Epiphanem sensu *literali*: « ad literam significatur hic Ierusalem capienda ab Antiocho Epiphane et restituenda a Machabaeis, idque docent *Palacius, Mariana* et *a Castro* ipseque rei eventus, ut patet ex libris Machabaeorum, praesertim 1, 2, 22 et seq. »; sensu autem *typico* depingi vastationem Ecclesiae praesertim primitivae, sensu autem *anagogico* (?) vastationem futuram per Antichristum. Atque in eam sententiam concesserunt *Men. Tir. Gord.* Ad Machabaeorum tempora oraculum iam retulerunt *S. Ephr. Theod. M.* [1] In hac sententia utique facile intelligitur, quomodo Deus v. 3 contra gentes proeliari dicatur. Montis olivarum divisionem tempore Antiochi revera factam esse quando Deus cum angelis in eum descenderit, licet id non narretur in libris Mach., censent *Lap. Men. Tir.*; aliis id *aenigmatice* explicare praeplacet de Iudaeorum inter se scissione [2], cum alii a suis steterint, alii hostibus faverint (*Mar. Gord.*). Verum ad Machabaeorum tempora oraculum non congruere, ex ipsis verbis et nexu rerum ostenditur. Tunc enim neque omnes gentes congregatae sunt neque satis perspicitur, quid montis divisio sibi velit; praecipue autem ipsa oraculi series aliud suadet. Uti enim cp. 12 adnectitur vaticinio de

1. Eam sententiam utpote subsequentibus non convenientem iam refutat *Eusebius*, dem. evang. 6, 18. *M.* 22, 453.
2. Id quod iam innuit *Eusebius* l. c. 460.

pastore spreto et de poena inde consequente in contemptores, ita locus noster arctissimo vinculo cohaeret cum pastore percusso et afflictione et probatione gregis inde consequente; quare neutrum caput a tempore messianico avelli potest, neque ullo modo probabile est, vaticinia quae etiam externis verborum vinculis ita sint inter se colligata, tempora spectare modo messianica modo antecedentia.

Alii volunt describi ultima Ecclesiae tempora et futuram Iudaeorum conversionem (cf. *Keil, Reinke* saltem a v. 3; *Schegg*); de qua sententia melius postea disserendum erit.

Christus sedens *super montem oliveti* discipulis suis tribulationes et persecutiones futuras praedicit, praedicit urbis excidium et diem iudicii ultimi (Matth. 24, 2 seq.; Marc. 13, 3 seq.); ex eodem monte in coelum ascendit et « hic Iesus qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in coelum » (Act. 1, 11. 12). Cum et apud Ezechielem gloria Domini relictis templo et urbe consistat super montem qui est ad orientem urbis (Ez. 11, 22 — cf. Zach. 14, 4) et apud Zachariam tam explicite statuatur: *et stabunt pedes eius super montem olivarum qui est contra Ierusalem ad orientem,* certe minime temere iudicare is erit censendus qui putaverit inter Christi commorationem iudiciique denuntiationem in monte oliveti atque verba prophetica esse nexum aliquem divino consilio factum Christumque voluisse etiam ea in re aliqua prophetarum verba ad literam explere, uti ipsi placuit de triginta argenteis et de figulo (11, 13), quamvis nos ex oraculorum consideratione talem nexum non perspiciamus. Id tamen dicere licet, esse summopere aptum et conveniens cernique divinam in re quoque minore dispositionem, ut ex eo praecise loco fiat et iudicii denuntiatio in urbem rebellem et persecutionum praedictio pro fidelibus, in quem gloria Domini urbe relicta et iudicio tradita sese recipere visa est apud Ezechielem, et in quo stans Dominus suis occurrere et opem ferre cernitur apud Zachariam (cf. *Eusebius* l. c. *M.* 22, 457).

g) Deus in suos benignissimus, terribilis in hostes 14, 8-15.

In tribulatione et persecutione praeclari maturescunt fructus. Omnis enim scoria aufertur, pretiosa metalla excoquuntur, ut aurum et argentum insigni splendore et puritate refulgeat. Dominus ipse fideles suos qui fortiter permanserunt in afflictione et in probatione, nova amoris exhibitione complectitur, ut qui socii erant pastoris percussi, sint etiam participes consolationis et olei exsultationis quo ille ungitur abundantissime pugna peracta (cf. Ps. 44, 8). Unde post persecutionem nova et laeta benedictionis epocha Ecclesiae Dei illucescit eamque s. vates delineat v. 8 « *Et erit, in die illa exibunt aquae vivae de Ierusalem; medium earum ad mare orientale et medium earum ad mare novissimum; in aestate et hieme erunt* »; — cf. 13, 1. Ez. 47, 1 seq.; aquae iugiter manantes ex Ierusalem tamquam ex fonte inexhausto fluent ad mare mortuum (orientale) et mare mediterraneum (*occidentale*, hebr.) i. e. ubique ex

uberrima scaturigine diffundentur. Aquae fertilitatis, ubertatis, vitae, et amoenitatis symbolum atque adiumentum sunt; quare usitata translatione ad gratiam, benedictionem, doctrinam divinam designandam usurpantur; cf. Is. 12, 3: « haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris (salutis, hebr.) »; 35, 6; 41. 18; 44, 3; 49, 10; 55, 1 Ier. 2, 13; quare Christus quoque ea metaphora utitur, se promittens daturum aquam vivam, fontem salientem in vitam aeternam, ad se invitans sitientes etc. (cf. Ioan. 4, 10. 13 seq.; 7, 38. Apoc. 7, 17; 21, 6; 22, 1. 17). Ex Ierusalem igitur, quod nomen eadem notione accipitur uti 12, 1, continuo sine defectu — unde aestate et hieme i. e. omni anni tempore, etiam eo quo plerique torrentes et rivi deficere et arescere solent — in omnem partem etiam in regiones desertas salutaris doctrinae et divinae gratiae rivuli dividentur. Duo maria alii de Iudaeis et gentibus (S. *Hier. Ephr. Cyr. Calm.*), alii de oriente et occidente, ad quas regiones fontes salutis pertingent (*Eusebius*, dem. evang. 6, 18. *M.* 22, 465. *Theod. Rib. Sanct. Sa*), explicant; sensus descriptionis est, centrum theocratiae effecturum esse, ut ubique fecunditas et vita salutis doctrina et gratia enutrita efflorescat. Sive igitur aquas dicas Christi doctrinam evangeliique praedicationem (S. *Ephr. Hier. Theod. Rib. Sa, Calm.*), sive Spiritum S. quem Christus sit largiturus (S. *Cyr.*), sive sacramenta (*Sanct.*), oraculi sensus rite exprimitur, quippe quo ubertas divinae largitionis ad salutem et beatitatem efficiendam declaratur.

Plerique interpretes, vel ut *Sanct.* ait, pene omnes, oraculum hoc directe et immediate de Ecclesia Christi exponunt, idque rerum serie omnino postulatur, ut supra iam expositum est et prout ex parallelismo ad 13, 1 elucet. Attamen fuerunt, qui ad Machabaeorum tempora id referrent. Ita *Theod. M.* quidem nulla Ecclesiae mentione facta; S. *Ephr.* quoque qui tamen fatetur *plene* oraculum impleri in novo foedere. *Lap.* quoque censet sensum historicum (literalem) esse de fontibus urbis, quos in captivitate babylonica vel ab Antiocho confractos aut collapsos propheta dicat restaurandos, augendos, exornandos; id enim fecisse Iudaeos reduces, narrari a Nehemia (Neh. 3, 15), id praestitisse Simonem pontificem (Eccli. 50, 3) neque de Machabaeis id dubium esse posse; dein vult *symbolice* sub hisce fontibus et aquaeductibus intelligi faustos laetosque egressus Iudae et fratrum eius ad proelia et victorias, demum *parabolice* et potissime intelligi aquas doctrinae et gratiae evangelicae, sim. rem explanant *Men. Tyr.*

Atque quo sensu theocratia sit fons abundantissimus, in orbem effluens, declaratur v. 9 « *et erit Dominus rex super omnem terram; in die illa erit Dominus unus et erit nomen eius unum* »; — i. e. theocratia erit universalis, omnes gentes complectens; cultus unius Dei ubique exercebitur, ille *solus* adorabitur; alia deorum nomina, quae in vetere theocratia quasi iure suo regiones ac ditiones occupaverant, funditus regimine ac dominatione privantur. Id quoque optime subiungitur. Est

enim quaevis persecutio, quam Ecclesia subit et ex qua nova virtute et pulchritudine victrix evadit, simul periodus gratiae pro iis qui nondum ei nomen dederunt; nova quippe luce et gloria vident Ecclesiam resplendentem; coelestis Sponsus sponsae suae nova concessit monilia eamque denuo ut suam dilectam mundo ostendit et pro afflictione quam subiit gaudia maioris fecunditatis novamque prolem ei concedit. Valet enim semper et ubique : sanguis martyrum semen Christianorum. Ita revera cernitur Ecclesia post unamquamque persecutionem nova cepisse incrementa vegetioremque manifestasse vitam. — Eundem habes parallelismum 13, 2 : « disperdam nomina idolorum de terra » (*Sanct.*). Ad hoc vaticinium aliaque similia rite intelligenda et expendenda inservit quod h. l. affert *Sanct.*, saepe in Scriptura dici fieri, quae ut fiant ipsa rerum natura aut potentia postulent, futurum enim tempus interdum non actum significare sed potentiam; « sic ergo Deus rex erit et Dominus unus super terram undecumque sublatis idolis, quia vis ea erit fontis illius qui in omnem mundi partem effundetur, ut haec omnia praestare non solum possit, sed etiam mereatur ».

Uti urbi, centro theocratiae, expugnatio et devastatio praedicta est (12, 2. 3; 14, 1), ita ad oraculi seriem prorsus spectat, ut eiusdem urbis exaltatio et firma sedes atque secura indicetur et secundum textum hebr. quidem regio circa urbem montana et aspera complanatur et in planitiem vertitur; id quod etiam ad v. 8 convenienter fieri patet, ut aquae e loco edito in mare occidentale et orientale diffluere posse videantur; *et convertetur tota terra sicuti planities a Geba usque ad Remmon ad austrum Ierusalem* i. e. tota regio a Geba, a parte septemtrionali regni Iuda (cf. 4 Reg. 23, 8) usque ad partem australem extremam, Remmon (cf. Ios. 15, 32), convertetur ut fiat sicut הָעֲרָבָה i. e. campestria Iordanis (cf. Ios. 4, 13; 18, 18. 2 Sam. 2, 29; 4, 7 etc.). Hac terrae complanatione Ierusalem exaltatur. Symbolum idem de monte Domini praedicatur Is. 2, 2. Mich. 4, 1. *S. Hier.* vocem גֶּבַע appellative vertit *collem*; hoc enim, inquit, Gabaa sonat. Unde in *vulg.* v. 10 « *et revertetur omnis terra usque ad desertum, de colle Remmon ad austrum Ierusalem; et exaltabitur et habitabit in loco suo a porta Beniamin usque ad locum portae prioris et usque ad portam angulorum et a turre Hananeel usque ad torcularia regis* »; — desertum intellige planitiem Iordanis : tota regio vertetur in planitiem; ad Remmon additur *ad austrum* Ierusalem, ut distinguatur a Remmon in Galilaea (Ios. 19, 13) et a petra Remmon septemtrionem versus ab urbe (Iud. 20, 45 — cf. *Keil, Riess,* bibl. Geogr. p. 80 [1]). Montibus et collibus applanatis centrum theocratiae

1. Remmon ad austrum secundum Onom. *Euseb.* distabat ab Eleutheropoli meridiem ver-

eo illustrius atque excelsius cernitur. Sicut Ieremias urbis aedificandae et instaurandae certum ambitum ac terminum assignavit (Ier. 31, 38-40), ita Zacharias quoque, quamvis 2, 4 audierit : « absque muro habitabitur Ierusalem », et simili ratione cernit Ezechiel urbem certis mensuris ac definitis reaedificatam (Ez. 48, 15 seq.). Portam Beniamin in parte septemtrionali sitam fuisse probabile est eamque etiam portam Ephraim (4 Reg. 14, 13. Neh. 8, 16) appellari (?) aliqui coniiciunt (*Reinke, Schegg, Keil* — esse eandem quam hodie portam Damasci vocant, opinatur *Trochon*). Ab hac porta aedificabitur usque ad portam priorem vel primam, quam esse censent portam veterem (Neh. 3, 6; 12, 39), et usque ad portam angulorum. Haec eadem esse videtur, quae 4 Reg. 14, 13 et Ier. 31, 38 porta anguli appellatur et quae a porta Ephraim quadringentis cubitis distabat (cf. 4 Reg. l. c.). Unde in parte septemtrionali a porta Beniamin urbis moenia designantur versus occidentem usque ad portam anguli, versus orientem usque ad portam primam vel veterem. Dein eorum ductus describitur, uti videtur, ab angulo inter septemtrionem et orientem solem spectante meridiem versus i. e. a turre Hananeel usque ad torcularia regis. Illa turris inter septemtrionem et orientem fuisse dicitur haud longe dissita a porta ovium (cf. Neh. 3, 1; 12, 39. Ier. 31, 38). Torcularia regis ibi fere sita fuisse plerique opinantur, ubi horti regis erant (Neh. 3, 15) eo scil. loco, ubi vallis Hinnom, vallis Cedron et Tyropoeon vallis coeunt, in parte maxime meridionali urbis (cf. *Reinke*, *Keil*, *Trochon*).

Ita multi censent. At minime tacendum est, res plerumque satis incertas et dubias esse. Portae Beniamin nulla est mentio apud Nehemiam; eam autem in parte septemtrionali sitam fuisse, nomen ipsum indicat. Disceptari quoque potest de explanatione verbali : *a porta Beniamin usque ad portam priorem, usque ad portam angulorum* et quaeri : num forte porta angulorum eadem sit ac porta prior (*Hitz.*); vel : num, si diversae sint portae, non moenium ductus cursu continuo et recto indicetur a porta Beniamin usque ad priorem et ab hac porta usque ad portam angulorum. Textus verba nihil prae se ferunt, cur sit explanandum : a porta Beniamin usque ad portam priorem ductus erit orientem versus, et (repetito termino *a quo* eodem) a porta Beniamin usque ad portam anguli versus occidentem, ita ut porta Beniamin in medio collocata sit, ex qua ductus moenium in dexteram et sinistram partem recenseatur. Fortasse haud immerito *Pressel* dubitat, an modus loquendi prophetae talem admittat interpretationem. Dubium quoque de torcularibus regis moveri potest. *Pressel* quaerit, cur non potius in parte urbis orientali versus montem olivarum fuisse censenda sint, cum

sus 16 milliariis; hodie vocatur Um er-Rummanim; alterum in Galilaea hodie audit Rummaneh. Petra Remmon ex Onom. *Euseb.* 15 milliariis ab urbe distabat; hodie vocatur Rummon.

certe ad olivas montes oliveti exprimendas inservierint. Sed cur non potius ad uvas torculandas et mustum generandum? Torcularia esse solebant extra urbes saxis incisa. Unde fortasse Zacharias urbis ambitum maiorem quam olim fuerit indicare voluit.

Quid de tali urbis designatione et descriptione censendum erit? Cum prior pars versus de planitie efficienda a Geba usque ad Remmon non possit literaliter intelligi — neque enim *physica* regionis illius transmutatio hucusque facta est neque eam tempore futuro fore ulla probabilitatis specie coniici poterit — etiam partis alterius alia quaerenda erit explanatio. Et ea quidem quam *S. Cyr.* proponit, maxime videtur esse commoda : « Deus gloria sua sanctam civitatem implebit, hoc est, intelligibilem (νοητήν) Ierusalem, cuius latitudinem et longitudinem rursum ut in typo per terrestrem Ierusalem ostendit ». Loquitur vates ad modum prophetarum antecedentium; Isaias urbem instauratam monuerat : dilata locum tentorii tui etc. (Is. 54, 2 seq.), eam gemmis aedificandam praedixerat (54, 11 seq.); ambitum urbis Ieremias assignaverat (Ier. 31, 38-40); Ezechiel templum novum accuratissime delineaverat (Ez. 40-43, 12), terram pro singulis tribubus maxima cura distribuerat (48, 1-29) etc.; simili modo Zacharias theocratiae instaurationem exemplo et symbolo ab urbe veteris theocratiae centro et metropoli petito illustrat.

Qui urbis Ierusalem in fine temporum instaurationem terraeque palaestinensis splendorem futurum exspectant, hisce potissimum locis innituntur. Atque, uti iam *Rup.* aperte fatetur, « haec litera omnis fere usque ad finem voluminis talis est sine dubio, ut puerum allicere possit ad favorem sui totiusque voluminis prophetici, scil. populum iudaicum sensu puerili, qui talia libenter audit et sic intelligit, quod Messias quando in Hierusalem aurea atque gemmata sederit regnaturus, cuncta auferet idola » etc. Et *S. Hier.* ad h. l. scribit : « haec Iudaei iuxta literam somniant et nostri χιλιασταί... nec opponant nobis Ioannis Apocalypsin (cp. 20), quia et ipsa spiritualiter disserenda est. Nos autem coelestem Ierusalem interpretemur Ecclesiam... »; et saepe per hoc caput (et alibi quoque frequenter) in talem interpretationem Iudaeorum et iudaizantium acerbe et acriter invehitur v. g. « haec sibi infelix Iuda promittit... nos autem omnia ista referamus ad Ecclesiae beatitudinem; et haec Iudaei (ad v. 15) sub ἠλειμμένῳ suo [1] carnaliter explenda contendunt; haec

1. Vox est, qua usus est in sua versione *Aq.* pro more suo ad literam textum hebr. exprimere volens, vel ne adhibens χριστόν Christianis favere videretur, ut alii suspicantur fortasse haud immerito, si Patrum in eum reprehensiones spectaveris (cf. *Cornely*, Introd. I p. 333 seq.).

quoque (ad v. 16) Iudaei cassa spe in mille annorum regno futura promittunt; haec omnia (ad v. 18. 19) Iudaei et iudaizantes nostri, immo non nostri quia iudaizantes, sperant futura corporaliter, utique et circumcisionem sibi et coniugia in mille annorum imperio promittentes » etc. Ipse nostro loco allegorice rem explanat nomina singula plane allegorica significatione capiens : « tunc revertetur omnis terra usque ad desertum i. e. usque ad populum gentium, qui prius desertus erat et legis notitiam non habebat, a colle usque ad excelsum, quia de terra et de deserto ad colles, et de collibus ad montana consurgimus... vel hoc dicamus, quod fines Ecclesiae de collibus incipiant, ut omnis ordo ecclesiasticus construatur... nec hoc est Ecclesia fine contenta, sed perveniet usque ad austrum in luce plenissima » etc.; simili allegoria porta prior, porta angulorum, turris Hananeel, torcularia regis exponuntur; qua in re eum alii quoque sequuntur v. g. *Rup. Alb.* Tali autem interpretationi nemo facile assentietur. Est enim ab omni usu alienum nec alio quopiam exemplo demonstrari potest, desertum poni pro gentibus, vel portam Beniamin pro virtute, portam angulorum pro caritate etc.

Cum igitur eiusmodi aenigmatica explicandi ratio admitti nequeat et ex altera parte etiam verum sit, quod iam monuit *Rib.* : « quod de hac reaedificatione Ierusalem praedicit propheta, convenit inter Hebraeos et inter ecclesiasticos scriptores nunquam esse factum », qualem interpretandi viam ingrediemur? An exspectabimus cum chiliastis impletionem literalem futuram? Si cui haec via videatur commodissima, perpendat velim, num etiam physicam illam montium colliumque applanationem assumere velit, num physicam montis Domini super omnes colles et montes exaltationem, num etiam aedificationem Ierusalem ex gemmis, eius in sapphiris fundationem, propugnaculorum ex iaspide fabricationem et talem terrae palaestinensis in singulas tribus divisionem taleque templi aedificium talemque cultum et ea sacrificia, qualia ab Ezechiele tam accurate et sollicite describuntur. Haec enim omnia intime inter se cohaerent, et si unum literaliter explicandum esse opinaberis, reliqua iam non poteris a tali explanatione excludere, nisi pro summo arbitrio et lubitu sine certa norma te agere posse aestimaveris. At *ea omnia* ad literam accipere nemo probabit. Ergo conclusum est, etiam locum nostrum non ita esse accipiendum, ut eius literalem impletionem exspectemus.

An oraculum hoc inter ea referemus, quorum norma statuitur apud Ieremiam (18, 7-10)? i. e. quae quidem absolute proferuntur, at non sunt implenda, nisi ab iis ad quos diriguntur certae quaedam conditiones in opus fuerint deductae. Potuit utique Deus reducibus aedificationem urbis iis limitibus quos Zacharias hic assignat, promittere; quae promissio si Iudaei fideliter suas partes praestitissent, non caruisset even-

tu, quae tamen quia illi deficerent, ipsa quoque defecisset. Talis explanatio arcte inhaeret normae in sacris literis traditae (Ier. l. c. Ez. 33, 13-16). At nostro loco eam admitti non posse censeo. Neque enim ea est oratio contexta, ut de tempóre reditus ex exsilio vel de urbis aedificatione exsilio soluto mentio iniiciatur, id quod ex totius oraculi et tenore et collocatione nobis saltem persuasum est. Nihil aliud ergo relinquitur pro huius loci explanatione nisi ut dicamus, ipsius theocratiae aedificium imagine quadam depictum nobis proponi et similitudine quadam repraesentari, vel, uti veteres loqui solent, prophetam loqui metaphorice de Ecclesia ac si loqueretur de Ierusalem, et terrenae civitatis imagine exprimi amplissimos Ecclesiae fines (cf. *Rib. Sanct.*).

Talis autem erit in theocratia nova rerum conditio, ut perpetua ibi vigeat sanctitas ; quare excidium nullum, nulla perturbatio intimam cum Deo unionem et veram in Deo pacem impediet ; v. 11 « *et habitabunt in ea et anathema non erit amplius, sed sedebit Ierusalem secura* » ; — in antiqua theocratia tamquam exsules violato foedere migrare iussi sunt ; non ita in nova. Igitur perpetua fidelitate et sanctitate [1] Deo adhaerebunt ; non erit excidium, destructio ; de anathemate, quo idololatrae et urbes eorum percutiendi erant, vide Ex. 22, 19. Deut. 7, 2 ; 13, 15 ; 20, 17. Ios. 6, 17 ; 10, 28. 1 Reg. 15, 3 etc. Ergo indefectibilitas Ecclesiae hoc quoque nomine docetur ; vel uti *Rib.* monet, non fore unquam perdendam aut dissipandam Ecclesiam, tametsi multis persecutionibus concutiatur ; posse quidem, prout *Calm.* adnotat, aliquo detrimento a domesticis externisque hostibus affici ; at cum illius fundamenta lapidi innitantur, ruinae obnoxiam non esse sed perpetuo firmiter in se consistere. Pace fruetur et securitate ; cuius promissionis veracitas quavis persecutione comprobatur. Haec quoque constanter tempori messianico adscribuntur.

Sed dum Deus amicos suos tot beneficiis complectitur, hostes theocratiae tremendo supplicio cruciat atque prosternit v. 12 « *et haec erit plaga qua percutiet Dominus omnes gentes, quae pugnaverunt adversus Ierusalem : tabescet caro uniuscuiusque stantis super pedes suos et oculi eius contabescent in foraminibus suis et lingua eorum contabescet in ore suo* » ; — hisce scil. declaratur v. 3, quomodo Deus proeliaturus sit contra gentes ; atque sicut comparatione instituta cum cp. 12 maior apparet urbis sanctae oppressio (14, 3), ita terribilior quoque poena hostium exhibetur, quam 12, 4. Vivi putrescent ; « declinaverunt ad absurdas voluptates, quaecumque videbant, ore hiante quodammodo appetebant ac deglutiebant ; acuerunt linguas suas contra Christum et sacra Ecclesiae dogmata impie carpserunt. Iure igitur in carne, in oculis, in linguis poe-

1. *Barh.* : « anathema non erit i. e. peccatum domus filiorum Israel ».

nam susceperunt » (*S. Cyr.*). Corpore, oculis, lingua sanctam Dei civitatem oppugnarunt : corpore, cum arma ferrent et varios subirent labores; oculis, cum debiliores urbis partes insidiose exquirerent et iam oculos suos eius ruina pascere et delectare exoptarent : « lapidetur et aspiciat in Sion oculus noster » (Mich. 4, 11); linguis, cum blasphemias, calumnias, maledictiones in Deum et theocratiam effutirent, unde convenienti poena plectuntur, ut sint quasi cadavera perpetuo viventia (cf. Is. 66, 24). Poena haec etiam id innuere videtur, hostes iri perculsum et impeditum medio in cursu; dum integris viribus Ecclesiam se aggredi opinentur, subito fore, ut abominandum in modum concidant et prosternantur, ut omnes machinationes turpiter ac foede effectu careant et penitus quasi putredine dissolvantur. Adnotat *S. Hier.* : « nos autem dicemus, omnes persecutores qui afflixerunt Ecclesiam Domini, ut taceamus de futuris cruciatibus, etiam in praesenti saeculo recepisse quae fecerint. Legamus ecclesiasticas historias, quid Valerianus, quid Decius, quid Diocletianus, quid Maximianus et nuper Iulianus passi sint, et tunc rebus probabimus etiam iuxta literam prophetiae veritatem esse completam, quod computruerint carnes eorum et oculi contabuerint et lingua in pedorem et saniem dissoluta sit. Porro si ex hoc dicto haereticis crudelitas Dei videtur ostendi, audiant haec universa fieri, ut deficientibus malis succrescant bona ».

Ut plena atque integra eorum strages ac clades habeatur, alia quoque poenarum genera adduntur, ut neminem impune abiturum significetur, alio scil. genere puniendum, si aliud evaserit; v. 13 « *in die illa erit tumultus Domini magnus in eis et apprehendet vir manum proximi sui et conseretur manus eius super manum proximi sui* »; — Dominus mittit terrorem, perturbationem in eos, ita ut mutua caede inter se occidant (cf. Iud. 7, 22. 1 Reg. 14, 20. 2 Par. 20, 22. 23); « Dominus mentis usu privatos inter se confligere faciet, ut mutuis vulneribus interficiantur» (*Theod.*); manuum ergo apprehensio atque consertio non amico modo neque supplicantium habitu (*S. Cyr. Rup. Alb.*), sed inter se pugnantium ac caedentium more hoc loco est intelligenda (*Mar. Lap. Men. Calm. Reinke, Trochon*); cf. 11, 6; ad hoc apte dicitur in hebr. *et ascendet manus eius contra (supra) manum proximi sui.* Opima autem hostium spolia cedent in utilitatem theocratiae i. e. multiplici utilitate variisque ornamentis ditata Ecclesia ex persecutionibus victrix evadet, et eo maior erit talis utilitas, eo maior praeda, quo maiore multitudine hostes adversus eam conglomerabuntur. Id indicatur v. 14 « *sed et Iuda pugnabit adversus Ierusalem, et congregabuntur divitiae omnium gentium in circuitu, aurum et argentum et vestes multae satis* »; — in textu hebr. nihil adest de hostilitate Iudae adversus Ierusalem, sed solum dicitur : *etiam Iuda pugnabit in Ierusalem* i. e. totus populus theocraticus

causam sustentabit centri et metropolis theocratiae; omnes denique partes suas habebunt et agent et certamina subire debebunt, quando impetus fit hostilis in Ierusalem (cf. 12, 2. 4 seq.). Et ita quoque verba hebr. intellecta sunt in versione graeca Ἰούδας παρατάξεται ἐν Ἱερουσαλήμ et apud *Syrum*[1]. Cum Iuda neque in antecedentibus neque hic tamquam *hostis* theocratiae designetur, textus lat. solum intelligi potest de Iudaeis qui pugnent adversus urbem ab hostibus occupatam, ut hanc urbem e potestate hostium vindicent (cf. *Schegg*). Tali pugnae victoria deesse non potest. Quam futura sit excellens, spoliorum multitudine et pretio indicatur. Uti olim Iudaei spoliis Aegyptiorum ditati egressi sunt ex Aegypto, ita Ecclesia ab ipsis suis hostibus non parva capit emolumenta. Bene advertit *Rib.* : « in loco ipso obsidionis relinquent divitias quas attulerant et eorum spoliis Ecclesia victrix ditabitur. Ita factum est, nam ex regibus et sapientibus qui Ecclesiam impugnabant, multi conversi sunt et locupletata est eorum eruditione et eloquentia et nobilitate et potentia » (sim. *S. Cyr. Alb.*).

Atque hostium destructio erit omnibus numeris absoluta. In Ierusalem non erit *anathema* (v. 11); tali vero hostes percutientur; quare uti fit in anathemate, non solum ipsi, verum etiam omnia eorum iumenta etc. excidio devovebuntur; ita v. 15 « *et sic erit ruina equi et muli et cameli et asini et omnium iumentorum quae fuerint in castris illis, sicut ruina haec* » ; — i. e. pari plaga, sicut modo v. 12 dictum est, absumentur, ut caro tabescat etc. Animalia recensentur quorum usus est et in ipsa pugna et ad sarcinas ferendas et reliqua in bellis necessaria. Plenissima igitur strages et clades proponitur modo ad veterem historiam accommodato (cf. Num. 16, 32. Ios. 7, 24).

Etiam hanc partem aliqui sensu literali de Machabaeorum tempore praedici opinantur; in qua sententia v. 10 explanant de Iudaeis qui tempore Antiochi fugerint dispersi usque ad deserta, montes et cavernas; post victorias autem Machabaeorum reversi sint ad suas sedes et domus, reversi a colle Gabaa etc.; urbem esse exaltatam a Machabaeis aedificatis scil. altis muris et turribus per circuitum montis Sion etc.; simili plaga v. 12 et Antiochum et duces et milites eius esse percussos, et talem plagam ut Deus hostibus immitteret, Iudam a Deo efflagitasse; cf. 1 Mach. 4, 27. 31 seq. 2 Mach. 9, 5; 10, 30; 12, 22; designari v. 14 Iudaeos apostatas et spolia Nicanoris aliorumque Antiochi ducum et copiarum, quibus se suosque Iudas Machabaeus ditaverit (2 Mach. 8, 27); ita fere

1. Aliud exprimere videtur *Chald.* : « et etiam de domo Iuda adducent populi quasi violenter ad suscitandam pugnam in Ierusalem » ; eundem in modum etiam aliqui recentiores textum hebr. intelligunt, cum בְּ coniunctum cum נִלְחַם habeat significationem *contra* aliquem vel *cum* aliquo pugnare. Sed exinde non sequitur, id semper obtinere.

Mar. Lap. Men. Tir. Sensu *pleno, mystico* ea dici de Ecclesia omnino asserunt. Quanta sit interpretum varietas, inde metiri poteris, quod *Theod. M.* ea intelligit de iis quae *proxime* post tempus editi oraculi in pugna cum Gog fieri debeant (de Gog etiam *Theod.* mentionem iniicit), alii autem de tempore Antichristi et de illis pugnis sermonem fieri volunt, de quibus in Apoc. 20, 7.

h) Eximia in nova theocratia sanctitas 14, 16-21.

Persecutiones quae excitantur contra theocratiam et iudicia divina quibus hostes coercentur ad theocratiae incrementum et splendorem pariter magnam afferent utilitatem. Hisce enim cultus Dei propagabitur. Quare v. 16 « *Et omnes qui reliqui fuerint de universis gentibus quae venerunt contra Ierusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent Regem, Dominum exercituum, et celebrent festivitatem tabernaculorum*»; — ad id igitur iudicia Dei persecutoribus inflicta tendunt, ut ipsi quoque verae cognitionis fiant participes. Verum etiam ex iis multos quidem esse vocatos, paucos autem electos verba ipsa indicant. Cultum Dei exhibebunt omni studio et cura nihil omittentes. Hoc indicatur eo quod ex norma veteris foederis festum tabernaculorum eo quo oportuit tempore i. e. singulis annis fideliter celebrare dicuntur. Propheta rem delineat ex instituto vetere, « quia loquebatur Iudaeis qui nonnisi festa iudaica norant » (*Lap.*) et quia ipsi prophetae cultus Dei et adoratio illis formis et modis obversabatur, quibus suo tempore exercebatur. Rem non posse intelligi literaliter, iam eo liquet quia fieri nequit, ut gentes omnes annis singulis adeant Ierusalem. Oraculum istud eadem ratione sensum hunc excludit qua illud Isaiae quod imitatur: « et erit mensis ex mense et sabbatum ex sabbato; veniet omnis caro ut adoret coram facie mea » etc. (Is. 66, 23. 24).

Cur adoratio gentium celebritati tabernaculorum comparetur, certo non est ea causa quia festivitas tum celebrabatur, quando pro instituendo itinere et maxima aderat opportunitas et temporis commoditas (*Theod. Theod. M. Mar.*) , neque quod tempore Zachariae hoc solum festum templo nondum aedificato agebatur (*Schegg*), sed ratio ex peculiari indole peti debet huius sollemnitatis qua praeprimis reddebatur vocationi et electioni gentium congrua. Festive enim ibi commemorabantur commoratio in deserto et beneficia Dei accepta et messis finitae offerebatur gratiarum actio (Lev. 23, 39 - 43. Deut. 16, 13). Iam gentes quoque post longam in deserto migrationem tandem servitute ereptae terra promissa potitae sunt ibique uberem fructuum spiritualium messem fecerunt; quare iuremerito tale festum laetitiae et gratiarum actionis peragunt, et tali symbolo optime adumbratur, quibus animorum sensis

imbutas eas esse deceat. Praeterea illa festivitate omnes admonentur non solum liberationis per Messiam acceptae et vocationis adductionisque ad eius regnum (*Rup.*), verum etiam edocentur, hanc ipsam in terris commorationem esse *peregrinationem* ad patriam coelestem assequendam (*Alb. Lap.*). Unde bene advertit *Rib.*: « hunc festum diem illi vere celebrant, qui per desertum huius vitae festinantes in terram veram promissionis, id est in aeternam beatitudinem, in tentoriis habitant temporalia contemnentes et ad fixum atque sempiternum domicilium paratum in coelis transire concupiscunt. His verbis ostendit perfectionem vitae Christianorum recens ad evangelium conversorum »; quibus adde quae *Sanct.* monet: « ut Iudaei ea celebritate memoriam revocabant illius beneficii quo ex Aegypto per desertum ad terram promissam inducti sunt, ita illi recens ad fidem et Ecclesiam vocati gratias agent, quod ex gentium tenebris idolorumque sordibus ad Ecclesiae lavacrum evangeliique lucem translati sunt ». Christiani enim, ut adnotat *Lap.*, longe magis ac verius agunt festum tabernaculorum memores doctrinae: « carissimi, obsecro vos tamquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis » (1 Petr. 2, 11), nosque esse hospites super terram futuram patriam inquirentes (Hebr. 11, 13-15).

Tale igitur festum ii revera peragunt, qui in Christo iustificati secundum hanc iustitiam acceptam in gratiarum actione vivunt et magno desiderio coelesti civitati obviam feruntur (cf. *S. Cyr.*). Quare eo ipso consequitur illos qui hanc in se indolem festi non exprimant, tamquam ingratos homines et rebus terrenis immersos a gratia Dei longe abesse. Unde apte sequitur v. 17 « *et erit qui non ascenderit de familiis terrae ad Ierusalem ut adoret Regem, Dominum exercituum, non erit super eos imber* »; — in oriente maxime imber statutis cadens temporibus omnis fertilitatis et amoenitatis regionis est conditio; eius autem defectus horrorem, desolationem, mortem affert; quare imber totius benedictionis divinae quasi summam quandam prae se fert; eius autem prohibitio supplicium est et bonorum omnium privatio (cf. *Theod. Sanct.*); atque quam gravis sit in re temporali ea afflictio, aequalibus Zachariae tristi constabat experientia (cf. Agg. 1, 10. 11). Gentes *familiae* terrae dicuntur, quia omnes ad unum grandem Dei populum, ad unam eius tribum et familiam efficiendam vocantur in ordine naturali aeque atque in supernaturali.

Atque ea est novae theocratiae indoles, ut gentes omnes complectatur; ad eam declarandam Deus peculiari modo minisque propositis illam gentem ad theocratiam studiose ineundam colendamque invitat, quae veteri theocratiae inimicissima fuit et populo iudaico odio et abominationi; v. 18 « *quod et si familia Aegypti non ascenderit et non venerit, nec super*

eos erit, sed erit ruina, qua percutiet Dominus omnes gentes quae non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum » ; — quanta igitur rerum mutatio ! in vetere theocratia alieni minime iubebantur ad templum Dei convenire festos dies celebraturi, immo erant qui vel penitus vel saltem ad diuturnum tempus ne in coetum populi Dei admitterentur, lege divina prohibebantur (Deut. 23, 1 seq.); at in nova omnes vocantur, immo de iis valet : compelle intrare (Luc. 14, 23. *Calm.*). Benedictionis divinae ambitus et largitas nostrae quoque cooperationi respondebit; animos gratos, beneficii et liberationis acceptae memores, in veram patriam aspirantes et terrena solum in transitu peregrinorum viatorumque more aspicientes ac praetereuntes Deus eius festi symbolo a nobis exigit. Si nos deerimus, non erit *imber*, non erit gratiae Dei effusio, sed *plaga* (v. 12 hebr.) et ruina.

Subtilius advertunt aliqui, Aegyptum non imbrem, verum Nili inundationem exspectare; quod ultimum utique verum est et iam Deut. 11, 10. 11 adnotatur. Unde iam LXX omittunt לא et vertunt καὶ ἐπὶ τούτους ἔσται ἡ πτῶσις, ita ut de imbris defectu nulla fiat mentio; atque eodem modo *Syrus* et aliqui codd. hebr. (cf. *de Rossi*) legunt; *Chald.* vero *imbre* suppresso scribit : *non crescet eis Nilus.* Eodem modo interpretatur *Mar.* : per imbrem Nili inundationem intellige; atque *Hitz.* ad evadendam difficultatem sententiam censet legendam esse cum interrogatione (et לא — הלא ? vel ולא uti Ex. 8, 22. Ez. 16, 56) : nonne super eos erit plaga ? alii autem particulam negantem esse cum LXX *Syroque* delendam (*Trochon*). Sed quare ? ut Nilus augeatur et ad iustam mensuram crescat et inundet, opus est imbribus in montibus ac regionibus ex quibus Nilus profluit; ergo Aegyptii quoque imbre indigere recte dicuntur.

Quam serio exposcat Deus sensus illos in festo tabernaculorum symbolice expressos, repetita docet interminatio v. 19 « *hoc erit peccatum Aegypti et hoc peccatum omnium gentium quae non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum* » ; — i. e. talis erit poena peccati, scil. plaga, ruina v. 17. 18 (cf. *Rib. Sanct. Sa, Lap. Reinke, Schegg, Trochon*); voces enim quae peccatum dicunt, etiam propter nexum intimum inter culpam et poenam, ipsam designant poenam; cf. Num. 32, 23. Uti in vetere foedere tribus Israel in Ierusalem ascendebant, ut coram Domino se sisterent, unum Dei populum se profiterentur et uno illo theocratiae centro ipsi inter se et cum Deo unione quadam sacra continerentur, ita non sine ratione prophetia etiam pro instaurationis epocha *ascendere* ad theocratiae centrum tam perspicue effert, ascendere utique non pedibus et itinere, verum animo et mente i. e. omnes oportet in ipsa religionis ac pietatis professione intime esse iunctos regno a Messia instituto et centro eius; a quo qui avulsi sunt vel accedere renuunt, sermone prophetico tamquam tales designantur, qui non

ascendant ad Ierusalem. Verus Dei cultus et adoratio illa quam Dominus postulat, in visione prophetica intime iungitur cum accessu ad regni metropolim et centrum unitatis visibile (cf. Is. 2, 2. Mich. 4, 1).

Convenientissime quoque omnium gentium in regno Dei collectionem qua regnum Domini universale constituitur (cf. v. 9), festo tabernaculorum tamquam festo messis collectae quod *maxima eum laetitia* celebrabatur, propheta proponit. Nam maxima etiam decet laetitia salutari tale regni Dei incrementum. Iam qualis et quanta adsit gaudii materia pro veris Dei cultoribus, eximia illa sanctitate propheta depingit, quae in nova theocratia futura sit. Vetus theocratia peccatis concidit, foederis fracti indicium et documentum erat urbis templique eversio et populi theocratici in alienas regiones abductio : at nova theocratia omni genere sanctitatis erit illustris ideoque indefectibilis. Quare propheta hanc delineans sanctitatem optime adumbrat indolem instaurationis simulque aeternam eius durationem et splendorem divinum egregie proponit. Sanctitatem omnia pervadentem exemplis exhibet ad mores antiquos et ad notionem puritatis leviticae accommodatis : v. 20 « *in die illa erit quod super frenum equi est sanctum Domino, et erunt lebetes in domo Domini quasi phialae coram altari* » ; — pontifex laminam in fronte gestabat de auro purissimo, in qua sculptum erat opere caelatoris *sanctum Domino* ; tali inscriptione munus pontificis longissime a profanis rebus esse remotum et proxime ad Deum accedere eique plane esse sacrum ac dedicatum et a Deo tamquam rem sacrosanctam agnosci significabatur ; iam in nova theocratia omnia ita ad Dei cultum sunt sacrata et devota, ut equi, animalia olim levitice immunda, frena gerere dicantur ea inscriptione ornata, qua omnia equorum servitia in bello ac pace ad Dei cultum referri et Deo esse acceptissima innuatur. Sed ut talis adesse possit rerum conditio, homines ubique et constanter in unum Dei honorem et cultum omnes dirigere labores et conatus oportet.

In frenis ita inscriptis alii cernunt pacis symbola, quia bellica instrumenta, quorum vices in frenis et equis cernantur, tamquam sacra anathemata Deo consecrarentur (*S. Cyr. Rib. Sa*) ; alii hostium caesorum spolia quae Deo a victoribus in perpetuam concessae victoriae memoriam et gratiarum actionem dedicarentur, uti v. g. David gladium Goliath consecravit (*Theod. M. Barh. Tir.* sim. *Theod. Lap. Gord.*) vel Israelitae spolia Madianitarum (Num. 31, 50) ; alii generatim res pretiosas — frena enim olim fuisse splendidissima et interdum aurea ; et frena synecdochice poni pro phaleris vel ornamentis equorum — in Dei honorem et cultum offerri ea locutione intelligunt (*Men. Calm.*). Certe ex uno genere multa esse discenda et uno exemplo multa illustrari vult propheta. Quare ex usu et vita communi aliud subdit exemplum in *le-*

bete qui sit sanctus sicut *phialae*, quibus sanguis sacrificialis victimarum excipiebatur et ad altare aspergebatur vel effundebatur. In iis enim maior inesse censebatur sanctitas, quia ad sublimissimum adorationis cultusque actum, ad sacrificium, accedebant propius quam lebetes in domo Domini, qui ad coquendas carnes et epulas sacrificiales praeparandas inserviebant. In nova igitur theocratia maior erit atque intimior ad Deum accessus, gradus altior ac sublimior sanctitatis, et inde generatim maior dignitas theocratica. Hanc revera Christus adesse demonstrat dicens de suo praecursore : « amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista; qui autem minor est in regno coelorum maior est illo » (Matth. 11, 11); hanc S. Paulus describit sub lege servientes servos dicens, filios vero sub gratia constitutos (Gal. 4, 1-5).

De versione sua ita *S. Hier.* disserit : « verbum hebr. mesuloth (מְצִלּוֹת) *Aq.* et *Theod.* βυθὸν interpretati sunt i. e. *profundum*; *Sym.* περίπατον σύσκιον i. e. *incessum umbrosum.* Soli Septuaginta χαλινόν i. e. *frenum* transtulerunt, quos et nos in hoc loco secuti sumus, ne novum aliquid in quaestione vulgata videremur afferre. Quod cum ab Hebraeo quaererem quid significaret, ait mihi non debere nos legere *mesuloth* sed *mesaloth,* quod significat phaleras equorum et ornatum bellicum, et excepto hoc loco in nullo penitus sanctarum Scripturarum volumine hoc verbum reperiri ». *Syrus* quoque *frenum* exhibet; *Chald.* vocem praebet כְּרוּבָא, quam ephippia, clitellas vel phaleras interpretantur (cf. *Buxtorf,* Lex. chald. 1083; *Levy* I p. 384). *Iarchi* exponit vocem *res inter se concutientes*, crepitacula, tintinnabula (*Ros.*) et eam significationem recentiores quoque sequuntur, explicantes vocem ex צלל (cf. *Vat. Mar. Ges.* Thes. p. 1168, *Reinke, Schegg, Keil, Pressel*). De more veterum hisce equos ornandi vide *Reinke.*

Ad sanctitatem exhibendam et dignitatem theocraticam alio eoque maiore utitur exemplo. Non solum templi supellex, verum etiam ea quae in domibus habetur, erit sancta; v. 21 « *et erit omnis lebes in Ierusalem et in Iuda sanctificatus Domino exercituum, et venient omnes immolantes et sument ex eis et coquent in eis, et non erit mercator ultra in domo Domini exercituum in die illo* »; — ad normam leviticae munditiei res explanatur. Omnis supellex erit munda et sacra, ita ut qui offerunt sacrificia ea uti possint ad carnes sacras coquendas; nihil igitur est pollutum, nihil profanum, munda omnia et ad Dei servitium et honorem quae referantur apta. Hoc exemplo innui videtur, praescripta illa de sanctitate levitica et de modis eam restituendi iri abolitum. Iis enim perstantibus fieri neutiquam posset, ut omnis lebes in Iuda ad carnes sacras coquendas inserviat. Aliam igitur et spiritualem fore indolem sanctitatis in nova theocratia et leges caerimoniales suo valore destitui. Demum in coetu Dei sacro iam non erit secundum hebr. *Chananaeus*, i. e. alienigena, immundus; verba sensum referunt oraculi ab Isaia dati : « consurge ... induere vestimentis gloriae tuae, Ierusalem, quia non

adiiciet ultra ut pertranseat per te incircumcisus et immundus » (Is. 52, 1). Textus lat. *mercator* illam profanationem tangit et excludit quam Christus bis e loco sacro eiecit (Ioan. 2, 15. Matth. 21, 12. Marc. 11, 15. Luc. 19, 45). LXX et *Syrus* rite exprimunt *Chananaeum* ; *S. Hier.* vero notat : « pro Chananaeo Aquila interpretatus est *mercatorem*, quem et nos in hoc loco secuti sumus ». Eandem interpretationem fert *Chald.* Est usitatum in s. literis, ut pro immundo et polluto nomen nationis gentilis ponatur (cf. Is. 1, 9. Ez. 16, 13). Ii igitur exclusi sunt a theocratia, « qui partes Chananaeorum sequuntur, qui impie vivunt et in iniquitate versantur » (*Theod.* sim. *S. Cyr. Theod. M.*) ; sensus est idem qui Is. 4, 3 ; 60, 21 habetur : « populus tuus omnes iusti » et quo nos confitemur : credo unam *sanctam* Ecclesiam.

Cum Phoenices olim *mercatores* ut qui maxime essent, facile explicatur, cur nomen כנעני ad hanc notionem deflectatur ; ita iam Prov. 31, 24 *cingulum tradidit Chananaeo* et Iob 40, 30 *divident illum negotiatores* ; in utraque iam notione videtur ludere Soph. 1, 11.

Hac universa theocratiae sanctitate id demum opere expletur, quod prophetae in quarta visione (4, 2) ostensum erat : populus theocraticus est *candelabrum aureum* lucens et splendens coram Domino. Talis populus ut efficiatur et demum in sanctuario coelesti sistatur in gloriam ac laudem Dei sempiternam, finis est ac terminus omnium operum divinorum ; quare sublimi modo in eodem termino adumbrando Zachariae vaticinium finitur.

MALACHIAS

PROLEGOMENA

I. — De ipso propheta.

Cum neque in libris Esdrae et Nehemiae, neque alibi in veterum scriptis v. g. apud Eccli. ulla inveniatur mentio Malachiae prophetae, et cum insuper nomen ipsum מַלְאָכִי potius videatur esse nomen appellativum (*nuntius meus*) quam proprium, immo petitum ex vaticinio 3, 1 adeoque quasi per modum symboli libro praefixum, iam antiquitus dubitatum est, an propheta Malachiae nomine exstiterit necne, neque inter recentiores deerant, qui idem vocarent in quaestionem. Apud Iudaeos quidem antiqua erat traditio, quae in paraphrasi chaldaica huius prophetae legitur, nomine Malachiae appellari *Esdram* scribam ; eam saepius commemorat et approbat *S. Hier.*, reiicit autem *S. Cyr.*, refert *S. Augustinus* (de Civ. D. 20, 25. *M.* 41, 699), approbat *Rup.* et strenue tuetur *Rib.* qui eam opinionem vocat *sententiam communiorem*, reiiciunt *Sanct. Lap.* et cum iis commentatores latini, approbant *Simonis, Umbreit, Hengstenberg,* reiiciunt recentiores alii fere omnes. Potissimam rationem quae traditioni illi iudaicae suffragatur, iam bene perpendit *Rib.*: « habeo autem non leve argumentum, quod Ecclesiasticus cum viros insignes laudet in eisque Zorobabelem et Iesum filium Iosedec et Nehemiam qui post Esdram venit ex Babylone, nusquam Esdrae meminit, quem certe non omisisset nisi iam in eodem cap. 49 cum aliis prophetis laudasset dicens : « et duodecim prophetarum ossa pullulent de loco suo, nam corroboraverunt Iacob » etc., ex quo colligitur, eum fuisse unum e duodecim prophetis ; adde quod Aggaei et Zachariae mentio fit in libro Esdrae cp. 5 et 6 ; Malachiae autem non fit nisi in apocryphis Esdrae, libro quarto (1, 40). Et certe cum eo tempore vixerit, quo res ab Esdra scriptae gerebantur, non praeterire-

tur, nisi ipse esset Esdras, praesertim cum praeter eum et Aggaeum et Zachariam nullum tunc prophetam exstitisse sciamus. Nec patres qui aliud senserunt, movere nos debent; cum enim Hebraeorum literas et traditiones non legissent neque id in Scripturis invenissent, non habebant unde eundem esse Esdram et Malachiam dicerent ».

Verum, ut ab ipso nomine incipiamus, mirum esset atque sine ullo exemplo simili, libello prophetico non verum praefigi nomen vatis, sed symbolicum et aenigmaticum (nisi dixeris, quod quantum scio nemo adhuc affirmavit, Esdram apud aequales utroque nomine, vero ac symbolico, aeque notum fuisse). Residet enim quam maxime prophetiae auctoritas in legitimo propheta, qui tamquam talis notus, a Deo approbatus et omnibus est conspicuus. Cui prophetarum unquam in mentem venit, vaticinia sua obscuro nomine et symbolico edere? E contra nomen suum et saepe patris nomen et tempus et vocationem ad munus propheticum oraculis suis inscribunt atque praefigunt, ut dubium nullum, nulla ambiguitas admittatur. Nonne vaticinium potius redderetur suspicioni fraudisque et mendacii accusationi obnoxium, si ederetur nomine tecto ignoto, fictitio [1]? Neque valet exceptio, quam *Hengstenberg* affert, nomina quoque symbolica adesse in libro Proverbiorum 30, 1; 31, 1. Nam non omnino constat ea nomina esse solum symbolica et fictitia; dein id quod potissimum est, aliud est acute et sapienter dicta, quae suam in se ipsis habent et per se produnt veritatem et sapientiam, alieno nomine edere, et eo modo publice proponere oracula et vaticinia, quorum veritas et auctoritas per ipsum vatem eiusque legationem divinam omnibus notam est demonstranda et fulcienda, ut fidem inveniant apud eos, in quorum utilitatem, consolationem, doctrinam promulgantur.

Neque in ipso nomine seria adest difficultas. Utique alibi nomen non occurrit. Sed si omnia nomina in s. literis vel in antiquis monumentis quae casu fortuito *semel* tantum leguntur, ex albo historiae sunt expungenda, quid tandem eveniet? Praeterea si de Hebraeorum lingua vel usibus sermo instituitur, semper memores nos esse oportet, *pauca* ex Hebraeorum libris, pauca ex eorum lingua usque ad nos pervenisse. Aliis *forma* nominis molestiam creat; putant enim nomen non significare nisi *nuntius meus*, quae utique appellatio vix ad nomen proprium efformandum apta esset. At huic difficultati dupliciter obviam ire poteris. Aut enim dices nomen id ad eorum ordinem pertinere, quae affixo י ex appellativis formantur, quorum sat multa affert *Reinke* p. 187 et *Olshausen* (Lehrb.

---

1. Huic incommodo potuit utique remedium afferri auctoritate alterius v. g. Esdrae viri a Deo approbati, qui talem prophetam et librum propheticum suis popularibus commendaret; verum hoc insolitum est. Ergo nomen id notum nomen Esdrae?!

d. hebr. Sprache p. 413) v. g. Garmi, Gadi, Zikri, Ezri, Beri, Ozni, Schelomi, Susi etc. — hac ratione nomen non dicit nisi *legatum, nuntium*; et ita explicat v. g. *Fürst C.* — aut cum plerisque censebis esse nomen abbreviatum pro מַלְאָכִיָּה *nuntius Iahve* (cf. *Ges.* s. v. *Fürst L. Keil, Reinke, Naegelsbach*, Real-Encykl. für protest. Theol. IX, 180). Neque talis abbreviatio est inaudita; prorsus similem habes in *Abi* 4 Reg. 18, 2, cuius loco legitur *Abdijjah* 2 Par. 29, 1; neque absimilis est *Palti*, pro quo etiam *Paltiel* (1 Reg. 25, 44. 2 Reg. 3, 15) atque probijbilissime ad eandem legem referri possunt exempla, ut Abdi et Abdajah, Uri et Urijjah etc. vel si id negaveris, id saltem ex iis efficitur, exstitisse nomina sat multa ex appellativis ope *jod* quod vocant compaginis efformata. Unde sane nomen non potest esse ratio, cur in dubium vocetur, vixeritne propheta Malachias. Verum haec ipsa forma Μαλαχίας iam apud LXX in inscriptione libri obvia pleniorem vocis sonum et interpretationem *legati Domini* sibi postulare videtur. Cum autem LXX v. 1 praebeant verbum Domini factum esse ἐν χειρὶ ἀγγέλου αὐτοῦ nomen proprium reddentes per modum appellativi, effecerunt ut propheta noster saepius *angeli* nomine designaretur; ita v. g. *Tertullianus* (adv. Iud. 5; *M.* 2, 608) et *S. Chrys.* scribit: « lege quid dicat Aggaeus, quid Zacharias, quid angelus, quid Esdras incuset » (hom. 14 in ep. ad Hebr.; *M.* 63, 114)[1] et *S. Augustinus*: « Malachias sive Malachi qui et Angelus dictus est » (de Civ. D. 20, 25; *M.* 41, 699); quare aliqui, ut Origenes, eum prophetam angelum fuisse censebant humana forma indutum. Contra quam sententiam *S. Hier. Cyr.* etc. invehuntur. « Dictus est angelus, quod eius nomen hanc notionem haberet; deinde quod coelestes et a Deo inspiratos sermones Israeli nuntiarit, non inscite etiam angelus vocari possit » (*S. Cyr.*); addunt alii, uti *S. Ephr. Isidorus, Pseudo-Epiphanius, Barh.* ob suavissimum et mitissimum ingenium et praeclaram in iuvenili aetate pulchritudinem ei hoc nomen esse inditum. Sed satis de nomine.

II. — De eius tempore.

Esse Malachiam ultimum prophetarum omnes consentiunt et paucis exceptis, qui eum ad Alexandri Magni tempora relegare volunt, omnes ei tempus Esdrae et Nehemiae assignant. Sed si accuratius inquisieris,

---

1. *Clemens* alexandrinus cum vocat τὸν ἐκ τῶν δώδεκα ἄγγελον, (*M.* 8, 860. 861. 872) sed hunc angelum, ut *Reinke* vult, fuisse Iesum filium Iosedec minime censet; nam quae leguntur Strom. 1 p. 395 ed. Potter (*M.* 8, 860) iam rite explanavit *S. Hier.* in Chron. Euseb. II ad Olymp. 64 (*M.* 19, 469): « sacerdotio quoque functus est (eo scil. tempore) Iesus filius Iosedec ».

quanam eius temporis parte officio functus sit, num cum Esdra iam septimo anno Artaxerxis regis, an cum Nehemia et quando, an post Nehemiam, in varias sententias abeunt, neque facile est responsionem invenire, quae non uni alterive difficultati sit obnoxia. Eum iam ante Esdrae adventum prophetasse eique quasi viam parasse censet *Lap.*; sed communiter tempus posterius ei assignant vel simpliciter et in universum tempus Nehemiae (*Calm. Kaulen*), vel dum Nehemias priore vice versaretur in Ierusalem (*Schegg*), vel post priorem Nehemiae in Ierusalem commorationem i. e. post annum 32 Artaxerxis regis (*Keil*) vel tempore inter primam et alteram eius commorationem interiacente (cf. *Schrader, Koehler, Naegelsbach*) vel demum aliquo tempore post Nehemiam (*Herbst-Welte, Reinke*, Der Prophet Malachi, p. 32).

Certum est, Malachiam prophetasse templo iam aedificato et cultu et sacrificiis ordinariis institutis, uti ex 1, 6 seq. 2, 4 seq. 3, 1. 10 indubie colligitur. Et cum multum conqueratur, offerri animalia clauda, languida, idque fieri ex dolo et avaritia, forte ad illud tempus deducimur, quo res ad cultum necessariae iam non per munificentiam regiam (uti fiebat Esdrae tempore ex regio decreto anno Artaxerxis septimo, Esdr. 7, 20-26) suppeditabantur, sed ab ipsis incolis erant largiendae. At sub Nehemia, qui vigesimo anno Artaxerxis in Ierusalem advenit, moenibus exstructis et foedere cum Deo renovato etiam res ad sacrificia necessarias se allaturos spoponderunt: « et statuemus super nos praecepta, ut demus tertiam partem sicli per annum ad opus domus Dei nostri, ad panes propositionis, et ad sacrificium sempiternum et in holocaustum sempiternum in sabbatis, in calendis, in sollemnitatibus » etc. Cum antea de tali negligentia nulla adsit reprehensio in libris Esdrae, probabile est, eam irrepsisse postea, cum Nehemias anno trigesimo secundo Artaxerxis regis in Babyloniam reverteretur. Malachiam vaticinatum esse Nehemia absente, etiam colligi posse videtur ex 1, 8 *offer illud duci tuo, si placuerit ei aut si susceperit faciem tuam*. Nehemias enim annonas quae ducibus debebantur non comedit per annos duodecim — « duces autem primi qui fuerunt ante me gravaverunt populum et acceperunt ab eis in pane et vino et pecunia quotidie siclos quadraginta, sed et ministri eorum depresserunt populum; ego autem non feci ita propter timorem Dei » Neh. 5, 14. 15 — sed e contra e suo multa populo tribuebat (l. c. 18); unde argumentatio illa ad hominem qua vates utitur vix ad Nehemiae tempus apta est, sed potius alium adesse supponit ducem a Persis institutum qui tributa et munera exigat. Nehemia absente etiam facile explicatur, quomodo alii abusus invaluerint, in quos Malachias invehitur.

Accedit, quod Nehemias cum secunda vice reverteretur in Ierusalem fere de iisdem conqueritur, de quibus apud nostrum prophetam populi

obiurgatio fit; cognovit enim quod partes levitarum non fuissent datae « et egi causam adversus magistratus et dixi: quare dereliquimus domum Dei » (Neh. 13, 10. 11) : quae obiurgatio generatim magnam in divino cultu negligentiam adfuisse demonstrat; dein multum iterum in connubia cum alienigenis invehitur, similiter uti Malachias 2, 11. Nehemias sabbati legem multipliciter quoque violari obiurgat cives, de quo peccato mentio specialis non fit apud Malachiam; sed cum ex dolo et avaritia viles offerant victimas, non certe alienum erat ab indole talium etiam leges sabbati conculcare. Malachias eos accusat, quod uxores sine causa legitima repudient et abiiciant. Nihil quidem hac de re apud Nehemiam legitur explicite; at talem duritiem coniunctam fuisse cum studio illo ducendi uxores Azotidas, Ammonitidas et Moabitidas, de quo adeo graviter loquitur Nehemias (13, 23 seq.), vix quisquam negaverit.

Quibus omnibus perpensis probabilius videtur, prophetam vaticinatum fuisse post annum 32 Artaxerxis eo tempore quo Nehemias in aula regis versaretur. Cum igitur Nehemia absente varii abusus irreperent et plurimorum animi propter temporis conditionem afflictam et humilem rempublicam pusillanimitate et diffidentia opprimerentur, Deus misit prophetam, qui abusus reprehenderet, deiectos erigeret omnesque de vera animorum praeparatione edoceret, qua Domini adventus sit exspectandus. Ita factum est, ut Nehemias reversus auctoritate sua qua dux et magistratus regis Persarum facilius omnia et efficacius eo quo decebat ordine restitueret. Hanc si amplexus fueris sententiam, non adeo difficile erit explicare, cur in libris Esdrae et Nehemiae non fiat mentio Malachiae. Libri enim ea potissimum et explicite describunt quae facta sunt ab Esdra a septimo anno Artaxerxis et a Nehemia usque ad annum 32 Artaxerxis; de secundo vero reditu Nehemiae pauca tantum et per modum appendicis referuntur Neh. 13, 7-31. In qua narratione succincta et summatim aliqua tantum attingente non fieri sermonem de Malachia, facile explicari potest. Cur autem Esdrae memoria apud Eccli. non explicite celebretur sed plane omittatur — quae omissio aliquibus, uti supra vidimus, tam incredibilis est visa, ut Esdram in duodecim prophetis laudari censuerint —, ea ratio reddi potest, quod Eccli. 49, 13-15 *aedificatio* templi et urbis effertur et ii solum recensentur, qui in *hoc opere* laborem suum et industriam collocarunt i. e. Zorobabel, Iesus filius Iosedec et Nehemias « qui erexit nobis muros eversos et stare fecit portas et seras, qui erexit domus nostras ». Esdrae autem conatus urbis aedificandae et exiguus erat et mox quae erexerat ab hostibus sunt destructa (cf. Esd. 9, 9. Neh. 1, 2-4 et huc quoque refer Esd. 4, 7-23). Quare non Esdras, sed Nehemias erat urbis restitutor; unde sicut Eccl. 49, 13. 14 templum celebratur et eius aedificatores laudantur, ita v. 15 urbis

restitutio et Nehemias commemorantur. — Ceterum ne quis nimium illi tribuat Iudaeorum traditioni, Esdram esse nomine symbolico Malachiam, iuvat advertere, aliam quoque ferri in Talmude traditionem, esse Malachiam Mardochaeum illum notum ex libro Esther (cf. *Reinke* l. c. p. 5).

III. — De argumento libri.

Cum theocratiae instauratio a parvis initiis profecta exigua caperet incrementa multisque hostium infestationibus esset subiecta et generatim conditio eorum qui ex Babylonia reversi erant, satis esset afflicta et humilis, mirum non est quod multi ex eis animos despondebant et splendida prophetarum de nova theocratia vaticinia cum statu misero reipublicae comparantes in querelas quoque et murmurationes prorumpebant. Qua in re, uti fieri solet in hominum exspectatione vehementiore et desideriis importunis, ad duo non attenderunt; alterum, minime fuisse promissum, ut statim cum reditu omnis vaticiniorum messianicorum splendor et sublimitas in opus deduceretur; e contra data erant indicia quaedam intervalli longioris (cf. Dan. 9, 24); alterum, ipsius populi negligentiam, socordiam, peccata varia obstare, quominus florentiore ac laetiore a Deo donarentur conditione. Accusarant negligentiam illam Aggaeus et Zacharias eaque divinos retineri favores significaverant; attamen populus neque serio, neque constanter socordiam excussit neque vitam suam ad omnem divinae legis normam composuit. Quare cum postea septimo anno Artaxerxis regis i. e. an. 457 vel 456 a. Chr. Esdras rediisset in Iudaeam, varia et apud primores et apud plebem invenit reprehensione digna; « non est separatus populus Israel, sacerdotes et levitae a populis terrarum et abominationibus eorum » (Esd. 9, 1 seq.). Esdrae monitionibus morum quaedam reformatio est effecta (Esd. 10, 1 seq.), at parum stabilis; adventante enim Nehemia anno vigesimo Artaxerxis variae denuo proferuntur querelae de iniustitiis et oppressione pauperum, de societate inita cum alienigenis, de neglectu cultus divini (cf. Neh. 5, 1 seq. 9, 1-10, 37).

Neque sub Nehemia constans morum emendatio est effecta. Cum ipse post annos duodecim rediret in Babyloniam, ea vitia denuo invaluerunt, cuius rei testis est propheta noster et ipse Nehemias qui in fine libri sui de ea morum perversione conqueritur (Neh. 13, 7 seq.). Populus autem afflictum rerum statum et miserum non sibi suisque peccatis attribuit, verum de Deo conquerebatur, qui populo suo electo non eum quem deceret favorem ostenderet et amorem; immo ad id perversitatis aliqui progrediebantur, ut servitium Dei ullam afferre utilitatem audacter negarent. Propheta igitur totus in eo est, ut ostendat, Deum iis praestitisse ac

praestare beneficia; verum ipsos esse perversos; sacerdotes a munere suo et officio turpiter descivisse; multos in re matrimoniali peccare eo quod uxores legitimas abiiciant et alienas adsciscant; immerito eos conqueri de dilato auxilio et favore divino; venturum esse Messiam, sed bene sibi prospiciant, eum enim iudicium esse exerciturum; si divina ope sint destituti et in statu afflicto, videant, quanta cum negligentia res divinas procurent; si vero totis animis Domino serviant, visuros esse magnalia Dei.

In libello prophetico alii duas distinguunt partes 1-2, 16 et 2, 17-4, 6 (*Schegg*), alii tres agnoscunt 1, 2-2, 9; 2, 10-16; 2, 17-4, 6 (*Ewald, Keil, Vigouroux, Trochon*), alii quattuor, alii quinque minores, alii sex partes unius concionis propheticae distinguunt (cf. *Reinke, Bleek, Naegelsbach, Schrader*). Secundum argumentum varium sex quasi sectiones possunt assignari. Titulo praemisso in prima (1, 2-5) admonet vates Iudaeos ingratos et praedilectionis Dei immemores, immo eam negantes, quantum prae Edomitis qui tamen a *fratre* Iacobi, ab Esau sint prognati, ipsis maiora beneficia praestiterit Deus: rempublicam enim Edomitarum esse prostratam ruina irreparabili, dum theocratia sit restituta et maiorem etiam gloriam sit auspicatura. Altera sectione (1, 6-2, 9) sacerdotes reprehenduntur, qui honorem Deo debitum sacrificiis pollutis et immundis graviter laedant; quare talia sacrificia Deus omnino repudiat; purum enim sacrificium postulat, quale demum ubique tempore messianico ei offeretur. Nunc autem altare ab ipsis sacerdotibus despicitur et cum ignominia tractatur. Quod si non emendaverint, egestate, maledictione, abiectione erunt puniendi. Ut sacerdotum scelus et indignitas eo magis efferatur, describitur, quantum a foedere illo cum Levi inito et a veri sacerdotis forma et praeclara specie defecerint.

In tertia sectione (2, 10-16) duo vituperantur, quae in re matrimoniali fiebant perperam: matrimonia enim ineunt cum alienigenis contra pactum cum Deo conclusum et legem Dei, et uxores proprias sine ulla earum culpa dure repudiant, ita ut istae fletu et lacrimis et gemitibus ad Dei opem implorandam altare Dei oppleant. Quam autem crudeliter et impie agant, ex foederis initi natura, dignitate, fine et ex eo, quod Deus eius foederis testis et sponsor et vindex sit, graviter demonstratur. Quarta sectione (2, 17-3, 6) eorum retunditur audacia, qui de rebus afflictis conquesti importune et cum impatientia expostulant cum Deo, quia non tamquam iudicii Deum et sui populi causam agentem se praebeat. Respondet vates, venturum esse Messiam; sed eius adventum iis potius esse timendum, quia severum iudicem se sit exhibiturus, qui omnem iniquitatem et maculam districto iudicio et severa castigatione puniturus sit; tum autem impietate ablata et peccatoribus punitis sanctam fore ac Deo placentem theocratiam.

Iis, qui de Deo conqueruntur, quasi ipse in reddendis promissis tardior esset, propheta in quinta sectione (3, 7-12) obiicit magnam ipsorum negligentiam in decimis et primitiis reddendis; si autem fideliter reddiderint et solverint quae debeant, fertilitatem terrae et abundantiam fore pollicetur. Quare perperam (in sectione sexta, 3, 13-4, 6) et impie conqueruntur, quasi nullum sit emolumentum in Dei servitio : Deum enim sedulo attendere ad pios eosque beneficiis suis et gloria ornaturum esse, dum in tremendo iudicio impii quasi ingenti incendio sint absumendi. Quare omnes demum adhortatur, ut bene observent legem. Denique spondet, se missurum esse ante diem iudicii Eliam ad omnium conversionem, ne forte iudicis adventus ipsis vergat ad perniciem.

Peculiare est Malachiae, quod sermo eius fere per interrogationes et responsiones incedat. Sententia enim quae argumenti summam complectitur proposita per modum interrogationis populi querelas et expostulationes et murmurationes in medium affert, quibus sermone longiore respondet (cf. 1, 2. 6. 7; 2, 14. 17; 3, 7. 8. 14). Ceterum genus dicendi est facile, nitidum, concisum, a sublimitate et splendore tamen remotum, at planum et in ipsa simplicitate non sine elegantia quadam. Ita de eo iudicium fert *Ros.* : « stilo utitur pro saeculi sui genio satis eleganti, terso ac nitido, conciso tamen et ad aculeos in legentium animis relinquendos composito et argumento suo tam in correptionibus quam in promissis scite attemperato ».

Unde breviter libri partitionem ita designare poteris : introductione praemissa de populi electi praerogativa (1, 2-5) primo reprehenduntur *sacerdotes* de cultus divini neglectu et contemptu iisque et poenae denuntiantur et vera sacerdotis species quaedam ac figura proponitur (1, 6-2, 9) ; secundo *populus* reprehenditur, idque a) de re matrimoniali, in qua duplex peccatum committitur (2, 10-16); b) de importuna cum Deo expostulatione, cui iudicium opponitur messianicum (2, 17-3, 6); c) de negligentia in sacris tributis solvendis (3, 7-12); d) de impia et inepta accusatione Dei, quasi nullam ex eius servitio perciperent utilitatem, cui varia bonorum ac impiorum sors in iudicio manifestanda opponitur (3, 13-4, 6). Quare post introductionem ad omnes spectantem duas partes distingue, priorem speciatim de sacerdotibus, generatim de populo alteram.

LIBER MALACHIAE

PROOEMIUM PROPHETICUM 1, 1-5.

ARG. — Ostenditur praedilectio quam Deus habet erga Israelitas comparatione instituta cum Edomitis, qui quamvis ex fratre Iacob, ex Esau, prognati sint, tamen ita a Deo abiiciuntur, ut omnem instaurationis conatum evertere Deus sit paratus. In Israel autem Deus gloriam suam et maiestatem manifestabit. — Animos deiectos propheta erigere studet veritate solatio plena, eos revera diligi a Domino et huius dilectionis documentum et pignus cerni et haberi docet in instauratione reipublicae facta; est ea quidem parva et exigua, at certissima fide scitur, magnam in ea praeformari et praeparari salutem et gloriam. Quam apte in misera rerum conditione eiusmodi memoriae populi murmurantis offerantur, declaratione non indiget.

Praemittitur prophetiae titulus : « *Onus verbi Domini ad Israel in manu Malachiae* » ; — cf. Zach. 9, 1 ; 12, 1 ; de significatione *oneris* vide ad Nah. 1, 1. Continet enim prophetia populi reprehensionem et minas Dei ; quare merito oneris nomine designatur, quamvis laeta quoque et consolatoria exhibeat. Adverte, quam constanter prophetae oracula sua verbum Domini appellent et se ipsos solum tamquam ministros et quasi instrumenta considerent, *per quos* (i. e. *in manu*) Deus verbum suum, cum hominibus communicat. LXX habent λῆμμα... ἐν χειρὶ ἀγγέλου αὐτοῦ in manu angeli eius . « Seipsum *angelum* appellavit, quod divinorum sermonum administer esset » (*Theod.*). In locutione *ad Israel*, cum non dicatur aperte et directe *contra Israel*, aliquid consolationis et quasi partem amicitiae inesse censet *S. Hier.* Notatu etiam dignum, nomen *Israel* de reducibus dici, qui potissimum ex tribu Iuda et Beniamin erant. Iam *S. Hier.* advertit, abducto in captivitatem Israel i. e. decem tribubus indifferenter etiam duas tribus Iuda et Beniamin appellari Israel. Vel potius nomen honoris et dignitatis patriarchae Iacob ob suam

in Deum fidem et constantiam et patientiam inditum ad totum populum theocraticum extenditur, idque iure, quia omnes tribus ex Iacob descendunt. Hac ipsa appellatione admonentur, ut eadem mente qua patriarcha, Deo serviant et ab eo benedictionem pro se et universo orbe reportent. Quare nomen frequens est in libris Esdrae et Nehemiae eo modo quo etiam a Ieremia, Ezechiele etc. adhibetur (cf. *Reinke* p. 170).

Cum populus afflictam rerum conditionem aegre ferret et memor vaticiniorum splendidorum magnificam Dei manifestationem cum impatientia exposceret, propheta aegris animis medicinam primo eo afferre studet quod ostendit et asseverat Deum, uti olim eos elegit et maxima dilectione per saeculorum cursum variosque eventus duxit atque protexit, ita nunc quoque eadem caritate eos prosequi et affectu et effectu; nunquam enim fore ut electionem olim factam Deus fidelis et immutabilis revocet aut irritet. Quare hac suae dilectionis commemoratione murmurantibus non solum os obstruit querelasque fundi prorsus inanes ostendit, verum etiam eos ingratos esse et immemores beneficiorum collatorum accusat. Unde in ea rerum conditione insigne pondus habet verbum Dei : v. 2 « *dilexi vos, dicit Dominus; et dixistis: in quo dilexisti nos* » ?— amorem Dei dicit qui et olim se miris modis prodidit et etiamnum perseverat. Cum autem populum loquentem et quasi cum quadam indignatione interrogantem faciat, intima animorum sensa pandit et promit, quibus apud se de Deo murmurant et rerum angustias Deo exprobrant quasi nihil praeclari ab eo accepissent, immo vana spe et exspectatione ab eo essent delusi. Quare haec interrogationis forma minime in sola peculiari loquendi ratione, qua usus sit Malachias, reponenda est (uti volunt *Schegg, Keil, Trochon*), sed hac interrogatione optime delineat, quid populus secum iudicet, quo animo in Deum sint affecti; « illorum sensa promit, cogitationes aperit atque interpretatur. Mos Scripturae est dicere, quae quis cogitavit ab eo esse prolata, vel aliquem pronuntiasse, quae non protulit quidem, sed ita se gerit quasi ea sentiat ac proferat » (*Calm.*). Ingratum igitur eorum animum reprehendit, quo non agnoscunt neque in pretio habent praerogativam collatam (*Theod. Theod. M.*).

Eorum murmur et impatientiam Deus exemplo et demonstratione praesenti et quasi palpabili castigat et retundit : « *nonne frater erat Esau Iacob, dicit Dominus, et dilexi Iacob,* v. 3 *Esau autem odio habui et posui montes eius in solitudinem et hereditatem eius in dracones deserti* » ? — i. e. *hereditatem eius* (dedi) *thoibus deserti* vel canibus aureis, qui saepe ad vastitatem et loca deserta designanda a prophetis inducuntur (cf. Is. 13, 22 ; 34, 13. Ier. 10, 22 ; 49, 33 etc.). Deus illis in memoriam revocat, quam diversa fortuna utantur et quam felici prae Edomitis, quamvis et ipsorum et illorum origo ad unum eundemque

patrem, ad duos eiusdem patris filios, ad fratres Iacob et Esau ascendat. Unde cum emphasi primo loco ponitur *praedicatum*: nonne *frater* erat Esau Iacobo? Duo sunt populi sanguinis cognatione intime coniuncti et tamen quam diverso loco et ordine a Deo habentur? ***Dilexi Iacob*** etc. potissimum spectari posteros Iacob et Esau, multi interpretes (cf. *Sanct. Lap. Tir. Reinke* — et partim iam *S. Hier.*) rite agnoscunt et indubie ex eo colligitur, quia tamquam argumentum odii divini in Esau affertur, regiones Edomitarum ita esse vastationi traditas, ut ad instaurationem stabilem gens Edomitarum iam non sit perventura. Elucet igitur amor Dei praeclarus ac prorsus gratuitus in eo erga Iacobitas, erga populum Israel [1], quod populum propter peccata enormia in exsilium eiectum nihilominus revocavit, eorum rempublicam instauravit et in hac ipsa instauratione documentum iis et pignus exhibuit instaurationis etiam magis gloriosae i. e. messianicae; eos igitur ***dilexit***, eos misericorditer ex afflictione et poena eripuit, eos qui nil tale meriti erant, cum gratia et amore denuo suscepit et ad patriam reduxit paratus etiam maiora praestare. Aliter autem egit et agit cum Edomitis. Etiam ipsi propter varia peccata poenas debitas incurrerunt; subiecti sunt et dispersi; regnum eorum est destructum, regio deserta; ergo factum est, quod prophetae contra eos vaticinati erant (cf. Am. 1, 11. 12. Abd. 4 seq. Ier. 49, 7 seq.). At Deus odium illud quod Edomitae contra se provocaverant, non aufert, iis non ita reconciliatur, ut eorum regnum restituat, verum eos in afflictione et desolatione quam amplissime meriti sunt, derelinquit. Israelitis igitur misericorditer ignovit, Edomitas iuste relinquit in ruina quam ipsi sibi intulerunt; illos ergo diligit gratuito, hos iuste propter scelera admissa odio habet.

Habes igitur in utroque populo adumbratam divinae gratiae et iustitiae administrationem ac dispositionem. Uterque populus ***sua culpa*** peccavit: alter misericorditer a Deo reparatur, alter in miseria relinquitur : alter sine ullo merito diligitur, alter iustissimis ex causis odio habetur. Deus enim miseretur cuius vult, et gratuitae divinae electionis participem fieri non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei.

In hac acceptione illud ***Esau odio habui*** iam non adeo durum sonat, uti multis videtur. Dicit enim nihil aliud, nisi Deum Edomitas peccatores iusto prosequi odio; insuper qua in re odium istud cernatur et declaretur, statim ab ipso vate subditur ut iam *S. Ephr.* notat : ***et posui montes*** etc. Quare omnino ad rem advertit *Rib.* : « atque ut explicet, quid

1. Ita frequenter *Iacob* adhibetur; v. g. Num. 23, 7. 10. 21. 23; 24, 5. 17. Deut. 33, 10. 28. Is. 9, 8; 14, 1; 27, 6; 40, 27. Ps. 13, 7; 43, 5 etc.; eodem modo *Esau* v. g. Ier. 49, 8. Abd. 6. 8.

sit odio habuisse, ait *et posui* i. e. feci ut eius urbes a Chaldaeis vastarentur et draconibus deserti habitandae traderentur; vos autem etiamsi capti ab iisdem Chaldaeis fueritis, reversi estis in patriam vestram eamque tranquille incolitis », et *Men.* : « cuius odii argumentum statim subdit ». Regio Edom vel Seir montibus est conspicua; quare saepe *montes* Seir commemorantur (cf. Gen. 14, 6; 36, 8. Deut. 1, 2; 2, 1 etc. Ier. 49 16. Abd. 4 et c.).

Quamvis igitur posteri Iacob et Esau potissimum intelligantur, tamen in hac divinae praedilectionis demonstratione ipsum etiam patriarcham Iacob eiusque fratrem Esau respici, certum videtur, quia sermo cum emphasi effert : *nonne frater* etc. Utriusque enim populi sors iam adumbrata est in utriusque parentis indole varia et sorte diversa. Iacob divina praedilectione praeventus sine ullo suo merito ad maiorem dignitatis gradum est evectus; ipse est constitutus in serie illa patriarcharum, ex quorum nominibus se Deus appellare dignatus est Deum Abraham, Isaac et Iacob; quare, ut Deus statim a primordiis populi electi liberam suam ostenderet electionem eamque a naturali praerogativa independentem, non Esau, sed Iacob in ius et benedictionem primogeniti succedere voluit. Atque haec patriarchae electio ad dignitatem illam theocraticam causa etiam est et ratio, cur Deus etiamnum Iacobitas diligat, cur eos in patriam restituerit. Verissime igitur de ipso patriarcha dici valet : *Iacob dilexi.* An etiam de ipso Esau alterum illud : *Esau odio habui*? Id hoc loco de ipso Esau dici, mihi non est persuasum. Subiuncta enim probatio de solis Edomitis valet et quotiescumque apud prophetas Edomitis vastatio annuntiatur, eius ratio nunquam ad Esau neque ad eius peccata neque ad odium divinum vel minorem in Esau dilectionem refertur, sed unice ad superbiam, arrogantiam et inimicitias Edomitarum, quas in populum cognatum adeo contumaciter exercuerint. Cum igitur probatio ex Edomitis deprompta sit et de solis procedat Edomitis, etiam ipsam sententiam quae probatione illustratur atque declaratur, de Edomitis esse accipiendam censeo, et cum utriusque partis par sit ratio, Iacob quoque statim de Israelitis accipio : unde ad probandam divinam praedilectionem sermo divinus commemoratis duobus fratribus Iacob et Esau prius quidem eorum vocationem sortemque diversam in memoriam revocat, quae cum ex Geneseos narratione satis esset nota, ulteriore explicatione non indigebat, deinde vero statim transit ad variam Israelitarum et Edomitarum fortunam explicans et in memoriam reducens, quam misericorditer et gratiose Deus amore suo continuo prosecutus sit peccatores Israelitas, dum Edomitas peccatores iusto iudicio puniverit et puniat nec ruinam peccatis promeritam auferat i. e. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*

Neque haec verborum explicatio de populo a Iacob et Esau oriundo ullo modo pugnat cum argumentatione S. Pauli Rom. 9, 10-13, verum cum ea optime concordat. Adducit enim S. Paulus verba Malachiae; ergo a priore certum est ea adduci in sensu illo quem habent apud Malachiam. Sensus igitur loci originalis *primo* est exquirendus et secundum hunc argumentatio S. Pauli intelligenda. Concedo quidem si verba S. Pauli nude et per se spectentur, videri posse ea ad ipsos referri fratres. At si eius arguendi rationem, seriem et progressum bene excusseris, mox advertes, sensum e Malachia petitum non modo non pugnare cum argumento Apostoli, verum illud iuvare et explicare. Est enim Apostolus in ea epistolae parte totus in eo, ut probet a) aditum et vocationem ad regnum messianicum esse meram gratiam et gratuitam divinae benignitatis electionem ac misericordiam, b) quicumque puniantur et in suis peccatis relicti damnentur, puniri et damnari, quia quam maxime id promeriti sint. Hisce duobus S. Apostolus mysterium divinae electionis, in quantum hominibus illud suspicere fas est, illustrat et declarat. Iudaeis enim, qui vel suae stirpis nobilitate confisi sibi aditum ad regnum messianicum quasi *deberi* existimabant vel de parvo numero Iudaeorum Christi religionem amplectentium offensi eam repudiabant, ex populi electi historia prius probat, electionem ad theocraticam quandam dignitatem semper dependisse non a carnali stirpe, verum a Dei gratia : ita ex Abrahami filiis unus *Isaac* est electus ad dignitatem illam patriarchalem; ex eius filiis unus Iacob et quidem ita, ut iam ante nativitatem eius haec apud Deum electio firma fuerit atque rata : « non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei : quia maior serviet minori », i. e. *Iacob* fruetur iure primogeniti, Iacob decorabitur praerogativa patriarchali; ex hac autem electione efficietur, ut populus a Iacob oriundus dominaturus sit in populum ab Esau progenitum. Is enim sensus aperte ex verbis Geneseos quae a S. Paulo afferuntur, colligitur; cum enim parvuli in utero Rebeccae colliderentur, responsum accepit mater a Domino : « duae gentes sunt in utero tuo et duo populi ex ventre tuo dividentur, *populusque populum superabit et maior serviet minori* » (Gen. 25, 23).

Deus matri praenuntians sortem theocraticam diversam populorum a geminis eius progignendorum (*dictum est ei* αὐτῇ, scil. matri) directe et immediate, eo ipso mediate et indirecte ei annuntiat electionem Iacob prae Esau. Inde cernitur, verba ea : *maior serviet minori*, non de *ipso* solo Esau dici, uti et oratio contexta in Genesi et ipse probat eventus; nunquam enim Esau fratri suo Iacob servivit [1]. Si autem ne ea quidem

1. Potest tamen eo modo transferri in Esau, quo Esau simul cum suis posteris efficere ac constituere concipitur tamquam gentis parens ac caput unam quandam cum ea personam moralem.

verba ad ipsum Esau et Iacob pertinent, sed posteros eorum spectant, multo magis id de subsequentibus valet : « sicut scriptum est : Iacob dilexi, Esau autem odio habui ». Hisce enim Apostolus iam ad alterum illud quod ostendere vult, gressum facit, scil. quicumque puniantur, iuste puniri, simul indicans, qua ratione per saeculorum cursum id in opus deductum fuerit, quod oraculo priore *maior serviet minori* annuntiabatur ; unde addit *sicut scriptum est*, quasi dicat : ecce quod in Genesi est praedictum, cernis ab ultimo demum propheta ex utriusque populi historia demonstratum et probatum : sine suo merito diligi populum Iacob, iuste puniri populum Esau. Atque utramque veritatem in brevi formula enuntiatam : *Iacob dilexi, Esau odio habui*, Apostolus in subsequentibus magis declarat, priorem illustrans verbis ad Moysen dictis v. 15. 16, alteram alio demonstrans exemplo in Pharaone conspicuo v. 17. 18, ita viam parans doctrinae quam postmodum enuntiat de vasis misericordiae et de vasis quae se ipsa aptaverunt in interitum (v. 22 seq.) et quam brevi complectitur dicens : « vide ergo bonitatem et severitatem Dei » (Rom. 11, 22).

Ex hisce apparet, neque illis assentiendum esse qui hos locos de praedestinatione ad gloriam et de reprobatione accipiant, neque illis qui dilectionem Iacobo praestitam et odium in Esau exhibitum ad sola bona temporalia (cf. *Sanct. Lap. Tir.*) restringunt. Non prioribus ; nam neque apud Malachiam neque apud S. Paulum sermo instituitur de praedestinatione ad gloriam, sed de electione et vocatione ad aditum regni messianici vel ad dignitatem quandam theocraticam, non autem praecise et per se de vita aeterna ; non posterioribus, nam bona Iacob et Israelitis collata et praerogativa illa et institutio et restauratio theocratiae in re et significatione et beneficiis adnexis multum excedunt ordinem bonorum mere temporalium.

Qui *odium habere* de ipso Esau accipiunt, ad emolliendam locutionem viam ineunt duplicem. Vel enim locutionem mitigantes explicant de minore dilectione, de excellentia aliqua negata [1] — qua in re provocari potest ad locutiones similes obvias Deut. 21, 15 de uxore odiosa, Prov. 14, 20 de paupere odioso et praesertim ad Luc. 14, 26 : « qui non odit patrem suum . . . non potest meus esse discipulus » ; quod *odium* apud Matth. 10, 37 quale esse debeat, a contrario describitur : « qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus » ; vel etiam ad Gen. 29, 30. 31 de Lia odio habita et de Rachel plus dilecta quam Lia (cf. hebr.) ; quibus adde Luc. 16, 13 « unum (dominum) odiet, alterum di-

1. Vide inter alia *Benedicti Iustiniani* in omnes B. Pauli epist. explanationum I p. 239 (Lugduni, 1612).

liget » et Ioan. 12, 25 « qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam ». Vel dicunt, Esau esse odio habitum a Deo, quia eius peccata a Deo praevisa sint (cf. *S. Cyr. Alb.*) et a contraria ratione Iacob dilectum; « itaque secundum praescientiam dignus dilectione habetur Iacob et meretur odium Esau » (*Cyr.*). At haec sententia male sonat et errorem gravem facile inferre potest. Unde in ea explicatione prior via est terenda. Bene dicit *S. Augustinus* de priore versiculi parte: « non electione meritorum quae post iustificationem gratiae proveniunt, sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi »; sed ad alteram quam sibi ponit quaestionem: cur in utero positus Esau reprobatus sit? responsionem post longam rei disceptationem non aliam affert, nisi « Deus odit impietatem; in aliis eam punit per damnationem, in aliis adimit per iustificationem » (cf. ad Simplicianum I quaest. 2; *M.* 40, 115-123). An ergo peccatum originale causa est reprobationis? Vel an de sola reprobatione a gratia efficaci responsio erit intelligenda? Hae omnes spinosae difficultates vitantur in ea verborum acceptione quae supra ex contextu apud Malachiam est proposita.

De eodem loco *S. Hier.* quoque tractat ep. 120 ad Hedibiam quaest. 10; *M.* 22, 998 seq. In commentario ad Mal. 1, 2 rem breviter expedit: « in Iacob vos dilexi, in Esau Idumaeos odio habui. Quem locum Apostolus Paulus mystica disputatione eventilans scribit ad Romanos . . . non solum, ait, dilexi Iacob antequam nasceretur et odio habui Esau priusquam ex utero matris funderetur, sed in posteros eorum amorem meum et odium conservavi; odium in Esau, cuius montes redegi in solitudinem . . . odium igitur in Esau rebus ostendi ». Demum iuvat adscribere, quomodo *S. Thomas* (in ep. ad Rom. cp. 9 lect. 2) rem consideret: « Esau odio habui propter peccata . . . odium de quo hic loquitur pertinet ad reprobationem, qua Deus reprobat peccatores . . . Praescientia peccatorum potest esse aliqua ratio reprobationis ex parte poenae quae praeparatur reprobatis, in quantum scil. Deus proponit se puniturum malos propter peccata quae a se ipsis habent, non a Deo ».

Verum ab hac disceptatione quae potius ad theologos pertinet revertendum est ad quaestionem exegeticam. Illud *et posui montes eius* rite plerique interpretum de vastatione regionis edomiticae per bella intelligunt (cf. *S. Hier. Cyr. Theod. Theod. M. Rib. Sanct. Sa, Lap. Men. Mar. Calm. Reinke, Trochon*); unus *Schegg* ita accipit, ut Deus dicat se ab initio pro Esau montes hos destinasse eosque propterea collocasse in deserto et hereditatem eius statim ab initio constituisse inter dracones et bestias deserti. At huic expositioni et verba repugnant et res ipsa et contextus; *verba*, nam *posui montes eius desolationem et hereditatem draconibus* illum sensum nequit habere vel saltem non habet nisi coacte,

cum שׂוּם duplici accusativo iunctum idem sit quod latinum reddere, facere montes eius desertos (cf. Ps. 39, 9); *res* repugnat, nam regio edomitica non erat adeo deserta et sterilis; e contra Gen. 27, 39 Esau accipit benedictionem : « in pinguedine terrae et in rore coeli erit benedictio tua » ; montes quidem Seir qui stricte dicuntur, horridi sunt et steriles, at altera regionis edomiticae pars El-schera (Esch-scherat) amoena est et frugifera (cf. *Schenkel*, Bibellex. II, 52). Demum contextus aliud suadet; nam v. 4 sermo est de *destructionibus* quas reparare et reficere volunt; ergo sermo est de vastatione ab hoste illata, non de desolatione a natura et origine regioni congenita.

Alia est quaestio, quando haec vastatio et a quo sit effecta. Dubitandum non est, quin a Chaldaeis sit profecta sub Nabuchodonosore; de qua re cf. Ier. 27, 3 seq., ubi etiam ad regem Edom mittuntur vincula et catenae et de Edom quoque dicitur : dedi terras istas in manu Nabuchodonosor regis. Accedit, quod argumentatio vatis eo est efficacior, si ab eodem populo et Israelitae et Edomitae sint destructi ita tamen, ut illis restitutis hi in ruina et abiectione maneant. Dum Nabuchodonosor Tyrum oppugnaret per 13 annos, tempus et occasio aderat ad gentes illas circa Palaestinam vastandas. Refert *Flavius Iosephus* (Antiq. 10, 9, 7) quinto ab urbe destructa anno Aegyptios, Ammonitas et Moabitas a Chaldaeis fuisse expugnatos et subiectos; nonne hisce bellis etiam Edomitas fuisse afflictos probabilissimum erit (cf. *Reinke*, Mal. p. 212)?

Hebr. לְתַנּוֹת LXX vertunt εἰς δώματα; sim. *Syrus*; vertit *Chald.* in vastationem; *Sym. Theod.* εἰς ἀνεπίβατα (cf. Hexapl. fragm. *M.* 16, 3007 et cod. syr. hexapl.). Sed plerumque vocem hebr. explicant תַּנִּים et bestias deserticolas, thoes intelligunt; iam *Aq.* vertit εἰς σειρῆνας; *S. Hier.* dracones; recentiores plerumque serpentes vel canes aureos (cf. *Ros. Hitz. Reinke* l. c. 217); quae versio commendatur eo quod vocem non a radice תנא quae in hebr. est inusitata, sed ab usitato תַּן derivat; insuper ad vastitatem describendam prophetae regiones a bestiis incoli saepe efferunt; cf. Is. 13, 22; 34, 13. Ier. 10, 22; 49, 33; 50, 39 etc.

Quam diversa sit post eadem peccata et similem ruinam sors utriusque populi, ad oculum demonstratur consilio Dei, quo etiam clarius proponit, quanta Israelitas dilectione et quali Edomitas odio prosequatur v. 4 « *quodsi dixerit Idumaea : destructi sumus, sed revertentes aedificabimus quae destructa sunt, haec dicit Dominus exercituum: isti aedificabunt et ego destruam, et vocabuntur termini iniquitatis et populus cui iratus est Dominus usque in aeternum* »; —hebr. *Edom*; Edom nomine Esau vocabatur; cf. Gen. 25, 30; 36, 1. 8. 19; inde nomen totius regionis et populi; cf. Gen. 36, 9; hebr. *et revertemur et aedificabimus ruinas*

(desolationes) i. e. iterum aedificabimus; damna illata reparabimus. Similiter olim Samaritani dixerunt « in superbia et magnitudine cordis: lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus aedificabimus; sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus » (Is. 9, 9. 10). At frustra; si rempublicam instaurare tentaverint, Deus ipse eam destruet; vane laborabunt; nam « nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt qui aedificant eam » (Ps. 126, 1). Hebr. *et clamabunt eis: terminus impietatis* vel *vocabunt eos...* regio eorum tamquam regio impiorum divino maledicto percussa iacet, ita ut Domini vindictam ultricem omnes statim agnoscant et « regionem illam exsibilent et subsannent, dicentes: quam scelerata fuit haec terra, quam Dominus ita desolavit » (*Lap.*). Minis istis non excluditur, posse Edomitas a ruina illata respirare et aliquatenus rempublicam instaurare; verum hanc reparationem non fore stabilem, sed alia ruina esse excipiendam certo praedicitur. Quod revera aliquo modo instauraverint eversa, ex eo liquet quod a Machabaëis iterum vastati sunt (1 Mach. 5, 3. 2 Mach. 10, 16; *Iosephus*, Antiq. 13, 17, 9); tandem a Ioanne Hyrcano subiecti et ad circumcisionem adacti sunt (cf. *Sanct. Reinke*). « Iram meam aeterna eorum vastitas approbabit.... ex comparatione malorum quae frater vester patitur, Dei in vos beneficia sentietis » (*S. Hier.*)

Tunc abiecta murmuratione et pusillanimitate in laudem Dei prorumpent: v. 5 « *et oculi vestri videbunt et vos dicetis : magnificetur Dominus super terminum Israel* »; — hebr. *magnus est Dominus ultra terminum* (fines) *Israel* : LXX ἐμεγαλύνθη. Cum gaudio ac tripudio confitentur et praedicant magnificam Dei maiestatem, quae se potentem et gloriosam exhibet non tantum in Israel, verum ultra eius fines, ubique terrarum, in exaltatione suorum et in castigatione peccatorum. Exclamatio haec admirabunda et laus Dei, ad quam tandem aegri et impatientes eorum animi (cf. v. 2) assurgent, quam optime describit praeclaram instaurationem et eximiam divinae praedilectionis exhibitionem, qua demum recreati exornabuntur : dum Edom vastatio est aeterna, Deus Israel in medio populo suo et apud gentes exaltabitur; cum Deo suo etiam Ierusalem glorificabitur : « super te orietur Dominus et gloria eius in te videbitur, et ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui » (Is. 60, 2. 3). Hac spe se de rebus afflictis solentur ; hac spe vero etiam condemnent et abiiciant omnem animorum moerorem, impatientiam, socordiam ; hac spe ad omnem virtutem et obedientiam Deo praestandam se excitent ! Unde prooemio utitur sacer vates aptissimo, efficaci, temporis necessitati accommodato.

PARS PRIOR

REPREHENDUNTUR SACERDOTES 1, 6-2, 9.

Arg. — Sacerdotes immemores Dei honoris et timoris ei sacrificia polluta et immunda offerunt; quare eius gratiam frustra implorant et exspectant (1, 6-9). Illa sacrificia Deus repudiat; purum enim postulat, quod demum tempore messianico per universum orbem ei offeretur (1, 10-11). Nunc vero altare Dei contemptui habetur et indigne tractatur. At divina maledictione scelus tale punietur. Quod si sacerdotes non removerint, egestate et abiectione et maledictione a Deo punientur (1, 12-2, 4). Pactum enim Domini foede violarunt et a vera sacerdotis forma in Levi egregie adumbrata, quae doctrina et sanctitate ad hominum mores emendandos consistit, non solum ipsi turpiter recesserunt, sed etiam populum seduxerunt; quare omnium contemptui merito exponentur (2, 5-9).

a) Sacerdotes despiciunt Dominum 1, 6-9.

In prooemio divinam erga populum praedilectionem ostenderat vates. Iam quid Domino rependitur? Bene nexum effert *Alb.* : « posito beneficio gratuitae dilectionis e contra ostendit Iudaeorum ingratitudinem et ad hoc utitur humana similitudine et ratione ». Incipit a parte potiore, a sacerdotibus, qui peculiari ratione electi sunt, ut Deo appropinquent Deumque glorificent (Lev. 10, 3; 22, 3), quorum exemplum adeo multum valet in vulgus. Nam, ut h. l. adnotat *S. Cyr.* : « subiecta multitudo pene in omnibus principum bona exempla sequitur, nec mediocre detrimentum accipit, cum eos reverentiam erga Deum posthabere cernit; statim enim eodem redigitur et desidia in cultu divino simul languet et ad magistrorum supinam negligentiam fingitur ». Atque convenienter « correctionem suam incipit propheta a correctione sacerdotum, quia reformatio reipublicae et laicorum pendet a reformatione cleri et sacerdotum » (*Lap.*).

Obiurgationem e veritate et usu communi et a lege ubique expostulata, quam ipsi sacerdotes a suis rigorose sane exigunt, illustrat et auget : v. 6 « *Filius honorat patrem et servus dominum suum. Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dominus exercituum ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum et dixistis : in quo despeximus nomen tuum* »? — iure naturae, divino et humano honorare tenetur et si vere filius est, qua-

lis esse debet, reipsa *honorat* i. e. amorem praestat et reverentiam et obedientiam (*Lap.*) ; similia officia incumbunt servo fideli. Saepius Deus tamquam populi sui *pater* i. e. creator et beneficentissimus bonorum omnium largitor, qui genuerit populum, portaverit, nutriat, in s. Scriptura exhibetur (cf. Ex. 4, 22. Deut. 32, 6. Is. 63, 16 ; 64, 8), et Deus qui parentum iura sua lege est tuitus (Ex. 20, 12. Lev. 19, 3. Deut. 5, 16), hanc legem etiam erga se observari vult. Quare eos acerbe reprehendit, qui *labiis* eum vocant *patrem, Dominum*, reipsa autem turpiter negligunt. Quoties v. g. sacerdotes et levitae in psalmis canendis Deum appellant laudantque *Dominum*? at quam inconsiderate ! Unde Dominus conclusionem infert : ubi est timor et honor mihi debitus vestra ipsorum confessione? Ergo de eo tempore valuit quoque illud : labiis me honorant, cor eorum longe est a me. Cum emphasi dicitur *ad vos*, i. e. « vos quibus divinum ministerium commissum est quique duces ceteris ad virtutem esse debetis, vos ita vivitis, ut nullo me dignum respectu ostendatis » (*Theod. M.*), cum tamen « eiusmodi habeatis dominum, qui omnium rerum visibilium et invisibilium simul imperium tenet» (*Theod.*) ; quare *Dominus exercituum* vocatur (cf. Os. 12, 5). Verum sacerdotes ita callum obduxerunt, ut mirentur talem fieri ipsis obiurgationem. Putant enim se rite omnia peragere. Ad eiusmodi mentem designandam propheta eos facit interrogantes *in quo...*? Quaestionis vim bene perpendit *Theod.* : « vos autem nec huius rei sensum capitis nec delictum cognoscere vultis ; illud enim *dixistis* : *in quo despeximus*? hoc significat ; non quod eiusmodi verbis usi fuerint, sed quod istiusmodi cogitationes habuerint » ; quaerunt enim et expostulant, « quasi nulli se peccato obnoxios putarent, sed strenue sacerdotali satisfecisse muneri et divino honori cumulatissime consuluisse » (*Sanct.*). *S. Hier.* autem in modo quaerendi cernit dissimulationis impudentiam qua vulnus conscientiae protegant.

« Vultis ergo scire in quo despexeritis nomen meum » (*S. Hier.*)? Responsio datur v. 7 « *offertis super altare meum panem pollutum et dicitis : in quo polluimus te? in eo quod dicitis : mensa Domini despecta est* » ; — *panis* לֶחֶם, uti rite iam advertunt veteres aliqui et recentiores approbant (cf. *Vat. Clarius, Lap. Mar. Men. Tir. Calm. Reinke, Schegg, Keil, Trochon*), dicitur omnis victima Deo oblata, utpote *cibus Dei* (cf. Lev. 21, 6 ; 22, 25 et praesertim Lev. 11, 3. 16 hebr.). Ita h. l. etiam intelligi, ex eo patet, quia in subseq. de sacrificiis animalium est sermo ; illa vero adolebantur et cremabantur in cibum oblationis Domino (Lev. 11, 3. 16 etc.), vel in odorem suavitatis Domino etc. Est enim, ut *Lap.* notat, sacrificium etiam convivium quasi Dei, in quo Deus cum hominibus quasi comedere et bibere videtur ; dein « quod ignis devorabat et

consumebat, hoc censebatur Deus per ignem repraesentatus edere et consumere » (*Lap.*). Quare non opus est, panem solum explicare de oblationibus similae, placentarum etc. [1] (*S. Cyr. Sa, Sanct.*); multo minus intelligi possunt (cum *S. Hier. Theod. M.*) panes propositionis; isti enim *altari* non imponebantur. Panis i. e. sacrificia sunt *polluta*, si victimae offeruntur non secundum legis praescripta; excludebantur autem animalia caeca, clauda, manca; victima debuit esse absque macula; si secus, non licuit eam offerre (cf. Lev. 25, 19-25. Deut. 15, 21) nam « noli offerre munera prava, non enim suscipiet illa » (Eccli. 35, 14). « Atque ita quidem agentes, inquit, ne considerare quidem voluistis rei actae absurditatem. Nam vocabulum *dicitis* hic etiam pro animi affectione ponit; id est, quasi nihil feceritis, ita animo affecti estis socorditer et absque sensu tantam patrantes iniquitatem » (*Theod. M.*). Deus vero dicitur pollui, cum ei polluta munera offeruntur, quia eo facto Deus contemnitur, ignominia afficitur et a sacerdotibus et offerentibus vilipenditur (*Rib.*). Deum autem polluunt, cum ignominia tractant et omnium despicatui exponunt, quia mensam Domini i. e. aram reipsa despicabilem faciunt et contemptam, quae quasi indigna sit honore et debitis sacrificiis. Eo ipso enim quod talia sacrificia admittunt, aram Dei ut rem vilem apud populum traducunt. Talis contemptus etiam augebatur forma templi et altaris viliore (cf. Esd. 3, 12. Agg. 2, 4).

Iam qua ratione id perpetrent, explicatur v. 8 « *si offeratis caecum ad immolandum, nonne malum est? et si offeratis claudum et languidum, nonne malum est* »? — magis nervosa est accusatio sacerdotum in textu hebr. per formam affirmationis : *et cum affertis caecum ad immolationem, non est malum* etc. non id a vobis malum et perversum neque illegitimum reputatur. Conscientiam iam habent satis obtusam et cum legis violatione talem inierunt familiaritatem, ut turpem rem iam existiment rectam et bonam vel saltem reprehensione carentem. « Et rei absurditatem ostendens ait » (*Theod. M.*) : « *offer illud duci tuo, si placuerit ei aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum* »; — de *duce* cf. Agg. 1, 1; hebr. *num te benigne excipiet* (in te delectabitur, tibi propitius erit) *aut gratum te habebit? faciem suscipere* idem est atque alicui favere, ab eius partibus stare, eum gratum et acceptum habere. Bene exemplum expendit *Theod. M.* : « agesis, si rei peractae absurditatem non agnoscis, fac periculum in offerendo principi et videsis, num excipiat, num tui reverens hanc iniuriam dissimulet? Nonne contra

1. Qua in acceptione panem pollutum intelligunt panem *fermentatum* (cf. Lev. 2, 4. 11; 6, 17; 7, 12. Num. 6, 15. 19 etc.). Ita *S. Cyr. Barh. Rib.* At panis fermentatus non ab omni sacrificio excludebatur; cf. Lev. 7, 13; 23, 17.

a te magis offensus quam honoratus contumeliose te reiiciet cum tali oblatione tua »? « et hoc audetis Deo offerre, quod dare hominibus non audetis » (*S. Hier.*)? Exemplum hoc omnino supponere videtur, talem adfuisse ducem, cui munera et tributa et vectigalia erant solvenda; nam si duci nihil erat offerendum, si ergo poneretur *casus fictus*, vis sermonis esset valde manca et oratio satis languida. Nehemias autem nihil a popularibus accepit ex iis quae ut dux postulare potuit (Neh. 5, 15-19). Unde haec dicta sunt tempore, quo Nehemias in Babyloniam ad aulam regis erat reversus (Neh. 13, 6); vide supra p. 413 . Hac suppositione facta argumentatio est vere *ad hominem*.

Cum ita reverentiam Deo tot titulis debitam seponant, qua ratione sacrificia Deo fore accepta precesque exaudiri vana spe sibi promittunt? Quare cum ironia eos iubet v. 9 « *et nunc deprecamini vultum Dei, ut misereatur vestri (de manu enim vestra factum est hoc), si quomodo suscipiat facies vestras, dicit Dominus exercituum* »; — i. e. « cum tales sitis et eiusmodi sacrificiis irritetis me potius quam placetis, in vanum deprecabimini; cuius rationem reddit, *quia de manu vestra factum est hoc*; quod perinde est atque si diceret : a vobis est hoc opus i. e. a peccatoribus... neque ista mala videtur explicatio » (*Sanct.*). Eundem sensum *ironicum* etiam agnoscunt *Clarius* et *Arias Montanus* (teste *Lap.*), *Reinke, Schegg, Keil*; recte quidem; eum enim sensum suadet parenthesis, qua propheta denuo eos reprehendit de tam absona agendi ratione — *a manu vestra factum est hoc* — suadet interrogatio subiuncta in hebr.: *num accipiet a vobis* (vestra causa, propter vos) *facies* i. e. num Deus alicui propitius erit vel esse poterit propter vestram agendi eumque placandi rationem? num vos tales estis vel talia facitis, ut Deus placari possit? Idem demum suadetur iis quae immediate sequuntur. Pergit enim propheta in reprehensione, immo eam auget dicens satius esse, si omnino non sacrificarent; talia sacrificia prorsus repudiari a Domino (v. 10). — Alii tamen veram ac seriam ibi deprehendunt admonitionem (cf. *S. Hier. Cyr. Theod. Theod. M. Rib. Lap. Trochon*); dein latinum *si quomodo* etc. rei difficultatem ostendit et ea dubitatione tacite incitantur, ut eo ardentius orent et ex animo agant poenitentiam (cf. *Rib. Men.*).

b) De nova oblatione munda 1, 10. 11.

Pergit Deus in reprehensione sacerdotum eamque auget dicens satius fore ut fores templi claudant et omnino nullam inferant oblationem. Modus est loquendi eius qui cum indignatione rem sacram adeo profane tractari conqueritur. Ita quidem ex hebr. ad literam : *quis etiam ex*

vobis et claudat fores et non incendat altare frustra; locutio est exoptantis (cf. 2 Sam. 15, 4. Iob 19, 23) : utinam etiam (potius) aliquis fores clauderet neve frustra altare incenderet; *frustra* id fit, quia Deo displicet qui tali sacrificio non placatur sed irritatur ; ita *Clarius, Vat. Figuerius* (apud *Sanct.*), *Sa, Mar. Schegg, Reinke, Keil, Pressel, Trochon* ; quem sensum etiam *Chald.* exprimit. — Aliter ex versione *S. Hier.*; illorum enim negligentia ex eo perstringitur, quia quamvis mercedem et emolumenta ex altari cultuque sacro percipiant, tamen adeo contemptim res sacras tractant : v. 10 « *Quis est in vobis qui claudat ostia et incendat altare meum gratuito* » ? — i. e. merces penditur pro minimo quoque servitio ; cur ergo rem negligitis ? « nullus enim in vobis usque ad extremum ministerium, non dico pontifex, non sacerdos, non levita, non cantor, sed nec ianitor quidem et is qui ignem supponit altari ad cremandum holocausta, qui non a me mercedem accipiat laboris sui ; hoc autem dicens decimas significat omnium frugum, quae offeruntur a populis. » (*S. Hier.*) et ea quae de sacrificiis cedebant in usum ministrorum altaris. Ergo : « mihine gratis obsequimini ? cur ergo remissam adeo servitutem mihi exhibetis » (*Calm.*) ? et sim. *Rib. Lap. Men. Tir.*

Eundem sensum *S. Cyr.* scribit etiam subesse textui hebr. ; ita enim habet : « sciendum Hebraeorum editionem alium sensum reddere alio verborum contextu ; dicit enim : vos et levitae et sacerdotes qui extremum in templo locum obtinent, a vobis constituti, ut ostia claudant, non accendetis altare meum gratis, hoc est, sine mercede non servitis, sive sacerdotio non fungimini, cum populus decimas et primitias et dona gratiarum actoria vobis offerat ». Alii in versione latina accusationem avaritiae deprehendunt (*Rup. Alb. Sanct.*). Id certe minus apte, quia talia servitia *gratis* praestare nemo tenebatur et ministri altaris de altari vivant oportet, cum aliunde sibi victum quaerere neque deceat nec commode fieri possit. *S. Hier.* omisit particulam negativam in altero membro ; eam vero tuentur LXX, *Syrus, Chald.* et sensus omnino exigit. LXX legerunt כִּי (pro מִי), uti etiam unus cod. hebr. apud *de Rossi* habet, et sensum efferunt alium : propterea et in vobis claudentur ostia et non succendetur altare meum gratis i. e. Deus minitatur fore, ut templi ostia claudantur et ignis sacrificialis exstinguatur ; abolitionem igitur hoc iam loco praedici (cf. *S. Cyr.*) ; δωρεὰν explicat *Theod.* : « non patiar temere (μάτην) victimas offerri, cum ad neminem utilitas ulla inde perveniat ». Illud *frustra* reddit *Chald.* : ne offeratis hostiam exsecrandam super altare meum ; intellexit porro הָאִיר de crematione hostiae ; sim. *Syrus* : ne offeratis.

Dixit : satius esset ostia claudere templi (i. e. atrii interioris, ubi erat altare holocautomatum) et ignem sacrum in altari omnino non accendere, quam hostias offerre immundas et pollutas contra legis praescriptum. Indignationem suam ulterius pandit addens se iam nullo in eos beneplacito,

nulla propensione tangi et non solum animalia illa caeca et languida tamquam victimas repudiare, verum etiam aliud sacrificiorum incruentorum genus nolle accipere ab eorum manibus : « *non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra* » ; — hebr. *non est mihi beneplacitum in vobis* ; *munus* מִנְחָה dicitur quidem aliquoties sensu generico de sacrificiis generatim vel etiam de sacrificiis cruentis (cf. Gen. 4, 4 sacrificium Abel dicitur *minchah* ; 1 Sam. 2, 17 etiam de cruentis sacrificiis est sermo), dicitur quoque saepe de *donis* et muneribus, quae principibus et nobilibus offeruntur (cf. Iud. 3, 15. 1 Sam. 10, 27. 1 Reg. 5, 1. 2 Reg. 17, 4. Ps. 45, 13. Os. 10, 6 etc.) ; at in usu liturgico vox est sollemnis et *terminus technicus* de sacrificio incruento, de *ferto*, de oblatione frumentacea, quae farina, polenta, libis constabat et cum oleo, sale, thure in igne altaris cremabatur et cui libatio vini quandoque iungebatur ; cf. Lev. 2, 1 seq. 6, 7.

Talia sacrificia incruenta offerebantur vel pro arbitrio atque devotione singulorum, vel ex legis praescripto ; hoc v. g. obtinebat in iugi sacrificio quotidiano (Num. 28, 5). Iam quo sensu vox *minchah* erit h. l. capienda? Sunt qui eam h. l. sensu generico de sacrificio in genere [1] accipiant (*Reinke, Trochon, Corluy*, Spicilegium dogmatico-biblicum, II p. 399), et tamen eandem vocem in versu subsequenti sensu stricto explicent. Sed talis vocis eiusdem in sententiis immediate iunctis explicatio diversa non placet neque ulla adest eius vel necessitas vel utilitas. Commodior est ac plane apta ea vocis acceptio quae in re sacrificiali unice locum habet. Versu enim 7 Deus conquestus est de *cibo* polluto, qui cibus omnia sacrificia complectitur ; iam in subsequentibus prius sermonem fecit de sacrificiorum cruentorum genere (v. 8) eaque reprehendit ; nunc ad incruenta quoque sermonem transfert et ita id quod v. 7 indicaverat, per singulas suas partes est expositum. Ita simul sermonis habes *progressum* : declarat enim Deus se ab iis accipere ne illa quidem sacrificia velle, quae dummodo farina, simila, oleum, vinum et ceterae res adhiberentur, natura sua erant oblationes mundae Deoque placentes ; se igitur repudiare non solum sacrificia quae manca sint, verum ea quoque in quibus materia inepta ne eligi quidem poterat ; ergo *omne* sacrificium ab iis oblatum se fastidire et abiicere, magno cum

1. Etiam Is. 1, 13 contendunt *Reinke, Corluy* aliique vocem sumi sensu generico. At id ex textu non consequitur ; nam a) postquam v. 11 variae species sacrificiorum cruentorum reiectae sint, v. 13 sermo ad *incruenta* transit sacrificia ; ita *omnia* demum vituperari constat ; b) quia ibi adiungitur *incensum, minchah* sensu proprio retineri debet ; sacrificio enim soli incruento thus addebatur ; vel quia *suffimenti* mentio fit, etiam ferti mentio specialis exspectatur, ut omnes oblationum species recenseantur.

pondere manifestat. Quare hanc vocis significationem propriam h. l. bene censuit retinendam *Hitz.* qui adnotat : fertum quoque quamvis sit ex legis norma praeparatum nolle Dominum ex illorum manu accipere, quia propter prava sacrificia cruenta sacrificulos offerentes ipsos reprobet.

Quam vero dignus sit omni poena talis contemptus Deo exhibitus et quam merito Deus cum nausea sacrificia illa immunda et sacrificulos peccatores abiiciat et repudiet, sublimi modo et argumentatione *a maiori* ostenditur vaticinio duplici de maiestate et gloria Dei per universum orbem et in cunctis gentibus manifestanda et de oblatione munda ubique offerenda. Est scil. summa rei indignitas Deum adeo sublimem negligere, et si Deus gloriam suam splendide diffundere vult et manifestare ubique terrarum apud omnes gentes, plane tolerari nequit, ut haec gloria ei negetur a sacerdotibus populi electi, quorum erat gloriae illius diffusionem praeparare. Et si Deus mundam respicit oblationem ubique ei offerendam, certe res erat indignatione plena, huius oblationis typum, figuram, praeparationem adeo turpiter tractari ab iis, quos ad regale sacerdotium et messianicae sacerdotalis dignitatis adumbrationem evexerat. Decebat enim expiationem messianicam et summam oblationis mundae sanctitatem adumbrari sancte et digne i. e. oportuit vetera offerri sacrificia eo honore et decore, ea reverentia et devotione, quae ad tantam mysterii sacri significationem typicam rite exprimendam requirebatur.

Quare Deus haec omnia considerans iuremerito sacerdotes repudiat et sacrificia illa quae sacerdotum culpa utpote dignitate sua exuta iam non cultum a Deo expetitum adumbrare possunt. Ita ratio redditur pro antecedentibus in v. 11 « *ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus* » ; — tempus designatur messianicum ; primo enim Dei nomen magnum, i. e. Dei maiestas dicitur agnosci, celebrari, praedicari et omni obsequio honoris et excellentiae adorari per orbem universum inter gentes ; *a solis ortu* etc. totum designat terrae ambitum, quem sol ab ortu usque ad occasum perlustrat et lumine suo exornat (cf. Ps. 49, 1 ; 112, 3. Is. 45, 6 ; 59, 19) ; Deum autem per orbem universum et a gentibus agnosci et laudari, constanter a prophetis tempori instaurationis theocratiae, i. e. periodo messianicae adscribitur (cf. Is. 11, 9 ; 49, 6 ; 60, 9 ; 66, 19. Am. 9, 12. Mich. 4, 2. Ps. 21, 28 ; 71, 10. 11 etc.). Secundo offerri in *omni* loco mosaicae legis et institutionis abolitionem dicit, qua uno solum in loco, quem Dominus elegit, sacrificare licuit ; tertio offerri oblationem *mundam* inter gentes et a gentibus denuo conditionem indicat temporis

messianici, ubi et lex mosaica oblivioni est data (cf. Ier. 3, 16) et gentes remotis limitibus veteris theocratiae (cf. Mich. 7, 11) sunt sanctae et Deo placentes. Cum igitur ex serie prophetiarum indiciis adeo claris tempus messianicum designetur, non audiendi sunt qui propter participia hebr. non tempus futurum sed praesens describi volunt. Quasi non etiam apud Hebraeos participium adhibeatur de re futura (cf. Gen. 15, 14) vel quasi non sollemne sit apud prophetas res futuras praesentes sistere et tamquam praesentes videre et describere; cf. Is. 7, 14; 9, 5. Delineat enim participium statum et conditionem *permanentem* (cf. *Ewald*, Lehrb. §. 168 c). Textum hebr. optime vertes : ***in omni loco suffitur, offertur nomini meo et quidem oblatio munda***; LXX ἐν παντὶ τόπῳ θυμίαμα προςάγεται ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου καὶ θυσία καθαρά.

Ex hac versione graeca elucere videtur, hebr. מֻקְטָר habitum fuisse participium nominascens — suffimentum ; ita quoque explicant *Ges.* Thes. p. 1213, *Ros. Fürst L.*; ex antiquioribus *Vat.*, *Drusius*, *Pagninus*, versio *Tigurina*, versio *Iunii* et *Tremellii*, *Piscator* etc. (cf. Synopsis Critic. Ultrai. 1685, III p. 2152), ex recentioribus *Schegg*, *Pressel*, et ita explicari posse concedit etiam *Corluy* (Spicilegium, II p. 401). At scite advertit *Corluy* : « obstat tamen quod non est probabile duo participia eiusdem omnino formae sese immediate excipientia usurpari alterum ceu verbum, alterum ceu substantivum ». Et revera magis congruit, retento participio *verbali* vertere : *suffitur, offertur nomini meo* (cf. *Reinke*, *Keil*); duo illa participia *hophal* iunguntur asyndetos. *Vulg.* et *Syrus* et undecim codices hebr. (cf. *Reinke*) legunt particulam ו ante מֻגָּשׁ, sed eam omittunt ante מִנְחָה: quae lectio utpote facilior et ab antiquiore versione graeca aliena non caret suspicione. Textus enim hebr. bene explicatur : *suffitur, offertur nomini meo et quidem oblatio munda*; hac particulae collocatione *oblatio munda* cum emphasi effertur; de tali usu particulae ו vide *Ewald*, Lehrb. §. 340 b eumque cernis Iud. 6, 25; 7, 22. Eccl. 1, 5; 8, 2. 1 Chron. 9, 27. 2 Chron. 8, 13; 29, 27. Quaeri etiam potest, num versio *sacrificatur* sit plane accurata. Eam approbat *Corluy* ea ductus ratione, quia קטר in forma *hiphil* adhibeatur de omni genere et specie sacrificiorum. Sed si loci omnes inspiciuntur, deprehenditur verbum in significatione adolendi fere semper iungi accusativo rei quae adoletur; ita adolere adipem hostiarum vel hostiam ipsam vel fertum et memoriale; quare *S. Hier.* quandoque vertit *cremare* (cf. Lev. 1, 9. 17; 3, 11. 16; 4, 10. 35; 6, 5; 7, 5. 31; 8, 21; 9, 10. 20. 1 Sam. 2, 15. 16. 2 Par. 13, 11 etc.). Si autem absolute adhibetur, de oblatione suffimenti intelligitur et ita etiam plerumque a *S. Hier.* vertitur v. g. 3 Reg. 3, 3 accendere thymiama; 3 Reg. 11, 8; 13, 3 thura adolere, succendere; 2 Par. 28, 3 adolere incensum; Os. 2, 13 accendere incensum [1]; adde quod verbum in *piel* prorsus frequenter in hac significatione *suffire* occurrit. Unde censeo, usum linguae exposcere, ut etiam nostro loco vertatur : *suffitur*; ea notione verbum acceperunt LXX θυμίαμα et *Syrus*: et in omni loco ponentes aromata (thura) et offerentes nomini meo oblationes mundas; et eam notionem h. l. fere omnes interpretes retinent, neque ulla adest ratio ad aliam notionem deflectendi.

---

1. Excipe Ier. 48, 35, ubi מַקְטִיר vertit *sacrificantem*.

Hoc oraculum de tempore messianico valere, etiam inde patet, quia de tempore prophetae tale effatum nullo modo dici potest. Eo enim tempore nomen Dei apud gentes non erat notum ea ratione qua hic asseritur neque omni loco ei munda oblatio offerebatur. *Theod. M.* quidem verba refert ad gentilium sacrificia, qui in cultu suo numen venerantes verum Deum adorasse censeri possint : « ubique terrarum nomen meum cuncti sectantur cuiusque regionis incolae; nam singuli Deum colere satagunt eiusque nomen venerari ceu principis et domini, cuiuscemodi ego revera sum, adeo ut etiamsi errore decepti nomen iis quos non decet imponunt, nihilominus nomen adhuc meum quodammodo honorent omnes et in nomine meo sacrificia perficiant, dum omnium rerum maximam et excellentissimam iudicant divinitatem (τὸ θεῖον — numen divinum) ». Hanc sententiam cum plausu exceperunt suamque fecerunt *Arias Montanus, Hitz. Koehler* aliique; at perperam. Nam, uti iam adnotat *Bellarminus* (de Missa, I cp. 10 - de Controversiis II p. 986; Ingolstadii 1591), illa oblatio nullo modo dici potest munda, nec Deo vero offerebant; quae enim gentes immolant, daemoniis immolant non Deo, dicit Apostolus (1 Cor. 10, 20). Porro teste Apostolo eodem gentes cognoverunt quidem Deum, at non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed creaturae potius quam creatori servierunt (Rom. 1, 21-25), neque dici potest Apostolum Atheniensibus innuisse, cum aram deprehenderet inscriptam *ignoto Deo,* gentes ignorantes Deum coluisse. Apostolus enim ex hac inscriptione capit opportunitatem illis annuntiandi Deum revera illis ignotum ; nullo autem pacto docet Athenienses eousque verum Deum iam coluisse. Absurda quoque est sententia a *Hitz.* proposita, prophetam indicare voluisse, Iahve, Ormuzd, Iovem et forte alia deorum nomina non esse nisi varias unius eiusdemque numinis divini appellationes. Id quod, ut alia omittam, iam ex eo patet, quia propheta non dicit in universum Dei vel Divinitatis vel numinis nomen esse venerationi, sed distincte et expresse nomen Iahve Sabaoth magnum esse in gentibus. Quare alii[1], uti *Ewald, Pressel,* oraculum hoc referunt ad Iudaeos inter gentes dispersos qui fideliter Deo adhaereant eique sacrificia incensi variasque oblationes (scil. quae *teruma* תְּרוּמָה vocabantur) dedicaverint.

Sed obstant haud pauca. Falsa enim supponuntur; dein etsi ea concesseris, ne verbis quidem prophetae satisfieret. Gratis asseritur, Iudaeos

1. In quam sententiam iam praeit *Chald.* : « quocumque tempore vos feceritis meam voluntatem, ego suscipiam preces vestras et nomen meum magnum sanctificabitur per vos et preces vestrae ut oblatio munda coram me ». Eandem explicationem a Iudaeis afferri testatur *S. Iustinus* (*M.* 6, 745).

dispersos aliqua sacrificiorum genera obiisse; gratis quoque supponitur eos qui invitationi tam urgenti (cf. Zach. 2, 7) et frequenti non obsecuti inter gentes remanserunt, adeo pietate, fide, devotione eminuisse, ut et inter gentes fuerint Deo in gloriam et laudem et popularibus suis in exemplum proponi potuerint. Sed esto, fuerit utrumque; at verba prophetae aliud et maius indicant. Iudaei non poterant dici habitare a solis ortu usque ad occasum, habitare et offerre in omni loco[1] — quare *Hitz.* prophetam modum exaggeratione excessisse contendit —; dein *magnum nomen in gentibus* minime dicit, esse aliquos alterius nationis *inter gentes habitantes* qui nomen Dei venerentur, verum *ab ipsis gentibus* nomen Dei agnosci et magnifice laudari vel cum timore ac reverentia coli, quia eius potentiam et maiestatis magnitudinem sint expertae. Ita Deus dicitur exaltari in gentibus (Ps. 45, 11), ita in Israel magnum nomen eius, vel magnus in Sion, magnus in medio Israel (Ps. 75, 2; 98, 2. Is. 12, 6), quia se magnum praestitit erga Israel et ab Israel magnus agnoscitur; simili modo Deus dicitur glorificari in Pharaone et in exercitu eius (Ex. 14, 4. 17), in conspectu populi (Lev. 10, 3) in medio Sidonis (Ez. 28, 22) etc. non quia ibi apud exercitum Pharaonis sint aliqui, qui Deum agnoscant etc., sed quia suam potentiam et maiestatem terribilem ipsi Pharaoni et exercitui, ipsis Sidoniis etc. experiendam et quasi gustandam exhibet. Demum propheta effert, fieri mundam Deo oblationem, *quia* magnum est nomen eius in gentibus; Iudaei autem dispersi non obtulerunt munera, quia Deus gloriam suam gentibus manifestans ab iis colitur, sed e sententia adversariorum res est potius inversa: *quia* offerunt Iudaei inter gentes commorantes, nomen Dei est magnum in gentibus.

Alii saltem priorem vaticinii partem de tempore Malachiae valere volunt, ita v. g. *S. Ephr.*, qui nomen Dei magnum esse exponit in gentibus quae signa et mirabilia in Aegypto et in possessione terrae palaestinensis facta audierint; alii per exsilium babylonicum et Iudaeorum dispersionem et mirabilem eorum liberationem et reductionem, per prophetas v. g. Nabuchodonosori notos, Ieremiam et imprimis Danielem, per edicta Nabuchodonosoris, Cyri, Assueri, per victorias Cyri, qui in idololatriam Asiae et in Aegyptum iudicium divinum exercuerit, ingentem quandam factam esse volunt mentium animorumque gentium mutationem in melius et propensionem ad verum Deum agnoscendum et saniora vitae et doctrinae praecepta sequenda (cf. *Loch, Pressel*). Inde magnum

1. Id iam reposuit *S. Iustinus* in dial. c. Tryph. 117 (*M.* 6, 749): « quo tempore Malachias hoc dicebat, nondum dispersi eratis in omnes illas terrae partes in quibus nunc estis; id quod etiam ex Scriptura perspicitur ».

nomen Dei effectum esse in gentibus contendunt et hanc gloriam Dei a propheta hoc loco praedicari; immo *Loch* pro hac explicatione confidenter ad *S. Hier.* provocat; dici scil. a *S. Hier.*: « sic futurorum texit vaticinium, ut praesens tempus non deserat ». Utique ita dicit *S. Hier.* sed quo sensu? Is elucet ex verbis immediate praecedentibus: « cum, inquit, nomen meum magnum *sit futurum* in gentibus, o vos principes Iudaeorum, polluistis illud atque polluitis ». Sic ergo vaticinium *futurorum* infert, ut praesens tempus reprehendat. Dein adverte, *S. Hier.* explicite non de gloria nominis Dei iam praesente loqui, verum de futura. Atque recte quidem.

Nam quamvis per Iudaeos dispersos aliquam Dei veri notionem esse inter gentes propagatam nemo negaverit, ea tamen nullatenus talis erat, ut illi volunt. Ex monumentis cuneiformibus didicimus, Cyrum etiam diis Chaldaeorum templa erexisse, eum veneratum esse Bel, Nebo, Marduk, numina Babyloniorum, eum asserere recepisse mandata a Marduk, et aliis quoque gentibus permisisse reditum in sedes patrias (cf. *Vigouroux*, la Bible et les découvertes modernes, 3. edit. IV p. 460. 511 seq.; Civiltà cattolica, serie XII vol. 3 p. 526; vol. 5 p. 165; vol. 8 p. 405). Unde edicto Cyri non est nimium tribuendum; similiter enim de diis Babyloniorum loquitur, et optime intelligitur, cur de ipso dicatur: «accinxi te *et non cognovisti me* » (Is. 45, 5). Ergo non iam sermo esse potest de Cyro, veri Dei cultore, non iam de Persis quasi idololatriae destructoribus! Vim idololatriae iam tempore Malachiae esse confractam omnesque populos magno quodam impetu ad Deum unum adorandum fuisse propensos, quis de Asia, de Graecia, de Italia, de Aegypto id asserere potest? Ergo sensus oraculi nequit esse: nomen iam est magnum in gentibus. Ad summum aliquam Dei notionem spargi coeptam esse iure asseritur, sed vix verum erit dicere: nomen magnum fieri in gentibus iam coeptum esse. At si ita prophetam explicaveris: pudeat vos sacerdotes vestrae socordiae: ecce enim inter ipsas gentes nomen meum quod vos inhonoratis, iam incipit clarescere (quem sensum *Reinke* approbat), non repugnabo, dummodo *plenum* sensum magni nominis et oblationem mundam ad tempus messianicum retuleris.

Praedici pro tempore messianico veri nominis sacrificium, sanctum, Deo placens et Dei gloriam declarans et promovens, in ipsis verbis prophetiae et in oratione contexta continetur. Primo enim *verba* id enuntiant. Adhibentur quippe eae voces quae veram sacrificii rationem designant et frequentissime per totam s. Scripturam de sacrificio proprie dicto usurpantur. De הִגִּישׁ dubitari nequit, iam eo quia modo v. 7 vox est adhibita in sensu sacrificiali: *offertis* panem pollutum; item bis v. 8: si *offeratis* caecum ... si *offeratis* claudum et infra 2, 12 *offerre* munus, 3, 3

offerre sacrificia et insuper vide usum eundem Ex. 32, 6. Lev. 2, 8 ; 8, 14. Iud. 6, 19. Am. 5, 25. Esse autem מִנְחָה vocem propriam ad sacrificium incruentum designandum, apud omnes in confesso est (cf. Lev. 2, 1 seq. ; 6, 13 ; 7, 9. Num. 15, 4 etc.). Neque ullum adest indicium, vocem accipi vel posse accipi sensu metaphorico. Primo enim *minchah* nullibi sensu metaphorico de sacrificio analogico dicitur ; secundo ubi voces ceteroquin sacrificiales de sacrificio metaphorico usurpantur, id non fit nisi addita quadam determinatione, uti iam bene notavit *Bellarminus*, dici scil. v. g. sacrificium laudis, iustitiae, hostiam vociferationis vel sacrificium Deo esse spiritum contribulatum vel sacrificium sanctificationis, sacrificium salutare esse attendere mandatis (Eccli. 35, 2) vel : « qui facit misericordiam, offert sacrificium » (Eccli. 35, 4) ; neque obstat Ps. 140, 2 : « elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum » ; psalmista enim a Deo efflagitat, ut orationem ipsius tam benigne respiciat et gratam habeat, ut acceptum ei est et gratum sacrificium vespertinum, utpote a Deo ipso ordinatum.

Sacrificium veri nominis secundo h. l. prorsus exigitur *oratione contexta*. Adest enim, ut ait *Bellarminus* (l. c.), « antithesis contemptus et gloriae Dei : per Hebraeos sacerdotes contemptum ac despectum fuisse nomen Dei, sed per oblationem gentium glorificatum. Hebraei autem Deum offendebant in publico ac visibili sacrificio, ergo gloria Dei etiam nasci debuit ex publico ac visibili sacrificio ; alioquin maior fuisset contemptus illatus nomini Dei in sacrificiis Hebraeorum, quam gloria in sacrificio gentium ; ille enim fuisset contemptus interior et exterior et privatus et publicus, haec autem gloria esset solum privata et magna ex parte interior ». Reiectis porro sacrificiis Iudaeorum eorumque *minchah*, alia statuitur *oblatio* (minchah) *munda* offerenda ubique : ergo nisi ratio evidens contrarium persuadeat, in utroque membro de vero et externo sacrificio debet esse sermo ; neque effatum aliter ab iis qui Malachiam loquentem audierunt, intelligi potuit. Adde quod pollutis illis opponitur *munda* oblatio. Illa *polluta* erant ob vilitatem materiae et defectus varios contra legem ; oblatio ergo *munda* talis sit oportet quae in se ita sit excellens, ut nulla negligentia sacerdotum possit maculari. Denique oratio ita est conformata, ut reiecto cultu illo manco sacrificali *novus* cultus introducendus sit, « constat autem sacrificia spiritualia precum, psalmorum et similium rerum omnia fuisse apud Iudaeos ; ergo non loquitur de sacrificio spirituali, sed de sacrificio proprie dicto » (*Bellarminus*). Quare merito concludit *Corluy* : « si propheta aliud intendisset quam *sacrificium* gentilitatis externum, verum ac proprium, auditores suos voluntarie decepisset ».

Quale autem futurum sit sacrificium, ipso nomine *minchah* indicatur,

quae vox propria est et sollemnis ad sacrificium designandum incruentum, fertum. Vide supra p. 432 et cf. p. 441 infra. Quare omnibus, quae a propheta praedicuntur, optime respondet sacrificium Missae in Ecclesia catholica. Est scil. cultus sacrificialis externus ab ortu solis usque ad occasum i. e. per universum orbem Deo inter gentes et a gentibus, i. e. ab iis exhibitus qui potissimum natione non sint Iudaei; immo Ecclesia per orbem dilatata etiam eo sensu offertur a solis ortu usque ad occasum, ut nulla sit diei pars qua non in hoc vel altero hemisphaerio sacrificium offeratur. Haec oblatio fit in omni loco; fit reiectis Iudaeorum sacrificiis ita, ut eorum omnium significationem omnesque fines in se uno complectatur; per illud eximius, immo vero sensu infinitus Deo honor tribuitur, ita ut et tale sacrificium revera nomini eius *magno* debeatur et propter eximium istud ac dignissimum sacrificium honor nominis eius magni infi nito quasi splendore refulgeat et populis innotescat. Est oblatio *munda*, « quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest », ut optime ait Concilium tridentinum (Sess. XXII cp. 1); est *munda*, quia victimam continet sanctissimam, pretiosissimam; ideoque Deo est summe placens et accepta; congrue designatur per *minchah*, cum sit sacrificium incruentum et sub specie panis et vini oblatum merito referatur ad sacrificium farinaceum, ad fertum, qualia ex lege mosaica farina, polenta aut libis constantia cum oleo, sale, thure in altari offerebantur et cremabantur. Unde iure optimo Concilium tridentinum declaravit esse Missam oblationem illam, « quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam praedixit » (l. c.).

Hisce stabilitis solum reliquum est, ut quaeratur, quid sit *suffitur*. *S. Hier.* vertens *sacrificatur* notionem dat sacrificii generatim, quae adiecta determinatione *et offertur oblatio munda* ad certam sacrificii speciem restringitur, ita ut sermo a generali et indefinito ad particulare et definitum atque distinctum progrediatur. Magis cum textu originali h. l. concordant LXX et *Syrus* (cf. supra p. 434). Hebr. *suffitur* plerique *metaphorice* explicant de veneratione et adoratione Deo praestita, ita ut preces sint odoramenta (Apoc. 5, 8) et thymiama orationes sanctorum (*S. Hier.*). Metaphora inde peti potest, quod incensum adolere signum erat externum cultus interni et venerationis et adorationis; inde volunt incensum adolere esse orationis symbolum (cf. *Lap. Reinke*). Non nego varia in incenso eiusque odore excogitari posse, quae orationem piam apte adumbrent et symbolice exhibeant. At in interpretando non agitur, quid possit esse, sed quid *sit*; quaerendum scil. est, non utrum *nobis* eiusmodi metaphora familiaris, sed utrum *veteribus*, utrum Malachiae fuerit necne. Et in hac re experior difficultatem. Frequentissime enim in V. T. de suf-

fitu vel incenso est sermo; at *nullibi* sensu metaphorico, ubique sensu proprio (etiam Hab. 1, 16). Neque iure opposueris Ps. 140, 2 et Apoc. 5, 8. Nam « dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo » non ipsa oratio dicitur incensum, sed petitur, ut Deus orationem hominis habeat acceptam et gratam, sicut ei placet sacrificium thuris, quod etiam clarius, ut addit *Bellarminus* ad hanc textus acceptionem, posuit Daniel cum ait: « in animo contrito et in spiritu humilitatis suscipiamur, sicut in holocausto arietum et taurorum et sicut in millibus agnorum pinguium » (Dan. 3, 39, 40). In Apocalypsi autem non est locutio metaphorica, sed visio sensibus exhibita enarratur; at ex eo quod in tali *visione* phialae aureae plenae odoramentorum cernantur, ut exprimatur orationes sanctorum ascendere ad thronum Dei esseque gratas, non sane concludi potest, incensum in s. literis V. T. metaphorice dici pro oratione. Locutio vero metaphorica apud Malachiam etiam ex eo excluditur, quia cum *minchah*, quae vox metaphorice capi nequit, revera fere semper thus erat coniunctum (cf. Lev. 2, 1. 15; 6, 15; 24, 7). Quare non video, quomodo iure ad locutionem metaphoricam confugiamus. Neque id opus est. Nam ubique et frequenter in cultu liturgico *thus adoletur*, et adoletur in oblatione Missae sollemniore. Id casu ac fortuito fieri dicet nemo. Ergo revera prophetia *ad literam* impletur. Si autem *talis* est impletio, cur *eandem* esse praedictionem asserere dubitabis? Veram explanationem iam profert *Theod.* ita oraculum proponens: « omnium terrarum habitatores, quas sol exoriens et occidens radiis suis illustrat, et ubique incensum (θυμίαμα) mihi offerent et hostiam puram mihique gratam sacrificabunt ». Exinde tamen minime consequitur, incensum habere rationem veri sacrificii in N. T.; neque enim in V. T. thus ferto additum erat sacrificium distinctum, et cum in oraculo nostro ita coniunctum cum *minchah* efferatur, de *sacrificio* thuris cogitari nequit. Ceterum si dicitur *suffitur*, nihil aliud indicatur nisi quod verbum de se dicit; utrum ei insit ratio sacrificii vel sola honoris significatio, aliunde determinari debet.

Talis autem oblatio munda per orbem frequentabitur, *quia magnum est nomen meum* i. e. « causa cur gentes Deo offerant tam puram et nobilem oblationem est, quia magni me meumque nomen aestimabunt; credent enim et profitebuntur me esse summum et augustissimum numen, ideoque summam et augustissimam hostiam mihi offerent » (*Lap.*). Vide inde, quam verum sit, Dei cultum tanto magis florere eiusque nomen eo magis honorari, quo maiore devotione, frequentia, sollemnitate augustissimum Missae sacrificium offertur; cultum autem publicum et Dei adorationem languescere et emori, ubi istud non habetur sacrificium aut ubi negligitur. Hoc solo vaticinio sectae protestantium qui

dicuntur prostratae iacent et a vera Ecclesia per prophetas descripta exclusae et separatae.

Quo clarius veritas fulgeat, iuvat adhuc aliquas recensere protestantium explicationes. *Munsterus* in *minchah* vel orationem designari vult (idque ex Ps. 140, 2 probat : elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum — quam immerito, iam dictum est) vel ipsas gentes fide suscepta in populum Dei cooptatas. *Grotius* intelligit oblationes fidelium, ex quibus et Eucharistia fiebat et pauperes alebantur. *Ros.* cum aliis (de quibus iam supra) vaticinium de futuro tempore negat totam scil. vim eius his verbis complexus : vates Deum loquentem inducit : ego dignus sum cui ubique terrarum suffitus offeratur et fertum purum. Alii nesciunt quo se vertant ; audi v. g. *Reuss* : « est-ce une pure prédiction, s'agit-il des Juifs fidèles dispersés dans le monde entier ? ou bien l'auteur reconnaîtrait-il dans les religions païennes mêmes un élément de vérité, une profession instinctive qu'il opposerait aux profanations de ceux qui devraient être les plus parfaits » ? *Hengstenberg* et *Keil* in *minchah* nil aliud explicant nisi esse adorationem Dei et hominis ad Deum oblationem secundum Rom. 1, 12. Impugnant autem Concilii tridentini declarationem hisce ratiunculis : ferta V. T. symbolice repraesentare bona hominis opera ; prorsus aliam esse Missae significationem ; similitudinem inter fertum et Missam in sola externa materia consistere, quae nihil valeat ; deesse autem nexum internum (ita *Hengstenberg*, Christologie III, 1, p. 593 seq. 2 edit.). Sed quid hoc ad rem et vaticinii verba ? Sacrificia vetera *typica* sunt et verum Dei cultum pro indole V. T. continebant ; hac utraque ratione adest nexus internus cum Missa. Si sacrificio dicit repraesentari hominis bona opera, laudandus quidem est Lutheri assecla, qui contra magistrum suum bona opera magnifacit, at a notione sacrificii longissime abest. Vera notio sacrificii plene reperitur in Missa.

Keil autem primo cavillatur, *minchah* perperam intelligi de sacrificio incruento prout a cruento distinguitur. Sed quis non videt, veritatem de sacrificio N. T. stare, etsi *minchah* explicetur de sacrificio generatim ? Dein *Keil* est monendus, quod ipse in libro suo de sacra archaeologia (Handbuch der bibl. Archaeologie 1 p. 254) vocem propriam pro ferto (Speisopfer) esse *minchah* clarissime enuntiat [1]. Secundo contendit, vocem de sacrificio proprio non posse intelligi, quia etiam suffitus debeat spirituali modo de oratione explicari. Ad hoc iam respondi ostendens nihil afferri posse, cur suffitus *metaphorice* accipiatur, nisi quod multi id faciunt. At etsi suffitus tropice intelligitur, non sequitur etiam *oblationem mundam* esse metaphorice explicandam. Dein si Rom. 12, 1 admonemur, ut exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, nullo tamen modo propterea docemur, id esse *unicum* sacrificium in N. T. et verum non exsistere. Ceterum cur *Keil* non memor est argumentationis S. Pauli (1 Cor. 10, 15 seq.), qua fidelibus ex idea et notione epularum sacrifica-

1. Et talem esse vocis significationem patet ex Lev. patet ex formula saepius obvia *zebach uminchah* sacrificium cruentum et incruentum Ps. 40, 7. 1 Sam. 2, 29 ; 3, 14. Ier. 17, 26. Dan. 9, 27.

lium probat quam indecens sit iis qui epulas sacrificales N. T. Eucharistiam perceperunt, in idolio recumbere? sed epulae sacrificales sacrificium supponunt. Cur non etiam Hebr. 13, 10 « habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt » sacrificium N. T. commendari censendum est? Apte h. l. in memoriam revocatur, quod iam scripsit *Bellarminus* contra Chemnitium, qui simili modo urgebat in T. N. inveniri sacrificia fidelium *spiritualia*, ergo de vero sacrificio Malachiam non esse locutum. Cui respondet *Bellarminus* : « si in novo Testamento legeremus, nulla esse sacrificia fidelium nisi spiritualia, argumentum Chemnitii recte concluderet. At nusquam id legimus. Non autem licet concludere ex eo quod sunt in Ecclesia quaedam sacrificia spiritualia, nulla esse proprie dicta vel prophetam loqui de spiritualibus; alioquin quoniam in Testamento veteri multa erant etiam sacrificia spiritualia, liceret eodem modo concludere, non fuisse in Testamento veteri sacrificia proprie dicta ».

Demum in vaticinio adeo insigni quo eximio modo Ecclesia catholica demonstratur tamquam vera Ecclesia, quippe in qua sola adest veri nominis sacrificium offerendum omni in loco [1], nemo aegre feret, si praeclara quaedam Patrum testimonia recitantur de sensu quo hoc oraculum semper ab antiquissimo tempore intelligebatur. Venerandae antiquitatis testimonium, vaticinium hoc de s. Eucharistiae sacrificio esse intellectum a primordiis religionis christianae, nobis iam offertur modo quam maxime claro atque perspicuo in *Doctrina Apostolorum*, opere antiquis noto et saepe a Patribus laudato, quod nostro demum tempore a Philotheo Bryennio iterum inventum et editum est Constantinopoli 1883. Testimonium hoc eo gravius censeri debet quia argumentis haud spernendis libellus iste saeculo primo aerae christianae videtur esse attribuendus (cf. *Cornely*, Introd. I p. 214; *Bickell*, Zeitschrift f. kath. Theol. 1884 p. 402; *Sabatier*, la Didaché, Paris 1885, p. 150 seq.). Ibi autem legimus cp. 14, postquam mentio iniecta est de confessione peccatorum ut pura sit oblatio vestra θυσία ὑμῶν, de s. Eucharistia, quae bis θυσία appellatur : αὕτη γάρ ἐστιν ἡ ῥηθεῖσα ὑπὸ Κυρίου· ἐν παντὶ τόπῳ καὶ χρόνῳ προσφέρειν μοι θυσίαν καθαράν etc. *S. Irenaeus* (adv. haer. 4, 17, 5. *M.* 7, 1023) Eucharistiae a Christo confectionem refert : « calicem similiter ... suum sanguinem confessus est et novi Testamenti novam docuit oblationem, *quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo*, ei qui alimenta nobis praestat, primitias suorum munerum in novo Testamento, de quo in duodecim prophetis Malachias sic praesignificavit ... manifestissime significans per haec, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo,

1. *Reuss* in tali explicatione vaticinii nihil aliud cernit nisi « eine Curiositaet », rem scil. ridiculam, quam aliis irridendam proponit et quam nominasse iam sit refutasse.

omni autem loco sacrificium offeretur ei et hoc purum ». *S. Iustinus* (dialog. c. Tryph. 41 ; *M.* 6, 564) loco ex Malachia recitato addit : « de iis quae in omni loco a nobis gentibus ei offeruntur sacrificiis, hoc est de pane Eucharistiae et de calice similiter Eucharistiae iam tum praedicit, illud etiam addens nomen suum a nobis glorificari, a vobis autem profanari ». *Eusebius* (dem. ev. 1, 10 ; *M.* 22, 89-93) plura de sacrificio Eucharistiae praefatus v. g. « post omnia (Christus) quasi mirabilem quandam victimam sacrificiumque eximium Patri suo operatus pro nostra omnium salute obtulit eiusque rei memoriam ut nos ipsi Deo pro sacrificio offerremus continuo, instituit » et « huius sacrificii memoriam signis quibusdam in mensa celebrandam corporisque item illius salutarisque sanguinis, ut novi Testamenti institutum habet, accepimus », demum oraculum Malachiae recitat : « quod futurum erat nostrum ipsorum institutum divinitus nuntiat : *quoniam ob ortu solis* ... sacrificamus Deo plenum et horrorem afferens et sacrosanctum sacrificium, sacrificamus novo more secundum novum Testamentum hostiam mundam ... Igitur et sacrificamus et incendimus (θύομεν καὶ θυμιῶμεν), alias quidem memoriam magni illius sacrificii secundum ea quae ab ipso tradita sunt mysteria celebrantes et gratias Deo pro salute nostra agentes, alias nos ipsos totos ei consecrantes » etc. (cf. Eclog. proph. 29 ; *M.* 22, 1156). Atque *S. Chrysostomus* nostro loco recitato sic Iudaeos exagitat (adv. Iud. 5 ; *M.* 48, 902) : « quando haec evenerunt, Iudaee ? quando in omni loco incensum oblatum est Deo ? quando sacrificium purum ? non possis aliud proferre tempus quam hoc posteaquam Christus advenit. Quod nisi de hoc tempore praedixit, nisi de nostro sacrificio vaticinatus est, sed de iudaico, etiam legi repugnat prophetia ; .. fidenter dicimus, nostrum sacrificium solum dici debere mundum ; non enim per fumum et nidorem, non per sanguinem et redemptionis pretia, sed per Spiritus gratiam offertur ».

S. Hier. in hanc prophetiam advertit, praedici « in omni loco offerri oblationem, nequaquam immundam, ut a populo Israel, sed mundam, ut in caerimoniis Christianorum » et ad Ez. 21, 25 seq. (*M.* 25, 207) scribit de hoc Malachiae oraculo : « quae munda oblatio sine sanguine hircorum, arietum atque taurorum in Christi completur adventu ». *S. Augustinus* (de Civ. Dei, 18, 35 ; *M.* 41, 594) allato vaticinio ita pergit : «hoc sacrificium per sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech cum in omni loco a solis ortu usque ad occasum Deo iam videamus offerri, sacrificium autem Iudaeorum ... cessasse, quid adhuc exspectant alium Christum » ? et vide l. c. 19, 23 (*M.* 41, 655), et in Ps. 95 n. 13 (*M.*37, 1427) : « quaeris sacrificium apud Iudaeos ; non habes secundum ordinem Aaron ; quaeris secundum ordinem Melchisedech ; apud illos non in-

venis, sed per totum orbem celebratur in Ecclesia; et dicit illis Deus : non est mihi voluntas in vobis etc. » [1]. *S. Cyprianus* in libris testimoniorum adversus Iudaeos (1, 16; *M.* 4, 687) affert oraculum Malachiae, ut probet « quod sacrificium vetus evacuaretur et novum celebraretur ». *Theod.* ad vaticinium haec adnotat : « cessavit loco circumscriptus cultus sacerdotum, omnis autem locus ad Dei cultum idoneus est declaratus et victimarum quidem ratione carentium caedes finem cepit, solus autem immaculatus agnus sacrificatur, qui tollit peccatum mundi et tamquam signum virtutis odoratum offertur incensum ». De Eucharistia scribens dicit *S. Ioannes Damascenus* (de fid. orth. 4, 14; *M.* 94, 1149), qui doctrinam Patrum graecorum fideliter referre solet et uno quasi conspectu exhibere : « hoc purum illud et incruentum sacrificium est, quod ab ortu solis usque ad occasum sibi oblatum iri Dominus per prophetam dixit ». Neque ab hac explanatione recedit *S. Cyr.* in commentario, quamvis non adeo clare loquatur : « praenuntiat in omni loco ac gente sacrificia munda et incruenta (θυσίαι καθαραὶ καὶ ἀναίμακτοι) [2] nomini suo oblatum iri, non iam sacerdotibus illis eius (scil. nominis) dignitatem obscurantibus neque incuriose spiritualem cultum ei offerentibus sed cum diligentia, bonitate et sanctimonia incensorum spiritualium suaveolentiam offerre satagentibus, fidem scil. spem, caritatem et honestamenta bonorum operum, ita constituto scil. Christi sacrificio coelesti ac vivifico, per quod destructa est mors et caro ista terrena et corruptioni obnoxia incorruptionem induitur »; ait igitur *S. Cyr.* offerri cultum spiritualem, quem consistere dicit virtutibus et bonis operibus, et hisce contineri *thymiama* spirituale; sed ad hoc *apponi*, vel ad hoc ulterius addi (προστεταγμένης δηλονότι τῆς Χριστοῦ θυσίας) Christi sacrificium.

Neque *Tertullianus* de solo cultu adorationis et laudis explicat. Verba eius sunt (adv. Marc. 3, 22; *M.* 2, 353) : « *in omni loco sacrificium nomini meo offertur et sacrificium mundum,* gloriae scil. relatio et benedictio et laus et hymni; quae omnia cum in te quoque deprehendantur et signaculum frontium et ecclesiarum sacramenta et munditiae sacrificiorum, debes iam erumpere ut dicas Spiritum Creatoris tuo Christo prophetasse » et 4, 1 (*M.* 2, 362) etiam ipsorum sacrificiorum alia officia potiora fore dicit Creatorem praedixisse et quidem apud nationes dicente Malachia . . . dein *sacrificium mundum* quidem explicat « simplicem orationem de conscientia pura »; sed cum priore loco *benedictionis* mentionem faciat et de Ecclesiae sacramentis et sacrificiis statim sermonem inferat, haud improbabiliter dicemus cum *Bellarmino,* ipsam Eucharistiae con-

---

1. Vide quoque *S. Augustinum* contra advers. leg. et proph. 1, 20; *M.* 42, 627, ubi sacrificium secundum ordinem Melchisedech in Ecclesia oblatum illud dicit a Malachia praedictum.
2. Versio latina exhibet numerum singularem.

secrationem ab eo dici benedictionem ; notum est enim illam saepius vocari *eulogiam* ; dein *Tertullianus* (de orat. 19; *M.* 1, 1181) de *sacrificiorum orationibus* loquitur, intelligens sacrificium eucharisticum : « similiter et stationum (i. e. ieiuniorum) diebus non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto corpore Domini. Ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit, an magis Deo obligat? Nonne sollemnior erit statio tua si et ad aram Dei steteris? Accepto corpore Domini et reservato utrumque salvum est et *participatio sacrificii* et exsecutio officii ».

Eandem interpretationem vaticinii etiam interpretes catholici et antiquiores et recentes strenue tuentur. *Haimo* eo praedici ait « sacrificium quod nunc frequentat Ecclesia » ; *Rup.* : « et offerunt nomini meo oblationem mundam, oblationem panis et vini, sacramentum corporis et sanguinis Redemptoris sui » ; *Lyranus* : « dicendum quod iste passus loquitur ad literam de sacrificio novae legis, quod est Eucharistia, quod est mundissimum et Deo acceptissimum » ; et sim. *Alb. Rib. Sanct. Lap.* etc. *Reinke* (cf. praeter comment. in Mal. eius vaticin. mess. IV, 2. p. 359) *Schegg, Allioli, Loch, Trochon, Corluy* etc.

c) Poenae contemptoribus denuntiantur 1, 12-2, 4.

In oppositione ad magnum honorem Deo per oblationem mundam ubique exhibendum et ad Dei nomen sublime ac maiestate plenum effert vates denuo, quanto contemptu Deus ab illis sacerdotibus vilipendatur; v. 12 « *Et vos polluistis illud in eo quod dicitis : mensa Domini contaminata est et quod superponitur contemptibile est cum igne qui illud devorat* » ; — hebr. *et proventus* (fructus) *eius contemptus, cibus eius*, sensu eodem [1]; nam *fructus* altaris et *cibus* eius victimae sunt quae altari imponuntur, ut sint in placationem et suaveolentiam Domino; cf. v. 7. Aram igitur Dei et quaecumque ad sacrificia referuntur, despiciunt sacerdotes; idque non tam verbis, quam rebus et factis clamant, dum aram victimis malis contaminant et tamquam rem vilem habent (cf. *S. Cyr. Mar. Tir.*). Et quia ipsi cultum Dei ita despiciunt et victimas viles admittunt nihil curantes de dignitate et decore domus Dei, nihil solliciti de muneris sui excellentia, naturae rei plane consentaneum est, ut taedio et fastidio affecti muneris sui exercitium aegre ferant et fere abominentur : v. 13 « *et dixistis : ecce de labore! et exsufflastis illud, dicit Dominus exercituum; et intulistis de rapinis claudum et languidum, et intulistis munus. Numquid suscipiam illud de manu vestra? dicit*

1. *S. Hier.* partim sequitur LXX qui וְנִיבוֹ verterunt καὶ τὰ ἐπιτιθέμενα; pro *cibo* forte legit *comedentem* i. e. legit verbi participium, et illum qui comedit superpositum in ara, ignem intellexit; vel verba hebr. liberius interpretatus est, cum scribat : « fructus altaris ignis est cibusque ignis hostiae vel holocausta ».

Dominus »; — hebr. *ecce, quae* (quanta) *molestia*; est enim natura plane institutum, ut nos ipsos taedeat eorum quae negligenter facimus. Unde *exsufflant*, quasi sputo proiecto aram se contemnere ostendunt. Et hunc contemptum reipsa quoque manifestant et palam omnibus declarant inferentes et offerentes victimas lege prohibitas et variis defectibus laborantes. In hebr. et apud LXX et *Chald.* tria genera enumerantur : *infertis raptum et claudum et languidum*, i. e. quod vi et iniustitia aliis ereptum possident ; talibus vero sacrificiis Deus non honoratur, sed illuditur. Ad ea addunt *munus, minchah* i. e. oblatio enim incruenta ex simila et oleo cum libamento vini addebatur ad holocausta et pacifica ; cf. Num. 15, 4 seq. 28, 5. 9. 12 etc. Sed cum Deus holocausta et pacifica eiusmodi defectibus inquinata abominetur (cf. Lev. 22, 19-25. Deut. 15, 21. Eccli. 35, 14), etiam accessoria illa munera, etsi rite et ex rebus praescriptis offerantur, repudiat ; rei indignitatem interrogatione effert ; cf. v. 8. 10.

Textus *mas.* fert מַתְּלָאָה quod explicant quasi conflatum ex מַה־תְּלָאָה quis labor ? quae molestia ? pro qua contractione afferri possunt exempla aliquatenus similia Ex. 4, 2 (kethib). Is. 3, 15. Ez. 8, 6. 1 Chron. 15, 13. 2 Chron. 30, 3 (cf. *Olshausen*, Lehrbuch d. hebr. Spr. p. 186). Verum LXX, *Syrus*, *S. Hier*. *Chald*. legerunt מִתְּלָאָה *ex labore*. Sensum dein explicant : ea offerimus, quae in conditione nostra misera et afflicta nobis praesto sunt ; de labore et paupertate offerimus (*S. Hier*. sim. *Cyr*. *Theod*. *Alb*. *Rib*. *Sanct*. *Lap*. *Mar*.). Excusationem praetendunt ex temporum angustiis. Vel, ut *Calm*. : « victimas aegre offertis et querimini, me laborum vestrorum fructum a vobis exigere ». Advertit *S. Hier*. in hebr. legi posse *et exsufflastis me* et revera iste locus recensetur inter *tiqqune sopherim*, correctiones scribarum ; volunt scil. prophetam scripsisse אותי *me* ; quod ne durius sonet, ipsum scil. Deum exsufflari, mutatum esse in אותו *illud* scil. altare. LXX et *Syrus* praebent : et exsufflavi in illud. Sunt, qui explicent de illa oblationum parte quae sacerdotibus tribuebatur ; sacerdotes scil. conqueri, oblationes esse adeo mancas, carnes adeo insipidas, ut labor sit et molestia illas comedere (cf. *Hitz*. *Reinke*). At inepta interpretatio, qua sacerdotes non reprehenderentur, sed stultos esse atque ridiculos ostenderetur, quippe qui cum multo suo damno victimas illas pravas admitterent, dum ex legis observantia emolumenta illis accrescerent. Si sacerdotes carnes victimarum accipere noluissent, ne victimas quidem admisissent. Unde potius ita erit res cogitanda, ut ex victimis maculas et defectus habentibus nihilominus sacerdotibus iustae ac bonae partes provenerint ; sic suae utilitati caute providentes eamque in tuto collocantes magis contemptum cultus divini prae se ferunt et obiurgationi obnoxii fiunt.

Ex ultima sententia, esse rem intolerabilem Deo offerri res mancas et defectibus foedatas, infertur reprehensio in *omnes*; poterat enim fieri, ut sacerdotes quandoque admitterent tales victimas, ne pauperes cum eorum offensione a sacrificiis excludere et repellere viderentur ; v. 14 « *maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum et votum faciens*

immolat debile Domino! quia rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, et nomen meum horribile in gentibus »; — in hebr. et LXX reprehenduntur *duo* : prior qui fraudem committit, dum tamen habeat in grege suo masculum ; qui igitur quando ex lege animal masculum erat immolandum, praetendit se non habere et ita vilius offert ; alter qui voto facto, in quo sacrificio votivo etiam femellae offerri poterant, femellam debilem et languidam, non valentem et sanam offert (cf. Lev. 3, 1. 6). *Maledictus* « grave sane verbum et pondus plane importabile, quod est a Dei maledictione quae omnia secum apportat mala, sicut in Dei benedictione cumulus intelligitur bonorum. Hoc porro fulmen in eorum intorquetur caput, qui meliora aut sibi retinent aut aliis impendunt, id vero Domino reservant quod despectum est quodque amicis aut bene de se merentibus porrigere illiberale ducerent » (*Sanct.*) ; cf. 1, 8 ; *horribile nomen* i. e. dignum omni timore et omni reverentia (*Rib.*), sed quod sit simul *terribile* illis, qui eius provocant vindictam.

Cuius vindictae minas et speciem statim vates affert et tamquam Dei mandatum, tamquam nuntium sibi pro iis commissum declarat, nisi resipiscere maluerint ; 2, 1 « *et nunc ad vos mandatum hoc, o sacerdotes!* v. 2 *si nolueritis audire et si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in vos egestatem et maledicam benedictionibus vestris et maledicam illis, quoniam non posuistis super cor* » ; — i. e. si noluerint serio operam dare et animum eo dirigere, ut Deo debitum reddant cultum et honorem, et poenis temporalibus i. e. in re temporali castigabuntur et maiora quoque detrimenta experientur ; est officii sacerdotalis *benedicere* ; at eorum benedictiones Deus convertet in maledictionem, eas abominabitur, reiiciet, frustra pro populo intercedent ; nemo ex eorum munere aliquid boni vel gratiae suscipiet. Ita ipsi punientur et punitur populus, qui malis sacerdotibus connivet, eorum abusus et negligentiam tolerat et tolerando auget et fovet. In hebr. nervose dicitur : *et etiam maledixi eis* i. e. maledictio iam facta est. — Varie *benedictiones* concipiunt : alii bonorum fruitionem (*Theod. M.*), alii decimas ceteraque dona sacerdotibus debita intelligunt (*S. Hier.*), alii promissa a Deo (*Sanct. Tir.*), alii ipsum sacerdotium (*Theod. Theod. M.*), alii preces eorum (*Lap.*), quas Deus exsecretur. Sed cum sacerdotum sit *benedicere* populo (cf. Lev. 9, 23. Num. 6, 23), iure merito propter socordiam ita puniuntur, ut eorum benedictiones vanae et inanes evadant et steriles. Hac enim ratione etiam populus mox discet, Dei favorem recessisse a sacerdotibus, iique contemptui habebuntur, quippe qui nihil commodi populo apud Deum acquirere valeant. Poena simul est condigna delicto : Deum honorare negligunt, Deus eos quoque honore privat ; mandata Dei spernunt, spernit Deus eorum intercessionem.

Immo maiora minatur et plena indignatione : v. 3 « *ecce ego proiiciam vobis brachium et dispergam super vultum vestrum stercus sollemnitatum vestrarum et assumet vos secum* » ; — lege statutum erat, ut sacerdotes a sacris quandoque reportarent armum ac ventriculum (Lev. 7, 31. Deut. 18, 3) ; ut Deus iram manifestet suam in indignos altaris ministros, ait se illa in faciem eorum esse proiecturum et fimum victimarum in eorum vultus effusurum, ut turpiter foedati et ignominia repleti coram omnibus consistant (cf. *S. Hier. Theod. Rib. Sanct. Lap.*). Hisce contestatur, in quantum sollemnitates eorum et sacrificia detestetur. Apte monet *Rib.* : « et bene dicit *sollemnitatum vestrarum* i. e. non mearum ; non enim ego in iis color, nec mihi placere studetis, sed vobis ». Ita fimo, ignominia oppleti simul cum stercore victimarum auferentur et everrentur in locum sordidum et abiectum ; id dicit *assumet vos secum* ; id quod ex hebr. potius vertes : *et auferent vos cum eo*. Quanta poena indignis proponitur sacerdotibus ! Deus facies eorum fimo opplet et cum stercoribus foetidis in loca immunda sicut ramenta et spurcitiae abiiciuntur ! Corruptio optimi pessima. Bonum est sal ; sed si sal evanuerit, ad quid utile erit ? neque in terram, neque in sterquilinium utile est (Luc. 14, 35). In hebr. verbum גער explicatur *increpare; brachium increpare* intelligunt vel : brachio ad benedicendum elevato maledicere ; vel : rigidum et iners efficere et omni vi et efficacia privare (cf. *Sanct. Sa, Tir. Reinke, Keil*).

Textus *mas.* praebet זֶרַע *semen* ; et ita *Syrus* quoque et *Chald.* ; explicant : serio interdicere semini ne germinet aut fructum ferat ; semen abiicere ita, ut in agro torpeat aut etiam in ipsa herba a locustis absumatur (*Ros.*) ; vel semini maledicere, ut negato rore coelesti aut immissa aurugine uratur et vanescat (*Sanct.*). Sed cum sacerdotes agriculturae operam non navarent, plerique interpretes cum LXX, *Aq.* (ἰδοὺ ἐγὼ ἐπιτιμῶ ὑμῖν σὺν τῷ βραχίονι — ita apud *Theod.*) et *S. Hier.* omnino censent legendum esse זְרֹעַ, זְרוֹעַ *brachium*

Minas et exhortationem confirmat dicens, eas non fore inanes, verum eos experturos esse efficaciam verborum divinorum v. 4 « *et scietis quia misi ad vos mandatum istud, ut esset pactum meum cum Levi, dicit Dominus exercituum* » ; — *scire* i. e. reipsa in se experiri ; *mandatum* est nuntius per prophetam iis declaratus iubente Deo v. 2, sunt minae iis propositae. Si non resipuerint, illas poenas subibunt. Deus autem tantam impendit curam in sacerdotibus reprehendendis *propter* pactum cum Levi initum — hebr. verte : *quia* [1] *pactum meum est cum Levi* (cf.

1. Tali significatione ל adhiberi, certum est ; cf. Ex. 12, 42. Num. 11, 11 ; enascitur enim sua sponte ex notione *propter*, qua de causa et ratione dicitur ; vide *Ges.* Thes. p. 731 ; *Ewald*, Lehrb. §. 217, 2, c. *Reinke*, Mal. p. 361.

Reinke). Tribum enim Levi elegit ad sacrum ministerium; sacerdotibus concessum erat rogare et offerre pro populo eumque expiare (Lev. 6, 7. Num. 8, 19; 25, 12. 13. Deut. 33, 8 seq.). Tale pactum Deus irritum esse non sinit. Quare per prophetam negligentes ad officium revocat, ut aut foedus illud sanctum sancte servent aut si renuerint, poenas violatae religionis gravissimas luant. Hoc autem pactum commemorans viam sibi sternit ad veri sacerdotis speciem delineandam; qua proposita malorum sacerdotum vitia tanto maiore pondere accusantur.

Qui sententiam interiectam, *ut esset pactum meum* tamquam *finalem* accipiunt, in duas praesertim partes abeunt; aut enim explicant, ut foedus meum cum Levi firmum permaneat (cf. *Sanct. Lap. Mar. Tir. Schegg*), aut ex antecedentibus supplent *mandatum* : ut mandatum istud sit pactum meum cum Levi i. e. scient Dominum uti antea sacerdotibus pactum cum Levi initum fideliter servaverit, ita in posterum mandatum illud et minas habiturum esse pro pacto cum iis inito (*Keil, Pressel, Trochon*). Priori interpretationi obstat, quod esse היה non est *permanere, perdurare*; nisi vocem explicare malueris *exsistere* sensu praegnanti, vel *ut fiat* i. e. ut iterum fiat pactum meum cum Levi. Altera interpretatio est artificiosa nimis, uti iam eo ostenditur, quia longiore indiget paraphrasi, ut demum rite percipiatur; porro ex sequentibus elucet, *Levi* non sumi omnino in universum de omnibus sacerdotibus — alias enim non diceretur *pactum meum cum eo fuit... dedi ei* etc. — ergo prorsus improbabile est v. 4 dici sacerdotes eos irreligiosos *Levi*.

d) **Quantum a vera sacerdotis specie defecerint 2, 5-9.**

Deus cuius dona sunt sine poenitentia, ad sacerdotes officii immemores admonendos prophetam misit, quia pactum iniit cum Levi. Huius meminit pacti, ut ad meliorem frugem eos revocet, vel si noluerint, ut pacti violati reos illos agat. Unde eius pacti bona et conditiones exponit et meliorum temporum antiquorum memoriam atque priscorum sacerdotum religionem et sanctitatem in medium profert, ut ea recordatione iisque exemplis animi sacerdotum excitati et perculsi ad sanctam quandam aemulationem et ad bonorum promissorum desiderium stimulentur. Pacti bona conditionesque summatim proponit v. 5 « *Pactum meum fuit cum eo vitae et pacis et dedi ei timorem et timuit me et a facie nominis mei pavebat* »; — « duas partes continet pactum illud; altera sacerdotibus abunde promittit, quae hominum opinione numerantur in bonis quae pacis ac vitae nomine significantur; altera a sacerdotibus aliquid requirit, quod si absit nulla Deus fidei datae obligatione tenetur, quia promissio illa conditionata fuit. Id enim valet *dedi ei timorem*; ac si diceret : talia illi commoda promisi, dummodo me observaret et coleret; id enim

valet in Scriptura sacra *timor* » (*Sanct.* sim. *Lap. Gord.*). Intelliguntur nomine *vitae* bona et commoda vitae, abundantia, honor, vita opulenta et felix ; *pacis* bona salutis integerrimae et prosperitatis imperturbatae (cf. *Sanct. Lap. Mar. Men. Tir. Reinke*). Talia sacerdotibus i. e. familiae leviticae promittebantur; cf. Num. 25, 12. Deut. 33, 8-11. Quae bona ut consequerentur et conservarent, *dedi ei timorem*, « principium enim sapientiae timor Domini et... super quem requiescam nisi super humilem et quietum et trementem verba mea (Is. 66, 2) » (*S. Hier.*)? Omnia enim bona, ut ait *Alb.*, in timore Dei custodiuntur (cf. Eccli. 27, 4) ; timor autem in reverentia et cultu Dei consistit (*Sanct. Lap. Tir.*), quo omnia sollicite et serio, non perfunctorie peragantur (*S. Cyr.*). Tali pietate et reverentia talique animorum submissione a priscis sacerdotibus sacram religionem esse observatam, ultimum membrum dicit ; vide v. g. laudes Aaroni et Phinees tributas Eccli. 45, 7 seq. Ille timor sacer et pavor intelligitur, de quo Eccli. 1, 11 seq. (*S. Cyr. Rib.*).

Textus hebr. in priore membro verti potest, uti LXX et *S. Hier.* interpretati sunt : *pactum meum fuit cum eo (pactum) vitae et pacis* (ita v. g. *Hitz. Pressel*) ; alii vertunt : *fuit cum eo vita et pax* sensu tamen eodem (*Reinke, Keil*). In altero membro legitur in textu *mas. et dedi ei ea* ; hoc pronomen *ea* ex veteribus solus *Syrus* exprimit, deest quoque in pluribus codd. hebr. (apud *de Rossi*). Si suffixum retinetur *et dedi ei ea* scil. vitam et pacem, non adeo facile videtur subsequens מוֹרָא posse explicari. Vertunt vario modo : et dedi ei ea *ad* vel *ob* timorem, scil. ut me coleret (*Ros.*), ut istis timor Dei promoveretur (*Hitz. Keil*) ; vel ita iungi potest, ut altera haec sententia priori ad amussim respondeat : pactum meum erat cum ipso — pactum vitae et pacis et dedi ei ea — timor, et timuit me ; ita utraque pars pacti, promissio scil. et conditio effertur (*Pressel*), vel etiam simplicius et forte magis obvium erit vertere : *pactum meum erat cum eo vita et pax et dedi ei ea, et timor et timuit me.* — Alii pronomen suffixum esse delendum censent (cf. *Reinke*).

Iam proponitur quam perfecte prisci sacerdotes pactum illud servaverint et quid felicitatis inde sit consecutum. Describitur, ut *S. Hier.* bene monet, ex persona Dei officium sacerdotis perfecti qualis esse debeat et qualem eum esse voluerit qui esse praecepit : v. 6 « *lex veritatis fuit in ore eius et iniquitas non est inventa in labiis eius ; in pace et in aequitate ambulavit mecum et multos avertit ab iniquitate* » ; — hebr. *doctrina* (institutio) *veritatis erat in ore eius... in pace et in rectitudine ambulabat mecum* ; i. e. erant inculpabiles in doctrina et in vita et ita efficaciter multos ab impietate et vitiis revocarunt ad pietatem et virtutem. Veram tradebant et salutarem institutionem ; perversitas, falsa doctrina non inveniebatur in eorum sermonibus ; de iis igitur non

valuit id de quo conqueritur Isaias : vae qui condunt leges iniquas (10, 1), et Ieremias : vere mendacium operatus est stilus mendax scribarum (8, 8). Legem ut populum doceant, iis praecipitur Deut. 31, 10-13. Praeclarae doctrinae parem adiungebant vitam : amicitia scil. Dei et pace fruebantur et in omni rectitudine et iustitia sollicite cum Deo et coram Deo conversabantur ; *ambulare cum Deo* dicitur de Enoch (Gen. 5, 21. 24) et de Noe (Gen. 6, 9), de magnis illis virtutum heroibus, qui unice Deo placuerunt ; et huius laudis societatem Deus priscis attribuit sacerdotibus. Ita praeclara doctrina instructi et vitae probitate et familiari cum Deo consuetudine insignes apti quoque erant, per quos multi a vitiis ad virtutem revocarentur. Eximius igitur muneris sacerdotalis successus iis non deerat. Si deest, nonne propterea deesse censendus est vi huius effati, quia vel doctrina deest vel vitae probitas, sanctitas et assidua cum Deo conversatio ?

Atque talis esse debet sacerdos, et iuremerito qui vias Dei et voluntatem eius noscere cupiunt, sacerdotum doctrinam et institutionem exquirent ; v. 7 « *labia enim sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est* » ; — cf. Lev. 10, 11. Deut. 17, 10. 11 ; sacerdotibus enim dedit « praecepta et legem vitae et disciplinae, docere Iacob testamentum suum et iudicia sua Israel » (Eccli. 45, 6), illis datum est « docere Iacob testimonia et in lege sua lucem dare Israel » (l. c. 21). Unde quae sit voluntas Dei, a sacerdotibus quaerunt ; idque recte ; est enim *angelus Domini* i. e. « nuntius sacerdos Dei verissime dicitur, quia Dei et hominum sequester est eiusque ad populum nuntiat voluntatem ; et idcirco in sacerdotis pectore rationale est (Ex. 29) et in rationali doctrina et veritas ponitur, ut discamus sacerdotem doctum esse debere et praeconem dominicae veritatis » (*S. Hier.*) ; est nuntius, « non enim suam voluntatem nuntiat nec suae cognitionis ac scientiae sermones eructat, sed potius dominicis oraculis inservit... nam illud ad laudem nomine Dei quidpiam nuntiantium pertinet, quod nihil auditis apponunt nec aliquid subtrahere audent » (*S. Cyr.* sim. *Rup. Rib.*). Est sacerdos Dei interpres, ut suo tempore depromat ac proferat veram illam scientiam a Deo hominibus communicatam (*Mar.*), qua lex credendi et vivendi continetur. Quare haud male haec affert *Theod. M.* : « hoc est sacerdotis opus, ut sit angeli instar ceteris hominibus datus, ut omnes ad virtutem adducat, quod ipsorum angelorum erga nos officium est ». Est sacerdos legatus Dei ad populum, sed etiam, ut addit *Lap.*, legatus populi ad Deum, est internuntius inter utrumque et mediator ; tamquam legatus ministrat Deo et « sicut angeli iugiter adstant Deo, in eum intentam habent aciem mentis, ei iubilant et psallunt iugiter, ita et iugiter orare et psallere debet sacerdos... de-

bet angelorum veritatem, sinceritatem, puritatem, virtutem et zelum imitari; uti angelorum est suae curae commissos purgare, illuminare et perficere, ita eadem sunt munia sacerdotis » (*Lap.*). Ceterum verum est, quod h. l. monet *Estius*, textus sacri verba non tam egere explicatione, quam « diligenti consideratione et operis exsecutione, ut tanto muneri respondere conemur, quotquot ad sacerdotalem dignitatem vocati sumus; alioquin merito audiemus quod sequitur : vos autem recessistis de via etc. ». De sacerdotum munere angelico praeclaros affert SS. Patrum locos *Lap.* ad h. l. Pactum igitur sacerdotale, ut *Alb.* dicit, exponitur in quattuor : in *doctrina* (idque dupliciter in veritate et puritate doctrinae, ut vanum nihil et falsum addatur), in *vita* i. e. in pace et rectitudine virtutis et iustitiae, in *utilitate*, ut scil. per praedicationem et correptionem multi avertantur ab iniquitate, denique in *officio*, ut scientiam custodiant et alios doceant. — Ceterum vide Deut. 21, 5; 31, 10-13. 2 Par. 17, 9.

Hebr. מַלְאָךְ est in universum *legatus, nuntius*, qui mittitur vel a privatis hominibus et civibus (1 Reg. 11, 3. 2 Reg. 11, 4. 19. 4 Reg. 5, 10. Iob 1, 14) vel a rege (1 Reg. 16, 19 etc.). Dein vox speciatim adhibetur de *angelis*, idque frequentissime, qui apparent, humana forma induti se hominibus exhibent, pios tuentur, e periculis eripiunt, divina mandata ad eos perferunt, impios puniunt calamitatibus inflictis etc.; cf. Gen. 48, 16. Ex. 23, 20; 33, 2. Iud. 13, 3. 3 Reg. 19, 5. Zach. 1, 9 etc.

Verum quantopere mutati sunt ab illis ! « Ego volui vos facere quae priore capitulo continentur et de quibus per Moysen in Deut. sum locutus : date Levi doctrinam eius et veritatem viro iusto (Deut. 33, 8 secundum LXX) et reliqua, vos autem recessistis de via recta sive declinastis et infirmos fecistis multos in lege » (*S. Hier.*); v. 8 « *vos autem recessistis de via et scandalizastis plurimos in lege, irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum* »; — viam scil. a Deo iis demonstratam i. e. legis observationem reliquerunt, instituta et exempla maiorum neglexerunt et pravo suo exemplo et legis cultusque Dei neglectu et contemptu *impingere fecistis multos in lege* (hebr.), ut scil. peccarent in legem (*Ros.*) vel *cadere fecistis per legem*, i. e. per legis contemptum vestrum (*Schegg*), exemplo et institutione vestra legem pro aliis fecistis non lucernam, sed offendiculum, falso legem explanantes, permittentes connubia cum extraneis etc. (*Sanct. Hitz. Keil*); unde ad eos applicari potest, quod Ieremias dicit 8, 8 : « vere mendacium operatus est stilus mendax scribarum ». Non igitur salutis, sed ruinae occasio aliis exsistebant. Notat *Theod.* : « *Aq. et Sym.* ἐσκανδαλίσατε interpretati sunt; haec autem est sententia : cum iniquitatem amplexi estis, aliis etiam detrimentum intulistis ». Cum pastor per abrupta graditur, ad praecipi-

tium grex sequitur, ut dicit S. Gregorius (de cura pastor. 1, 2); cf. Os. 9, 8. Ita *irritum fecerunt pactum* i. e. « effecistis, ut ego non reddam vobis quae leviticae familiae promiseram, quia nec vos id quod illa facere solebat, facitis » (*Rib.*); unde nervose in hebr. corrupistis pactum vel vastastis et ad nihilum redegistis.

Illi ergo conditiones pacti non servabant; iam dicitur quod Deus ex sua parte (*et etiam ego vos contemptos reddo* hebr.) agat, simulque aliud sacerdotum crimen, iniustitia gravis in iure dicendo, accusatur v. 9 «*propter quod et ego dedi vos comtemptibiles et humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas et accepistis faciem in lege* »; —Aaron sacerdotem Deus fecisse excelsum dicitur et beatificasse eum in gloria, dedit illi habere laudem, addidit ei gloriam etc. (Eccli. 45, 7. 8. 19. 25); sacerdotes autem malos omnium contemptui exponit eosque viles reddit et despectos, quia quo altior est dignitas, eo turpior est casus; cf. 1 Reg. 2, 30 ad Heli sacerdotem dicitur : quicumque glorificaverit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Ex criminibus sacerdotum unum effert ex praecipuis : in iure dicendo non ex iustitiae norma agunt (cf. Deut. 17, 9), sed partium studio et personarum acceptione legem et ius pervertunt. Adnotat *Theod.* : « *Sym.* interpretatus est: reveriti estis facies in lege (ἐδυσωπεῖσθε); eos accusat ut legis praevaricatores et qui in aliquorum gratiam inique iudicarent». Dicitur persona vel facies accipi, «quando iudex non legibus aut iustitia ducitur, sed personam intuetur eius qui in iudicium venit eaque movetur, ut illi contra ius faveat, sive quod amicus sit, sive quod potens aut minax» (*Rib.*).De sacerdotum auctoritate et officio iudiciali vide Deut. 17, 8 seq.; 21, 5 (hebr.). 2 Par. 19, 8. Illis praesertim incumbebat legis praecepta generalia ad casus applicare singulos (Lev. 10, 10; cf. Ier. 2, 8; 18, 18. Ez. 7, 26; 22, 26) et populum docere, quid praestare debeant; qua in re partium studio et personarum acceptioni ampla offerebatur opportunitas. Unde ultima accusatio latissime patet [1]. Contemptum quem Deus iis minatur, forte etiam cernere licet eo quod levitis partes debitae non darentur a populo, uti postea Nehemias est conquestus (Neh. 13, 10), qui etiam ordinem leviticum et sacerdotalem ad meliorem legis observantiam reduxisse videtur (cf. Neh. 13, 22. 28-31).

Ex hisce Dei verbis, praesertim 2, 3. 9, aperte colligitur, quo quis in altiore dignitate theocratica est constitutus et graviora habet officia et

---

1. « Inter omnia peccata sacerdotum Dei illud et ultimum et maximum ponitur, quare accipiant faciem in lege, ut non causas sed personas considerent iustumque pauperem despicientes iniquos divites suscipiant et honorent » (*S. Hier.*).

munera, eo maiorem poenam et abiectionem apud Deum et apud homines esse incursurum, si officio defuerit. Quam ruinam etiam Ieremias fere adumbrat in Lament. 4, 1-8; et simili ratione de urbis theocraticae dignitate et poena Ez. 5, 5-10. — Notatu dignus est nexus qui adesse statuitur hoc Dei oraculo inter sacerdotes sanctos et plebis pietatem, inter sacerdotes malos et plurimorum seductionem et lapsum (cf. Ez. 3, 18. 20).

PARS ALTERA

REPREHENDITUR POPULUS 2, 10-4, 6.

ARG. — Prima reprehensio de re agit matrimoniali, in qua duplex peccatum vituperatur, quod scil. cum alienigenis matrimonia ineunt et uxores legitimas iniuste repudiant. Utrumque scelus varia ratione exagitatur eiusque malitia ex doctrina et historia sacra graviter ostenditur (2, 10-16). Secundo loco vituperantur propter importunam cum Deo expostulationem, quasi Deus esset iniquus et iniustus non statim auferens populi sui conditionem vilem et hostes eius puniens. Murmur istud propheta ita retundit, ut ostendat quale iudicium Messias venturus sit exerciturus ; suntne igitur illi parati, ut talem iudicem secure ac confidenter possint excipere (2, 17-3, 6)? Minime vero, nam multum se exhibent negligentes in legis observatione, in sacris tributis reddendis ; unde egestate merito premuntur, quam Deus auferet, si negligentiam deposuerint (3, 7-12). Ipsi autem summa iniuria conqueruntur de Deo, quasi nihil sit utilitatis in obsequio Dei et impii prospera fortuna utantur continuo, cum Deus tamen sollicitam piorum gerat curam et quantum sit discriminis inter pium et impium sit manifestaturus ; in die enim iudicii flammis torquebuntur impii, iusti autem beatitate perfundentur. Quare memores sint legis. Demum Deus pollicetur, missum iri Eliam ante diem iudicii ad eorum salutem, ne forte iudicis adventus iis sit exitialis (3, 13-4, 6).

a) **De coniugiis cum alienis 2, 10-12.**

De matrimoniis cum alienigenis contractis iam Esdras valde erat indignatus eaque stirpitus eradicare aggressus est (Esd. cp. 9 et 10). At malum mox iterum serpsit. Novam indicit separationem Nehemias atque in foederis innovatione sollemnem exigit sponsionem, « ut non dare-

mus filias nostras populo terrae et filias eorum non acciperemus filiis nostris » (Neh. 10, 30; cf. 9, 2 seq.). Sed malae cupiditates non sunt exstinctae. Absente Nehemia malum iterum germinavit. Id ostenditur acri reprehensione Malachiae; idem testatur Nehemias ab aula regis reversus (Neh. 13, 23 seq.).

Rei indignitatem Malachias declarat ex arcto religionis vinculo et sacra dignitate theocratica, qua tamquam populus Deo sacratus cum Deo et inter se sunt coniuncti. Praemittit igitur, uti 1, 6, doctrinae caput ab omnibus non solum admissum, verum maximi aestimatum, quo maiore vi transgressores perstringat; ita v. 10 « *Numquid non pater unus omnium nostrum? numquid non Deus unus creavit nos? quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum violans pactum patrum nostrorum* »? — duo videtur vates efferre: communionem generis et religionis societatem et dignitatem. Ex uno patre, ex sacra patriarcharum stirpe, ex Israel descendunt et ita iam propter patres, Abraham, Isaac, Iacob, a Deo adeo dilectos, semen sanctum sunt; accedit, quod ab uno eodemque Deo peculiari ac singulari ratione prae ceteris omnibus gentibus in Dei hereditatem et peculium, in regnum sacerdotale electi et evecti sunt. Deus eos *creavit*, non solum eo modo quo omnes demum homines ad Deum referuntur creatorem omnium, sed eo sensu, quo Deus dicitur *genuisse* Israel, tamquam pater illum possedisse et fecisse (Deut. 32, 6. 18), filios genuisse et exaltasse (Is. 1, 2), quo Israel appellatur filius primogenitus Dei, filius deliciarum (Ex. 4, 22. 23. Ier. 3, 19; 31, 20. Os. 11, 1 etc.). Cum igitur magna haec dignitas in unoquoque Israelita agnoscenda sit, turpe est si inter se ipsos despiciunt, turpe, si se ita abiiciunt, ut cum spurcitiis gentium misceantur. Fratrem autem dicuntur despicere, quia filias fratrum quas in matrimonium duxerant, abiiciunt et tali opprobrio suam propriam nationem, suos contribules et fratres afficiunt (cf. *S. Hier. Alb. Rib. Lap. Men. Mar. Tir. Schegg*). Praeterea foedus illud violant, quod patres eorum et ipsi cum Deo pepigerunt; pactum illud *profanant* (hebr.); id quod in hebr. iam in membro antecedente innuitur: *quare ergo perfide agimus alter in alterum* ? Fidem datam violant, eo quod fidelem legis observationem negligunt et praesertim leges de matrimonio latas spernunt. Severe enim lege interdicebantur matrimonia cum Amorrhaeis, Chananaeis, Hethaeis, Pherezaeis, Iebusaeis, propter idololatriae periculum (Ex. 34, 16. Deut. 7, 3. 4), quod Nehemias quoque graviter advertit: « numquid non in huiuscemodi re peccavit Salomon rex Israel? et certe in gentibus multis non erat rex similis ei et dilectus Deo suo erat et posuit eum Deus regem super omnem Israel; et ipsum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigenae » (Neh. 13, 25).

Quis sit *unus* ille *pater omnium nostrum*, interpretes non consentiunt. Multi intelligunt *Abraham*; ita iam *S. Hier.* allegans Is. 51, 2 : *attendite ad Abraham patrem vestrum*, et *S. Cyr. Alb. Rib. Lap. Men.*; obiicit quidem *Sanct.* Abraham uti communis sit quidem Hebraeorum pater, tamen etiam aliis multis gentibus ortum dedisse, ita per Ismael Nabathaeis, Cedarenis, ex Cetura Madianitis, per Isaac Edomitis; sed haec obiectio rem non tangit, de qua hoc loco agitur; nam pater earum gentium quibuscum tempore Esdrae et Nehemiae coniugia miscere solebant, Abraham nullo modo dici potuit; erant enim practer Chananaeos, Hethaeos, Pherezaeos, Iebusaeos, Ammonitae, Moabitae, Aegyptii et Amorrhaei et Philisthaei (cf. Esd. 9, 1. Neh. 13, 23). Alii *Israel* explicant; ita *Sanct. Tir. Drusius, Grotius*; *Aaron* ibi exprimi vult *Theod. M.* Complures, praesertim recentiores, ipsum *Deum* vocari etiam h. l. patrem censent; ita *Theod. Mar. Ros. Schegg, Reinke, Keil, Trochon*; vocari enim *patrem* Deum etiam 1, 6 et saepius v. g. Deut. 32, 6. 18. Is. 63, 16; 64, 8. Ier. 2, 27 (?) 3, 4. 19; 31, 9. Iob 38, 28 (?); ita *Reinke*. Attamen haec rem non evincunt. Etiam Abraham saepius nomine patris honoratur Ios. 24, 3. Is. 51, 2 et iam Ex. 3, 6. 15. 16; 4, 5. Deut. 1, 8; 6, 10; 9, 5; 29, 13; 30, 20; quibus in locis sermo est « de patribus tuis, Abraham, Isaac et Iacob »; praeterea Iudith 8, 22. Eccli. 44, 20. Baruch 2, 34. Dein argumentatio plenior est, si ratio congrua ex duobus petitur ex communione generis stirpisque et ex religionis societate (cf. *Rib.*); porro notum est, quantopere Semitae originis nobilitatem et puritatem incontaminatam in pretio habeant (cf. ad Iob 15, 19), ergo prorsus consentaneum est et ad animos permovendos aptum, ut vates ab hac nobilitate incipiat et primo loco eam causam ponat, qua omnes naturae vi et impulsu tanguntur, et dein ad altiorem ac sublimiorem ascendat. Dein ipsa sermonis conformatio mihi hanc explanationem suadere videtur; dicit enim *pater unus* et *Deus unus* nobis est; in altera sententia potius dicendum esset : nonne pater et creator nobis unus Deus?

Ad acuendos conscientiae stimulos confert, quod antequam crimen proprio nomine proferatur, eius indignitas et turpitudo pluribus causis ostenditur. Id non sine emphasi fit, quando auditores iam suae conscientiae testimonio subodorantur, de quonam scelere reprehensio instituatur, fit etiam, ut iis praemissis maior attentio ad illud dirigatur, ad quod longiore ac graviore praefatione via sternitur. Unde propheta sicut incepit, ita in crimine amplificando pergit, ut demum nomine prolato rem designet v. 11 « *transgressus est Iuda, abominatio facta est in Israel et in Ierusalem, quia contaminavit Iudas sanctificationem Domini quam dilexit, et habuit filiam dei alieni* »; — hebr. *perfide agit Iuda*; est violatio fidei promissae; est res abominanda, qua Israel, sanctus scil. Deo populus et ipsum theocratiae centrum cum nausea et fastidio Domini commaculatur; Iuda profanavit sanctuarium Domini quod Deus singulari dilectione prosequitur, quia mulierem idololatram eamque quae ab idolorum cultu recedere non vult, populo associat sacro intima societate et coniunctione, qua illa cum cultore Dei una fit caro.

Quale sanctuarium Dei intelligatur, non apud omnes constat. Templum designari censent *Sanct. Reinke, Pressel*; « quis dubitet, Azotidas et Ammonitidas feminas quae nupserant Israelitis templum ingressuras, cum in Dei populum ipso coniugis iure sicut in viri sui familiam essent cooptatae et licet non professione et cultu, domo tamen et fortasse nomine tamquam Israelitides haberentur; praesertim cum viros haberent Israelitas et in his aliquos e sacerdotali genere, qui iniuriae sibi et ignominiae ducerent, si uxores suas ex Israelitarum atrio excludi viderent » (*Sanct.*). Res fortasse non improbabilis; nam etsi non ad Deum colendum, certe curiositatis causa istae feminae templum adire appetebant et ne secundo quasi ab israelitici generis feminis loco haberentur. Dein ipsa locutione *profanari sanctuarium* ea explanatio commendatur; templum enim vocari sanctuarium, probatione non indiget et *profanari* locum sacrum vel rem sacram spectat et de iis potissimum dicitur. Nihilominus plerique [1] h. l. ipsum populum Israel semen scil. sanctum et Deo consecratum dici existimant *sanctuarium Dei* quod profanetur (cf. *S. Hier. Rib. Lap. Men. Tir. Calm. Schegg, Keil, Trochon*); Israel enim dicitur קֹדֶשׁ לַיהוה Ier. 2, 3 et sim. Ex. 19, 6. Lev. 20, 6. Ps. 114, 2 (hebr.); etiam *profanari* חלל dicitur de personis; cf. Lev. 21, 4. 9. Is. 43, 28. Ez. 13, 19; 36, 22 etc. et apud ipsum nostrum vatem 1, 12. Unde haec interpretatio ex hac parte non potest cum *Reinke* impugnari; neque obstare videtur, quod porro obiicit *Reinke*, populum a propheta reprehensum non posse appellari *sanctuarium quod Dominus diligat*; nam propheta populi dignitatem theocraticam in medio profert et *haec* beneficia collata et insignem Dei electionem, qua iuremerito istis titulis honorantur, immo ad maiorem ignominiam et pudorem incutiendum vocantur, etsi peccatis veram sanctitatem amiserint. Manet enim etiam peccatoribus iste titulus a consecratione olim facta enatus et ex debito illo ortus, quod praestandum obligatione sanctissima omnino erat; similiter *Ephraim*, licet apostata, filius dicitur deliciarum Domini (Ier. 31, 20 hebr.), quibus titulis simul egregie Dei fidelitas et misericordia commendatur.— Cultrix idolorum dicitur *filia dei alieni*, quae scil. filiali pietate deo Israelitis extraneo adhaeret secundum illud : « dicentes ligno : pater meus es tu, et lapidi : tu me genuisti » (Ier. 2, 27). Similiter Iudaei filii Dei dicuntur, ut cum emphasi admoneantur vitae Deo dignae; v. g. Deut. 14, 1. Prov. 14, 26.

Quam indigna res sit, vates ostendit vindictam Dei invocans in caput reorum; « quia igitur hoc fecerunt, prophetae ad eos sermo dirigitur et a peccato maledictionibus retrahuntur » (*S. Hier*); v. 12 « *disperdet*

---

1. Alii pauci ipsum matrimonium *sanctificationem Domini* dici opinantur (*Alb. Vat. Mar.*), vel in universum foedus cum Deo (cf. *Tir.*).

Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum et discipulum de tabernaculis Iacob, et offerentem munus Domino exercituum » ; — hebr. *exscindat Dominus* vel deleat talem ex populo suo electo ; expungat nomen eius ex albo populi sui, ut et ipse abiiciatur neque prolem concipiat qua stirps eius in populo Dei perduret. Poena est condigna, quia eiusmodi coniugio praerogativam populi electi abiicit, eam dignitatem flocci facit et seipsum periculo idololatriae exponit (Ex. 34, 16. Deut. 7, 4. 3 Reg. 11, 3. 4). Cum emphasi precatur vates, ut *omnis* qui tale quid commiserit, deleatur sive nobilis fuerit et magnus, sive indoctus et despectus, sive senex sive iuvenis — locutio enim proverbialis ita in universum valere videtur — ; immo, ut is quoque eadem plectatur poena, « qui pro huiusmodi hominibus voluerit ad altare munus offerre, quorum solum remedium est non facere quae fecerunt » (*S. Hier.*) ; vel ut alii magis generaliter accipiunt : etiamsi sacrificiis Deum placare studeant, sive sacerdotes (offerentes munus) sive laici (afferentes munus), veniam non consequentur, nisi meliora meditati fuerint (*Sanct.*) ; demum alii : etiam sacerdotem qui tale contrahit matrimonium, deleat Deus (*S. Cyr. Rib.* ; ita *Chald.* quoque ; utique admittebantur talia a sacerdotibus Esd. 10, 18. Neh. 13, 28. 29). A talibus et pro talibus Deus non admittit *minchah.* Incruentum sacrificium commemorari videtur vel quia « pro anima quae tetigerit aliquid immundum et quidquam de immunditia hominis iuxta omnem impuritatem qua pollui solet », oblatio similae pro peccato fieri potuit (Lev. 5, 2. 3. 11), vel ne Deus oblationem respuere credatur propter defectum victimae, sed propter ipsius offerentis indignitatem ; in cruento enim sacrificio facile defectus adesse poterat et saepe admittebatur tempore Malachiae (cf. 1, 8. 13), non item in incruento, quia dummodo recta materia offerebatur, v. g. simila et oleum et vinum, eo ipso oblatio erat munda et legitima. Unde ne in hoc quidem loco opus est *minchah* generali acceptione sacrificii intelligi.

Locutio hebr. עֵר וְעֹנֶה *vigil et respondens* nondum sufficienter declarata est. Modus loquendi certe est proverbialis et sensus ex contextu est, *unumquemque* qui talia ad miserit, esse puniendum. Sed quid locutio proprie enuntiet et unde orta sit, non liquet. LXX solum habent : perdat Deus hominem qui talia fecit, *donec humilietur* de tabernaculis Iacob ; legerunt ergo parva literarum mutatione עד יענה ; *S. Hier.* intellexit, ut videtur, *excitantem* vel *vigilem* magistrum ; idque, ut *Rib.* existimat, « eleganter, quod vigilet et vera doceat et mentem discipuli excitet » interrogando, monendo ; discipulus autem est respondens, quod magistrum subsequatur et ei interroganti respondeat. Sim. *Vat.* et iam veteres interpretes iudaici, ut Iarchius et Kimchius testantur (cf. *Reinke*) ; et esse veterum Iudaeorum explicationem, versione probatur *S. Hier.* qui in eiusmodi rebus non semel sententiam Hebraei magistri sui se esse secutum profitetur (*Cornely*, Introd. I p. 426 sq.). *Syrus* vertit : perdat... et filium et filium filii eius ; eodem modo *Chald.* quae versio aperte solum sensum reddere, non verba

explicare censenda est. Recentiores autem varia coniectant : vigilem et respondentem significare omnem viventem, qui scil. mortis somnum nondum dormiat, sed vocanti et pulsanti respondere possit ; vel esse locutionem petitam a militibus vel custodibus nocturnis, qui dum excubias agant alios acclamare et responsum efflagitare soleant (*Ges.* Thes. p. 1004. *Fürst C.*), aut posse verti puerum et testem i. e. sobolem ; ער puerum ex arabico derivare conantur, vel puerum ita vocari quia sit alacer, excitatus etc. (cf. *Schegg, Reinke, Keil*) ; vel designari vigilem et loquentem i. e. omnem viventem (*Hitz. Trochon*) etc. ; cf. Zach. 9, 8 עבר ושׁב. Si כרת in mitiore significatione capi posset : *amoveat eum Deus* de Iacob, versio LXX *donec humilietur* i. e. poenitentia acta ad obedientiam humilis revertatur, bonum praeberet sensum et spem veniae et emendationis propositum exhiberet ; et revera mitior illa significatio non prorsus abest a verbo ; vide 1 Sam. 20, 15. At cum ceteroquin semper de excisione et deletione adhibeatur, non erit satis consultum ab ea frequentissima notione recedere. Si quis censet ער significare *excitantem*, melius ad sensum verteretur : perdat Deus et suadentem et obedientem i. e. qui tale facinus suadet et qui suadenti obsequitur.

b) **De repudiis 2, 13-16.**

Matrimonia illa cum alienigenis ex libidine inita uxoribus prioribus erant perniciei ; maxima enim iniustitia eiiciebantur a viris et repudiabantur. Harum dolores et gemitus, quos coram Domino vindice iuris laesi effundunt, propheta describit v. 13 « *Et hoc rursum fecistis : operiebatis lacrimis altare Domini, fletu et mugitu, ita ut non respiciam ultra ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra* » ; — hebr. *et hoc secundum* (alterum) *facitis* ; aliud additis crimen priori (v. 10). Explicat *S. Hier.* : « quod nobis ab Hebraeis sit traditum, disseramus : derelictae uxores israeliticae et in toris maritorum alienarum gentium feminas contemplantes ad Dei solius auxilium confugiebant, diebus ac noctibus ante altare Domini provolutae lacrimis, gemitu atque eiulatibus invidiam faciebant eius providentiae, quod non respiceret humana et miserias non iuvaret ». Iniuriae quae sentitur magnitudinem effert ex doloris significatione maxima et ex ira divina qua Deus iam non se respicere ait ad oblationem rite factam neque placationem admittere. *Operire*, ut notat *Sanct.*, aliquid importat magnum et abundans ; altare opertum dicitur fletu quia multae erant feminae quae in templo diu ac saepe lacrimabantur. Idem advertit, feminas esse valde impatientes iniuriae, maxime cum a viro aut a pellice se contemni videant ; sequi solere furorem et clamorem qui viciniam compleat.

Verum viri iniuriam factam esse et peccatum commissum solita contumacia agnoscere nolunt, hac in re sacerdotum duritiem et callum imitati (cf. 1, 6. 7). Quam mentium habitudinem describit, dum eos facit quasi admirantes, quod Dei iram incurrerint, et nescientes qua de causa sint ei exosi : v. 14 « *et dixistis : quam ob causam ? quia Dominus te-*

stificatus est inter te et uxorem pubertatis tuae, quam tu despexisti et haec particeps tua et uxor foederis tui »; — Deus enim qui matrimonium instituit ita ut sit inviolabile et foedus perdurans — Gen. 2, 24 quem locum multi hic bene allegant; cf. *S. Hier. Theod. Theod. M. Alb. Rib. Sanct. Lap. Tir. Gord. Calm.* — est etiam foederis initi, utpote rei sacrae, testis et vindex; erat scil. *testis* cum matrimonium iniretur, inter uxorem et virum. Unde Laban ad Iacob: « intueatur, inquit, et iudicet Deus inter nos, si afflixeris filias meas et si introduxeris alias uxores super eas: nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui praesens respicit » (Gen. 31, 49. 50) et Raguel filiam Saram copulavit Tobiae dicens: « Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Iacob vobiscum sit et ipse coniungat vos » (Tob. 7, 15); quare de muliere infideli dicitur: « pacti Dei sui oblita est » (Prov. 2, 18). Deus igitur sanxit, firmavit matrimonium; eo auctore factum est et stipulatore (ita *Mar.* sim. *Sa, Lap. Men. Schegg, Reinke, Trochon*). Quae est prima et valentissima ratio, cur ab iniusto divortio abstinendum esse vates doceat. Alias addit quae aptae sunt ad animos recordatione amoris pristini et felicissimi emolliendos et ad miserationem et priscam fidem flectendos; vocat enim *uxorem pubertatis tuae*, quam scil. iuvenis duxit, cui primos et ardentissimos amores consecravit et ex qua suavitates plurimas percepit (cf. *Sanct.*); « laetare cum muliere adolescentiae tuae » (Prov. 5, 18). Quam inhumanum et crudele, eam nunc despicere, vel ut in hebr. habetur, *in eam perfide agere,* fidem datam frangere — et tamen erat et est *socia tua*; in memoriam duro marito revocatur suavis illa et dulcis societas cum uxore et quomodo per annos fideliter et amanter omnia communia inter se habuerint et gaudia et moerores. Talis autem societas diuturna et earundem rerum experientia et mutua inter se oblata consolatio et confortatio quam maxime animos solet arctissimo vinculo copulare, eiusque rei memoria apta est ad saxea pectora emollienda. Ultimo loco graviter monet, eam uxorem esse *uxorem foederis tui* i. e. quacum legitime verum ac sanctum foedus iniit, quod rescindere impium sit, praesertim si ex libidine fiat et impuro amore in alienam et extraneam. Virum igitur monet, quantopere eum deceat *esse constantem,* ne sibi ipsi maculam inurat, foedus a se sollemniter initum turpiter violans; aliam non esse foederis uxorem, sed libidinis instrumentum. Quare in hebr. (uti versus concipi *potest*) pergit vates: *et* (ita) *nemo agit, qui reliquias spiritus habet* i. e. qui ex aliqua parte adhuc vera doctrina et spiritu Dei est imbutus vel sua ratione humana rite uti velit; in matrimonio enim non libidinem esse quaerendam, sed *semen Dei*, scil. ut filios procreent servos Dei, ut benedictionem in semine Abraham in filiis consequantur (cf. Tob. 6, 22).

Verum plerumque rem aliter concipiunt : foedus illud sancte est servandum, quia uterque coniugum a Deo est formatus, idem Dei spiritus utrique est communis : v. 15 « *nonne unus fecit et residuum spiritus eius est? et quid unus quaerit nisi semen Dei* » ? — nonne idem Deus etiam mulierem creavit? nonne communis utrique spiritus, quia quod fuit Adae residuum, id datum est Evae (*Sanct.*). Deus enim in hominem inspiravit spiraculum vitae et residuum spiravit in mulierem, i. e. aequalem utrique dedit animam; uno eodemque quasi spiraculo (neque enim nisi semel in eos inspirasse legitur) animavit utrumque (*Tir.*). Cum ergo corpus mulieris sit ex costa Adami formatum et anima eius sit quasi residuum spiritus, flatus sive halitus Dei, par est virum et uxorem tantam coniunctionem non dissolvere, sed admonentur ut unius plane animi et affectus sint (ita *Lap. Men. Tir.* ; sim. *S. Hier. Rup. Rib. Sanct. Sa, Mar. Schegg*). Et quid unus ille scil. Deus quaerit, nisi sanctos gigni filios ex fideli patre et matre? vult, ut semen sanctum, populus Dei propagetur, ut populus nascatur qui in cultu Dei bene instituatur et se *semen Dei* i. e. spiritu Dei imbutum et animatum revera praebeat. Sed num *tales* filii ex coniugiis cum idololatris exorientur? Vel Deus populum suum sanctum vult conservare, non vult semen adulteratum per matres alienigenas, uti fecerunt tempore Esdrae : « commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum » (Esd. 9, 2). Ita iidem explicant.

Locus iste satis est obscurus, quod iam ex variis interpretum sententiis patet. *Residuum spiritus* aliter *Reinke* explicat : nonne totus et integer spiritus hominis immo et minima quasi eius pars ad Dei obsequium et obedientiam referri debet? unde sicut a Deo egressus est, ita totus ei debet esse deditus et proinde etiam fidem in mulierem servare. — Sed non cernitur, quomodo *residuum spiritus* in eam partem apte dicatur. — Alii *unum* illum intelligunt Abraham, qui Is. 51, 2 et Ez. 33, 24 *unus* vocatur (sed nomine Abraham addito). Ita iam *Chald.* qui nomen Abraham ipsi paraphrasi inseruit, ita *S. Ephr. Barh. Pagninus, Vat. Keil, Trochon*; eiusque explicationis mentionem faciunt *Rib. Mar. Calm.* etc. Sensum concipiunt : num Abraham ita egit, ut scil. uxorem legitimam et sterilem repudiaret? Abraham scil. in quo *excellentia spiritus* fuit, vel qui certe *partem* habuit spiritus recti ac boni, vel, ut aliis praeplacet, cuius de spiritu residuum nos sumus. Ille omnium maxime optabat *semen Dei* i. e. divinarum promissionum heredem; at uxorem sterilem non repudiavit et cum Agar ancillam sibi copularet, non ex libidine fecit neque cum Sarae offensione et iniuria, sed ipsa Sara hortante, ut posteros a Deo promissos nancisceretur.

At haec de Abraham explicatio non caret incommodis, quae iam bene a *Rib.* notantur. Cur *unus* dicitur absolute, cur nihil de nomine additur? Neque ita clare ex re allata designatur, ut non potius divinatione quam explicatione opus sit ad eum eruendum. Neque exemplum eius ad rem esse videtur, sed potius

eorum favere incontinentiae. Nam post genitos Ismael et Isaac duxit Ceturam et filios genuit ex concubinis ; « quomodo dicent eum quaesivisse semen Dei, cum populus Dei non per filios concubinarum, sed per Isaac esset propagandus . . . certe si hoc propheta diceret, facile responderent Iudaei se verius semen Dei quaerere i. e. propagationem populi Dei, non autem infidelium populorum, ut Abraham » (*Rib.*).

Commodior sane et aptior est ea explicatio, quam recentiores quidam proponunt (cf. apud *Calm. Reinke, Trochon, Pressel*) simulque facilior : non-unus i. e. nullus ita agit qui levissimo divini spiritus residuo est instructus ; an istud faceret, si solum semen sanctum et posteros Deo consecrandos quaereret ? non prolis amore, sed libidine ad talia coniugia cum infidelibus et ad repudia legitimarum impelluntur. Locutio לא־אחד potest illum habere sensum ; cf. Num. 16, 15. 1 Reg. 8, 56. Hanc explicationem etiam tangere videntur LXX, cum satis facile ad variam LXX lectionem accommodetur, sive legeris οὐ καλὸν ἐποίησε... (cum cod. vatic.) sive οὐκ ἄλλος ἐποίησεν (cum cod. alex. et cod. syr. hexapl. etc.), sensus utrimque erit : eum qui habeat residuum spiritus, talia non esse perpetraturum. LXX legerunt אחר pro אחד.

Unde eis praecipitur : « *custodite ergo spiritum vestrum et uxorem adolescentiae tuae noli despicere* » ;— hebr. *cavete spiritui vestro et in uxorem adolescentiae tuae ne (quis) agat perfide* [1] i. e. cavete ne spiritus Dei a vobis recedat, ne penitus eum amittatis (cf. Neh. 9, 20), ne abducamini libidine et voluptate vincente et penitus exstinguente spiritum bonum et Dei in vobis imaginem ; ergo aliis verbis « cohibete malas appetitiones » (*Theod. S. Hier. Rib. Lap.*), ne istae mentem et rationem subvertant et id quod in homine est divinum perdant et exstinguant. Cur autem uxor non debeat repudiari, aliam rationem addit ex textu hebr. v. 16 *quia odio habens (ego) dimissionem, dicit Dominus Deus Israel*, et qui talia agit, *iniquitate operit vestimentum suum* i. e. palam et magnopere iniquitate oppletus apparebit. Nexus iste est facilis et obvius. Difficiliora sunt *vulg.* verba, quae repudium et divortium non reprehendere et impedire, sed permittere et commendare videntur v. 16 « *cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israel ; operiet autem iniquitas vestimentum eius, dicit Dominus exercituum ; custodite spiritum vestrum et nolite despicere* » ; — sed cum in antecedentibus divortia adeo reprehendantur, nunc certe non possunt suaderi, si quis odio habet uxorem ; tali enim ratione *omne* divortium et repudium facillime vestiri

1. Mutatio haec personae satis est dura. LXX, *S. Hier. Chald.* exprimunt secundam personam etiam in verbo ; *Syrus* habet : et homo ne agat perfide. *Reinke* textum mas. servat, sed supplet רוח. *Keil* talem personae mutationem admitti et defendi posse censet ; sed Is. 1, 29 est tamen alterius generis ; quare consultius erit relicto textu mas. cum antiquis scribere אל תבגד.

potest et sine odio nullum fit. Unde textum aliter explicant; et *S. Hier.* quidem verba illa considerat ut dicta et obiecta a Iudaeis ex Deut. 24, 1 seq. « statimque respondit : hoc quidem in lege praeceptum est, sed propter duritiem cordis vestri. Quod plenius Dominus in evangelio prosequitur : quicumque autem excepta causa fornicationis uxorem inique dimiserit, operiet vestimentum eius iniquitas » (sim. *Men.*). Alii ea per ironiam dici censent : dimitte, si vis; at scelere te undique operies quasi vestimento (*Rib.*); alii : dimitte eam potius liberam, ut sui iam sit, non alieni ac tyrannici iuris (*Sanct.*); id satius est, quam ut eam domi perpetim ut servam affligas; sed scito quod iniquitatem non evades (*Lap.*). Alii causas repudii restringunt ad odium *iustum* quod non ex qualibet re vel mala affectione, sed ex delicto uxoris, ex eius adulterio ortum sit (cf. *S. Cyr. Theod. M.*). Iniquitas ea dicitur operire vestem, quae sit patens et conspicua et totum hominem involvat et circumdet ad instar vestimenti (cf. *Lap. Mar. Men. Tir. Schegg, Reinke, Trochon*). De ultimo membro cf. v. 15.

Textum hebr. vertunt veteres, uti *S. Hier.* i. e. si odio habes, dimitte; *Syrus* verba ea omittit. *Chald.* etiam in secundo membro addit negationis particulam : nec obtege peccatum vestimento tuo. *Reinke* ita : si quis ex odio dimittit, crudelitate operit vestem suam. Sed planior est et ad verba hebr. magis accommodata et ad sensum et nexum prorsus facta versio recentiorum : quia odio habens dimissionem, dicit Dominus (cf. *Hitz. Schegg, Keil, Pressel, Trochon* et iam invenitur apud aliquos rabbinos, quos *Arias, Lap. Ros.* commemorant). Est enim שָׂנֵא participium; unde quis sit odio habens facile suppletur ex subsequenti *dicit Dominus* (cf. Zach. 9, 12); infinitivus שַׁלַּח est obiectum. Neque id ullo pacto contradicit permissioni Deut. 24, 1 datae. Nam eo in loco non conceditur divortium illimitate, sed ex gravissima solum causa, ex fornicatione vel adulterio a muliere commisso; tempore autem Malachiae agebatur de frequentia repudiorum, quae ex libidine fiebant et ex amore alienigenarum. Deinde cum Deus docente Christo libellum repudii solum concesserit Iudaeis ob cordis duritiem atque ab initio ipso naturae instituto matrimonium statuerit et declaraverit insolubile ac perpetuum, iure merito dicitur odio habere repudium.

c) Messias ut iudex 2, 17-3, 6.

Prophetae praecedentes cum reditum ex captivitate annuntiarent, ei fere continuo adiunxerunt splendida de instauratione messianica vaticinia. Ita fit, ut ipsum reditus tempus saepe proponi videatur tamquam periodus prosperitatis et felicitatis abundantissimae. Reditum v. g. promittit Ezechiel; sed immediate addit : « et replebo vos hominibus et iumentis et multiplicabuntur et crescent; et habitare vos faciam sicut a

principio bonisque donabo maioribus quam habuistis ab initio... nec auditam faciam in te amplius confusionem gentium et opprobrium populorum nequaquam portabis... et salvabo vos ex universis inquinamentis vestris et vocabo frumentum et multiplicabo illud et non imponam vobis famem; et multiplicabo fructum ligni et genimina agri, ut non portetis ultra opprobrium famis in gentibus... terra illa inculta facta est ut hortus voluptatis et civitates desertae et destitutae atque suffossae munitae sederunt... et scient gentes quaecumque derelictae fuerint in circuitu vestro, quia ego Dominus aedificavi dissipata plantavique inculta, ego Dominus locutus sim et fecerim... requiescere vos faciam super humum vestram... percutiam illis foedus pacis, fundabo eos et multiplicabo... et scient gentes quia ego Dominus sanctificator Israel » etc. (Ez. 36, 10. 15. 29. 35; 37, 14. 22). Et quam splendide urbis instauratio erat annuntiata ab Isaia (49, 17; 54, 1 seq.), a Ieremia (33, 7 seq. 31, 38; 32, 26 seq.), a Zacharia (2, 2 seq.)? Verum eventus omnem fallere videbatur exspectationem. Iudaei reduces ex Babylonia et ab externis vexabantur inimicis et domesticis quoque affligebantur calamitatibus. Templi urbisque initia parva erant et admodum exilia et hostium insuper infestationibus turbata, impedita; accedebant sterilitatis famisque plagae et tantum aberat, ut gentes maiestatem ac potentiam Dei Israel et populi electi dignitatem eximiam agnoscerent et venerarentur, ut utrumque opprobiis et dicteriis afficerent (cf. Esd. 3, 12; 4, 4 seq. Neh. 1, 3 seq. 2, 19; 5, 2 seq. Agg. 1, 6; 2, 17). Neque ea rerum conditio in melius mutabatur templo urbeque exstructis. Sub alienorum imperio vitam trahebant penuria afflictam (Mal. 1, 7. 13); at quis nesciat animum quo maiore prematur miseria, eo ardentiore desiderio et cupiditate avidiore anhelare ad tempora meliora? Atqui talia oraculis certissimis promissa erant Israelitis; ergo non erit mirum, si magna cum impatientia, uti homines solent, eorum temporum adventum prospexerint et se longiore iam exspectatione et spe vana delusos esse conquesti sint. Neque id mirum est quod magnam rerum afflictarum partem non propriae negligentiae, socordiae et divini cultus virtutumque neglectui adscripserint, sed suae infidelitatis obliti aequam se ac iustam bonorum mensuram a Deo accepisse negaverint; is enim est hominum animus, ut fausta quidem promissa avide capiat, at quae ab ipso sint praestanda ut illis potiatur, tum maxime negligat si strenuum virtutum solidarum exercitium requiratur.

Hisce suppositis iam populi intelliguntur querelae quas refert Malachias et modus ille quo eis obviam it propheta. Censent enim illi comparatione instituta cum gentibus, se iniquius a Deo adhiberi neque Deum in adimplendis promissis esse solertem, se autem iniuste negligi et fru-

stra ius suum et adversariorum punitionem, quae duo toties sint promissa, exspectare. Hunc autem animorum morbum propheta more suo quaestione proposita et acri accusatione prolata in medium affert, ut ipsi sibi conscii fiant malitiae latentis ; v. 17 « *Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, et dixistis: in quo eum fecimus laborare? in eo quod dicitis : omnis qui facit malum bonus est in conspectu Domini et tales ei placent ; aut certe ubi est Deus iudicii* » ? — Dominum fatigant, fastidium ei et nauseam afferunt ; « illud *laborare* magnum habet pondus, neque enim leve est illud onus in quo sustinendo laborare dicuntur et lassari divini humeri » (*Sanct.*). Aegerrime scil. ferunt quod ipsi qui sint populus Dei, adeo sint in rebus angustis et afflictis constituti, dum gentiles peccatores mundi dominatione, opibus, potentia potiantur — unde cum acerbitate dicunt, tales peccatores utpote beneficiis et favoribus divinis exornatos iam a Deo approbari eique pro rerum eventu esse acceptos ; simul animis exulceratis omnem defensionem Dei excludentes et reiicientes addunt : *aut* si quis obloqui et Dei causam tueri vellet, *ubi est* i. e. certissime et apertissime nullibi cernitur illud *iudicium* quod Deus toties gentibus annuntiavit, illud *iudicium*, ille status quem suo populo se restituturum esse toties pollicitus est. Non sine acerba impatientia Deum vocant *iudicii Deum*, utpote qui ius et iustitiam in terris efficere, populo suo bona foederibus promissa tamquam ius suum reddere se velle sollemniter saepe sit professus et vindictam in gentes frequenter sit comminatus (cf. Is. 26, 9 ; 34, 5 ; 40, 27 ; 58, 2 ; 59, 11 ; 66, 15. Ez. 39, 21. Dan. 7, 10. Os. 6, 5. Soph. 3, 5. 8 etc.). Bene monet *S. Hier.* illas fundi querelas, quibus homines videntes malorum prosperitatem saepe exagitantur ; ita Ps. 38 et 72 ; Iob 21, 7. Ier. 12, 1. Hab. 1, 3. 13. « Reversus ergo populus de Babylone et videns cunctas in circuitu nationes ipsosque Babylonis idolis servientes abundare divitiis, vigere corporibus, omnia quae bona putantur in saeculo possidere, se vero qui habeat notitiam Dei squalore, inedia, servitute coopertum, scandalizatur et dicit : non est in rebus humanis providentia . . . aut certe si Deus cuncta diiudicat, ubi est illius aequum iustumque iudicium » (*S. Hier*) ?

Expostulationi obviam it propheta modo aptissimo. Querelis enim eorum *respondet* (cf. *Lap. Mar. Tir.*), venturum esse Dominum iudicii et foederis ; at ipsi videant, num sint ad iudicem illum qui districtum iudicium etiam in suum populum sit exerciturus, rite excipiendum praeparati ; ipsi perpendant, num non eius adventus potius ruinae sit futurus illis, qui impii cum sint et rerum divinarum contemptores, tamen cum Deo expostulare audeant. Tempore enim messianico districtum fore iudicium etiam adversus magnam populi electi partem, iam in antecedentibus vaticiniis continetur (cf. Ez. 34, 20. Zach. 13, 9).

Primo promittitur praecursore praemisso Dominum novi foederis conciliatorem venturum esse : 3, 1 « *ecce ego mitto angelum meum et praeparabit viam ante faciem meam ; et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quaeritis et angelus testamenti quem vos vultis ; ecce venit, dicit Dominus exercituum* » ; — ex quibus verbis eos conquestos esse elucet, quod vaticinia messianica aut non aut aequo tardius implerentur ; cum enim post querelam et impatientiae significationem 2, 17 *ubi est Deus iudicii?* propheta cum emphasi respondeat : *veniet Dominator quem vos quaeritis et angelus testamenti quem vos desideratis* (hebr.), in aperto est positum eos vaticiniorum messianicorum impletionem appetiisse, qua demum ex misera conditione se iri ereptum cum impatientia exspectabant. Propheta vaticinium olim ab Isaia editum in mentem revocat atque repetens confirmat (Is. 40, 3) — id quod etiam locutione ostenditur eadem פִּנָּה דֶרֶךְ quae non occurrit nisi Is. 40, 3 ; 57, 14 ; 62, 10 et hoc nostro loco. Illa « vox clamantis » hoc loco tamquam nuntius a Domino missus designatur, qui ex more orientalium regi advenienti viam paret (cf. ad Is. 40, 3). Hoc legato divino, per quem populus ad Messiam recipiendum erit praeparandus, misso ipse Dominus veniet ἐξαίφνης de repente, subito (hebr.), extemplo (cf. Prov. 6, 15), quasi modo inexspectato ita ut adsit ex improviso inter populum suum et in templo suo, quamvis eius legatus praecesserit. Cum igitur legato misso tamen venturus sit pro populo *repente* et ex improviso, innui videtur, pro maiore populi parte illam annuntiationem et praeparationem per legatum parum fructus esse allaturam.

Veniet autem הָאָדוֹן *Dominator* κατ' ἐξοχήν, qua appellatione septies praeter nostrum locum occurrente non designatur nisi Iahve, Deus verus (Ex. 23, 17; 34, 23. Is. 1, 24; 3, 1; 10, 16. 33; 19, 4). Etiam nostro loco intelligi debere Deum, praeterea ex eo patet, quia qui loquitur, est *Dominus exercituum*; sed is certo veniet, cuius via praeparatur et ante quem legatus mittitur; atqui legatus dicitur mitti ante eum qui loquitur i. e. ante Dominum exercituum, ut ei viam paret. Idem innuitur, quia Dominator venit ad *templum suum*, templum autem non est nisi templum Dei (cf. *Rib. Sanct. Sa*). Quamvis enim הֵיכָל etiam *palatium* regis significet (cf. 1 Reg. 21, 1. Is. 13, 22. Am. 8, 3)[1], tamen iuremerito hoc loco cum LXX et *Syro* vertitur *templum*, quod scil. alia voce non designatur et ita apud Zachariam, Aggaeum, Esdram, Nehemiam frequenter nominatur. Insuper cum eo tempore regia domus non exsisteret et vox unice de *templo* usurparetur, aliud Malachiae auditores intel-

---

1. Adnotat *Corluy* (Spicil. dogm. bibl. I p. 326) הֵיכָל vicibus 58 adhiberi de templo et tantum quinquies de palatio.

ligere non poterant. Idem ex v. 3. 4 colligitur; is enim qui venit ad templum suum, sedet ad emundandos *templi* ministros, levitas, ut offerant sacrificium purum. Simul ulterius declaratur, qua ratione templum futurum sit ex Aggaei prophetia (2, 7) gloriosius priore, cum ad templum secundum ipse Dominus sit venturus, uti iam Ezechiel rem symbolice repraesentari viderat (Ez. 43, 7; cf. *Sanct. Lap. Sa, Men.*). Veniet autem promissa implens tamquam *angelus testamenti* i. e. legatus, internuntius, conciliator foederis promissi (*Lap. Tir.*), ut «nuntius testamenti docendi et implendi» (*Alb. Sanct.*). Et apte quidem. Nam in Messia demum absolvuntur et complentur promissiones patriarchis datae; in Messia foedus illis propositum perficitur: omnes in eo inveniunt benedictionem et in eo omnium bonorum divinorum praebetur amplissima communicatio; insuper instauratio messianica tamquam pactum novum et excellens pacis et iustitiae, pactum sempiternum quod nequeat dissolvi, apud prophetas iam est descriptum, ita ut nunc *Dominator* tamquam huius foederis mediator et sponsor designetur (cf. Is. 42, 6; 49, 8; 55, 3; 54, 10; 59, 21; 61, 8. Ier. 31, 31; 32, 40; 33, 20. Ez. 16, 60; 34, 25. Dan. 9, 27. Os. 2, 18). Et ita Christus «novi testamenti mediator» appellatur (Hebr. 9, 15). Igitur sollemni modo vaticinia olim data confirmantur et murmurantibus et conquerentibus, quod promissiones in longum differantur, cum emphasi repetitur: *ecce venit,* et *Domini exercituum* potestas et maiestas promittentis et asseverantis ut certissimum pignus perhibetur.

Insigne hoc loco testimonium de Messiae divinitate continetur. Ultimus prophetarum hanc veritatem quam maxime clare et distincte enuntiat. Eam iam proposuerat Is. 9, 5; eam adumbrari facile concesseris in Ps. 2; praesertim Ps. 44, 7, etiam Ps. 109, 1. 3 et Zach. 12, 10; qui omnes loci hoc oraculo illustrantur et absolvuntur. Neque dubitari potest, quin *Dominator* et *angelus testamenti* sit unus idemque [1]. Id iam ex modo loquendi et parallelismo colligitur. Quaerebant enim: *ubi est Deus iudicii?* respondet propheta: is quem quaeritis et desideratis veniet; illi foederis promissi impletionem gloriosam expetunt; respondet propheta Deum ut talem se exhibiturum; demum cum concludat: *ecce venit,* aperte declarat de *uno eodemque* esse sermonem institutum. Quare perperam aliqui angelum testamenti eum intelligunt, quem Dominus ut nuntium ante se mittendum promiserat (cf. *Hitz.*). Messias dicitur venire ad *templum suum*; ibi ergo est proprius locus manifestationis eius divinae, ibi enim foederis antiqui quod ad perfectionem adducit

1. Cf. *Eusebius* (dem. ev. 5, 28; *M.* 22, 407).

centrum est collocatum, ibi in umbra et symbolo « gloria Domini » apparere olim solebat, ibi Deus inter populum suum inhabitare, ibi cor suum ponere dicebat; ergo quam maxime congruum erat, ut Messias in templo demum sese populo suo manifestaret. Idque quam praeclare Christus praestiterit, evangelia testantur, et propter eam rationem in Cana monuit : « nondum venit hora mea » (Ioan. 2, 4).

Cum verba adeo sint clara et iam Aggaeus templi secundi gloriam annuntiasset, mirum est quod multi *templum* non proprie sed solum metaphorice accipiunt vel de Ecclesia, vel de anima quaque quae fide eum suscipiat, vel de beatissima Virgine, in qua carnem assumpserit, vel de humana natura, in qua Verbum divinum habitaverit (cf. *S. Cyr. Theod. S. Augustin.* Civ. D. 18, 35; *M.* 41, 595. *Alb. Rib.*; eius explicationis mentionem quoque iniicit *S. Hier.*). Nuntius qui mittendus sit ad viam praeparandam, est, uti ex eventu et ex evangeliorum testimoniis apparet (cf. Matth. 3, 3; 11, 10. Marc. 1, 2. Luc. 1, 17; 3, 4), *S. Ioannes Baptista*, praecursor Domini in spiritu et virtute Eliae; neque ulla adest ratio verba explicandi vel de angelo quodam, uti v. g. Ex. 33, 1, vel de serie integra quadam nuntiorum qui populum per reliquum tempus debeant praeparare ad adventum Domini, ut voluit *Hengstenberg* cum paucis aliis, uti *Eichhorn* et *Theiner*. Oraculum enim ita effertur, ut de *uno* nuntio sermo sit, cuius adventus indicium esse possit Messiae iamiam appropinquantis; ergo certus quidam intelligitur, qui simul atque exsistat et viam paret per exhortationem et institutionem ad poenitentiam (cf. Is. 40, 4), tempus quoque Messiae adesse cognosci debeat. Utrum autem talis nuntius sit futurus *angelus* an *homo*, ante eventum *certo* definiri vix poterit; at ex analogia cum 4, 5 et ex ratione et vi muneris prophetici, cuius pars maxima et praecipua sane est talis praeparatio, et fortasse etiam ex ipsa Messiae humana natura, in qua appariturus scitur (cf. Is. 7, 14. Ier. 31, 22. Mich. 5, 2), satis probabiliter sequitur, *hominem* nuntium illum fore. — Iudaei hic quoque fabulantur de Messia *ben Ioseph*, alii de angelo vastatore qui inimicos populi sit deleturus etc.; cf. apud *Reinke*, Mal. p. 455. *Barh.* historice intelligi ait *Michaelem* (forte propter Dan. 12, 1) populi ducem, spiritualiter autem *Ioannem B.*, de quo solo SS. Patres et interpretes catholici oraculum explanant.

At vae illis qui peccatis et iniquitatibus immersi non innovationem internam et veram sanctitatem meditantur! Illis erit iudex terribilis. Quare ii quoque qui 2, 17 tanta cum impatientia contra Deum murmurant, bene perpendant num parati sint ad talem iudicem secure suscipiendum. Erit enim adventus eius tempus iudicii severi et tempus quo palea a tritico et scoria ab auro argentoque examinatione districta separabitur :

v. 2 « *et quis poterit cogitare diem adventus eius? et quis stabit ad videndum eum? ipse enim quasi ignis conflans et quasi herba fullonum* »; — hebr. *et quis sustinebit diem adventus eius? et quis (erit) consistens, cum apparet; ipse enim est quasi ignis conflatoris et sicut sal lixivii*[1] *lotorum*; secunda versus pars explicat, cur adventus Messiae sit periodus iudicii. Uti enim iam per Isaiam praedictum est, in spiritu iudicii et spiritu ardoris abluet sordes filiarum Sion et sanguinem Ierusalem lavabit (Is. 4, 4); ipse, ut Ezechiel annuntiavit (34, 20), iudicabit inter pecus pingue et macilentum; et secundum Zachariam ducet eos per ignem et uret eos sicut uritur argentum et probabit eos sicut probatur aurum (Zach. 13, 9). Vae igitur scoriae, quae igne conflatoris absumetur! Adventu Messiae mali ac reprobi ex Israel abscindentur, et quis verus sit Israelita apparebit; tunc enim fiet illud : convertam manum meam ad te et excoquam ad purum scoriam tuam et auferam omne stannum tuum (Is. 1, 25), Sion enim in iudicio redimetur (Is. 1, 27). Simile iudicium contra impios quo a populo Dei excisi ruinae tradebantur, iam factum esse exsilii tempore, prophetae iisdem comparationibus adhibitis docuerunt (cf. Ier. 6, 27. Ez. 22, 20); quare si nunc eadem de adventu Messiae dicuntur, graviter admonentur, ne inani fiducia propter suum ab Abraham descensum sibi salutem promittant, sed ut potius sinceris mentibus studio pietatis incumbentes Messiam iudicem secure expectare possint.

Talis autem doctrina tempore Malachiae eo aptius et efficacius proferri censenda est, quia cum prophetae antecedentes adeo frequenter et sedulo indolem spiritualem et veram sanctitatem instaurationis messianicae inculcaverint, quam maxime aequum et iustum erat, ut demum addiscerent Iudaei veram morum emendationem et sinceram pietatem esse Messiae obviam ferendam, quod si quis neglexerit, Messiam fore ruinae et condemnationi. Similia quoque minabantur prophetae, cum diem Domini magnum ac terribilem describerent (cf. Ioel 2, 11. Soph. 1, 15). Tamquam talis iudex Messias a praecursore suo exhibetur, quippe qui habeat ventilabrum in manu sua ad purgandam aream suam, ut paleas comburat igne inexstinguibili, et qui iam securim ad radicem arborum posuerit, ut omnem arborem quae non faciat fructum bonum, excidat et in ignem mittat (Matth. 3, 10. 12. *S. Cyr.*), et tamquam talem se ipsum declaravit cum diceret : ignem veni mittere in terram et quid volo nisi ut accendatur (cf. *S. Hier. Cyr. Lap.*). Quare a tali commi-

1. Cf. ad Iob 9, 30 de voce בֹּרִית; propter eam *Hitz.* iam v. 1 pro *angelo testamenti* בְּרִית angelum vel ministrum salis lixivii textui obtrudere vult!

natione pro iis qui 2, 17 describuntur, id colligitur quod iam Amos monuerat : vae desiderantibus diem Domini ; ad quid eam vobis ? dies Domini ista tenebrae et non lux (Am. 5, 18).

Eo vaticinio simul egregio exemplo docemur, prophetas locis singulis unam solum partem proponere, cetera autem silentio premere. Ita hoc loco de Messia pars iudicis declaratur, quam utique etiam in primo suo adventu obivit et ipso regno messianico fundato exercuit. Verum quis nesciat de eodem adventu alia quoque praedici, quae Messiae suavitatem, misericordiam, amorem tenerrimum in peccatores ostendant et opus reconciliationis et mortem pro reis describant ? Haec igitur vaticinia minime inter se pugnant. Quare neque opus est cum *S. Augustino* (Civ. D. 20, 25. *M.* 41, 699) nostrum oraculum de ultimo iudicio solo intelligere (id quod sequenti quoque versu excluditur) neque cum *Theod. M.* de tempore Machabaeorum ; hic in eam interpretationem impulsus est, quia, « quamvis Christus officio iudicis discrevit Iudaeorum improbos a melioribus, credentes sibi ad meliorem frugem traducens, incredulos poena afficiens, attamen exploratum est quod generali ratione scopum habuerit adventus sui illum quem beatus Ioannes declaravit dicens : ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi » ; quasi unum alterum excluderet aut propheta integram Messiae doctrinam et opus una eademque in sede pertractare deberet.

Tale autem iudicium praecipua quadam ratione in eos fore dicitur, qui vi muneris scientiam Dei custodire aliosque docere et mediatores esse debent inter Deum et populum (cf. 2, 5 seq.), et quem in finem instituendum sit declaratur v. 3 « *et sedebit conflans et emundans argentum et purgabit filios Levi et colabit eos quasi aurum et quasi argentum ; et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia* » ; — iudicium enim a domo Dei incipit (cf. Ez. 9, 6. 1 Petr. 4, 17) et merito ab illis qui ceteris exemplo et salutis subsidio esse debent. Similitudine conflatoris innuitur, per Dei gratiam adesse metalla pretiosa sed scoriis maculata et infecta ; adesse scil. in populo semen sanctum quod probatione sit educendum, adesse (ut exemplo S. Pauli utar) olivam bonam, at ramos malos esse exscindendos. Messias igitur sacerdotes et ministros puros et aptos sibi comparabit ; *sedebit* i. e. « non raptim et perfunctorie id faciet, sed ex professo » (*Mar.*) « ut fiant nitidi instar argenti » (*Lap.*). Quantopere sacrum sibi effecturus sit sacerdotium quantaque cura eorum sanctitatem sit promoturus, ipsa verborum copia declaratur. Eius partem iam cernimus impletam in frequentibus illis reprehensionibus et castigationibus, quibus Christus sacerdotes et legis doctores perstrinxit. Verum ibi non est sistendum, sed generalis traditur norma, qua Messias in regno suo est usurus et qua satis proponitur, quales expostulet ministros

et sacerdotes. Cur autem ita solerter sint purgandi et ad summum splendorem ad instar auri adducendi, ratio redditur : *et erunt Domino offerentes oblationem (minchah) in iustitia* (hebr.) i. e. ut sint offerentes... *Minchah* autem dicitur, quia ex 1, 11 tempore messianico aliud sacrificium iam non exsistet nisi *oblatio munda*, quae uti in se est sanctissima et purissima, ita ut a sanctis et puris ministris offeratur, quam maxime est congruum ; quare dicit *in iustitia offerentes*, ut animi sacerdotum rei oblatae correspondeant. Atque sicut ii qui sunt Christi, S. Paulo docente semen sunt Abrahae, secundum promissionem heredes (Gal. 3, 29), ita qui in munus et officium levitarum succedunt idque sublimiore modo exercent, recte vocantur filii Levi. Ceterum ipsa impletio non immerito censetur esse inchoata a filiis Levi proprie dictis ; nam « multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei » (Act. 6, 7).

Tali iudicio et igne conflatorio scoriae removebuntur et exsistet plebs Deo sancta ; quare *oblatio* illa in iustitia facta Deo erit gratissima : v. 4 « *et placebit Domino sacrificium Iuda et Ierusalem sicut dies saeculi et sicut anni antiqui* » ; — hebr. iterum *minchah* dicitur ; cf. 1, 11. Iuda et Ierusalem commemoratur, quia prophetae proxime interest suis popularibus iudicium emundationis annuntiare (2, 17) et quia ab Ierusalem et Iuda regnum messianicum originem ducit ; salus enim est a Iudaeis et ab iis propagata est in orbem universum et ita factum est, ut hereditas Domini quo nomine olim appellabatur Palaestina, iam universa terra exsisteret et proin in ordinem et dignitatem Iudae et Ierusalem succederet. Olim, priscis temporibus populus quandoque magnam Deo exhibebat fidem et obedientiam ; unde similiter apud Isaiam (1, 26) dicitur : « et restituam iudices tuos ut fuerunt prius et consiliarios tuos sicut antiquitus » ; ita laudatur populi fides qua Deo obsequens Aegypto excessit (Ier. 2, 2) ; tempore Davidis toto corde vota offerebat Deo (1 Par. 29, 9 seq.) etc. Apte adducuntur a compluribus verba in canone Missae : « supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris et accepta habere sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel et sacrificium patriarchae nostri Abrahae et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam » (cf. *Rib. Sanct. Lap. Men.*). De priscis quoque sacrificiis dicitur : et respexit Dominus ad Abel et ad munera eius ; odoratusque est Dominus odorem suavitatis (Gen. 4, 4 ; 8, 21), et sacrificiorum institutio et oblatio facta est, ut sint in odorem suavissimum in conspectu Domini (cf. Ex. 29, 25. Lev. 1, 9. 13. 17 ; 2, 2. 9 ; 4, 31 ; 6, 15 etc.).

A levitis igitur qui adeo ab officio recesserant (2, 8), incipit iudicium messianicum ; verum ibi non sistet, sed ad totam plebem extendetur v. 5 « *et accedam ad vos in iudicio et ero testis velox maleficis et adulteris*

et periuris et qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas et pupillos, et opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum »; — haec est responsio ad murmur et expostulationem 2, 17; in qua ratio quoque continetur amplissima, cur populus in misera et afflicta conditione relinquatur; praeterea « cum inter vos venero, intelligetis, utrum ego malum probem mihique placeant impii, quemadmodum asserere audetis » (*Calm.*). Ita se Deum iudicii esse luculenter probat. Quare verba haec acrem iam comminationem pro tempore Malachiae exprimunt (cf. *Rib. Sanct.*), neque ad ultimum iudicium vel alterum Christi adventum directe et per se sunt referenda. Scelera redarguit occulta et quae in manifesto fiunt (*S. Cyr. Sanct. Lap.*); erit *testis velox* i. e. promptus, qui statim reum criminis convincit, ut nulla tergiversatio, nulla dissimulatio, celatio nulla fieri possit (cf. *Rib. Schegg*), et qui hoc sensu ex consequenti celer et velox esse dici potest in poenis repetendis (cf. *Theod. M. Barh.*). De maleficis vel incantatoribus vide Ex. 7, 11; 22, 17. Deut. 18, 10. Dan. 2, 2; vocem hebr. explicant *mussitare*, carmina magica ad praestigia efficienda proferre; LXX praebent φαρμακούς. Eiusmodi praestigiatores etiam post exsilium inter Iudaeos adfuisse praeter Zach. 10, 2 etiam Act. 8, 9; 13, 6 et testimonio Iosephi constat (Ant. 20, 6; de bello iud. 2, 12, 23). Hebr. proprie *iurare ad mendacium*, ita scil. ut iusiurandum serviat mendacio et fraudi; cf. Lev. 19, 12; *calumniari* i. e. opprimere; eandem locutionem hebr. *S. Hier.* Deut. 24, 14 reddit *negare mercedem*. Ultimo loco tamquam omnium criminum fons et origo assignatur defectus *timoris Dei* i. e. quia Deum neque verentur neque colunt; fidelitas, iustitia et quaecumque demum vitam reddunt homine dignam sine cultu Dei conservari nequeunt et experientia tristi constat eos qui Deo fidem negant, saepissime artibus praestigiatorum plenissimam fidem adhibere.

Demum ratio affertur, qua patet Deum fideliter verba sua impleturum esse v. 6 « *ego enim Dominus et non mutor; et vos, filii Iacob, non estis consumpti* »; — Deus est secundum nomen suum essentiale *Iahve*, ὁ ὤν (cf. Ex. 3, 13; et ad Os. 12, 5. Ioel 2, 32. Hab. 3, 18. Zach. 13, 9), qui ut talis plenitudinem in se complectens τοῦ esse et *actus* exsistens *purissimus* etiam eo ipso expers est omnis vicissitudinis vel mutationis; apud eum enim « non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio » (Iac. 1, 17). Hanc igitur divinae naturae immutabilitatem quae ex infinita eius perfectione necessario consequitur, tamquam pignus proponit certissimum pro veritate verbi sui et adimpletione promissionum. Illud pignus ipsis ait iam exhibitum esse in ipso nomine suo essentiali quod veluti tesseram foederi suo praefixit et cuius nominis vim et efficaciam eos *scituros* i. e. experturos esse toties asseruit (cf. Os. 2, 22 ibique

adnotata). Hoc nomine prolato et explicatione adiecta — in hebr. magis nervose sine particula coniunctionis : *ego Iahve, non mutor*; ita quoque LXX et sim. apud *Chald.* — simul retunditur expostulatio 2, 17 (cf. *S. Cyr. Rib.*). Additur alterum pignus, proxime illis adiacens et quasi palpatum manibus, Deum populi sui causam esse tuiturum et tamquam *Deum iudicii* illis promissa redditurum : *vos non estis consumpti* i. e. non estis deleti, sed erepti ex ruina; adhuc perstat natio vestra; restituti sunt in patriam; Deus, uti per Ieremiam dixerat, consummationem non fecit (Ier. 4, 27; 5, 18; 30, 11), sed populum servavit servabitque (cf. *Lap. Mar. Men. Trochon*). Alios populos destruxit, e sedibus expulit neque reduxit (cf. 1, 3. 4); sed *filiis Iacob* foedere sempiterno iungitur; quare dabit veritatem Iacob, misericordiam Abraham, quae iuravit patribus a diebus antiquis (Mich. 7, 20) et « si irritum potest fieri pactum meum cum die et pactum meum cum nocte, ut non sit dies et nox in tempore suo, et pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo » (Ier. 33, 20. 21).—Arctus nexus quo *vos non consumimini* vel *vos non desinitis, deficitis* priori sententiae adiungitur, ostendit sententiam non esse ita ancipitem, ut praeter promissionem minas quoque complectatur (*Schegg*), neque opus esse, ut per interrogationem efferatur : *nonne vos defecistis*, nonne debiliores redditi estis (*Ewald, Reinke*)? De *hoc* enim conqueruntur (2, 17); ergo *idem* eis a Deo non diceretur nisi causa aliqua adiecta, cur in miseram conditionem sint redacti.

d) Propter negligentiam affliguntur 3, 7-12.

Quam parum parati sint, ut Messiam iudicem secure excipiant, ulterius vates ostendit reprehendens eorum negligentiam in vectigalibus quae Domino debent solvendis. Hac accusatione illorum cum Deo expostulatio (2, 17) ulterius retunditur et vera panditur causa, cur afflicta conditione rebusque miseris utantur. Quare haec quoque sermonis pars arcte cum priore cohaeret.

Increpationem vates orditur ostendens eorum malitiam et perversitatem esse longa generationum serie inolitam atque inveteratam : v. 7 « *A diebus enim patrum vestrorum recessistis a legitimis meis et non custodistis* » ; — particula *enim* neque in hebr. neque apud LXX, *Syrum, Chald.* habetur ; quare tuto negligitur et sensus habita ratione certe melius omittitur. Arguit Deus : non nuper solum male egistis « nec semel, ut erroris mereamini veniam, sed hereditariam habetis impietatem ex diebus patrum vestrorum a legitimis meis recedendo et non custodiendo quae praecepi » (*S. Hier.*). Quam vera sit ea accusatio, iam Pentateuchus et libri historici abunde probant (cf. Ex. 32, 1. Num. 25,

5. Iud. 2, 11; 3, 12; 4, 1; 6, 1 etc.); quare saepius a prophetis repetitur (Ier. 2, 5; 7, 25; 11, 7; 16, 11. Ez. 16, 3; 20, 8. Am. 5, 26 etc.). — Augetur accusatio perversitatis, quia Deus nunquam destitit, mittere ad populum qui eum admoneant, et quia eos continuo per prophetas et legem ad sinceram poenitentiam invitavit; illi autem monitiones aegre tulerunt neque in se culpam agnoverunt: « *revertimini ad me et revertar ad vos, dicit Dominus exercituum; et dixistis: in quo revertemur* »? — cf. Zach. 1, 3; i. e. si Deus a populo est aversus et ideo eum affligi sinit et rebus angustis premi, non alia ratio est quaerenda nisi quia populus a cultu Dei et pietate mentes et studia avertit; quare toto corde et sinceris animis ad Deum sese convertant oportet. Verum ita obdurati sunt taleque callum inveterata rerum divinarum socordia obduxerunt, ut eam monitionem ne intelligerent quidem vel omnia in cultu Dei a se rite praestari sibi magna praesumptione persuaderent. Quare ac si nihil haberent quod emendarent et sola iam admonitione offenderentur, superbe respondent: *in quo revertemur*? omnia scil. optime fiunt; nihil adest quod iure corripiatur. Ita sacer vates eorum animos contumaces, sibi placentes, et a vera pietate et Dei reverentia alienos delineat.

Respondet Deus exemplo prolato, ex quo patet quanto contemptu et qua fraude cum Deo agant v. 8 « *si affiget homo Deum, quia vos configitis me? et dixistis: in quo configimus te? in decimis et in primitiis* »; — *affigere, configere* intellige vehementi dolore afficere, affligere, vel contumeliis obruere. Verbum hebr. LXX exprimunt notione *supplantandi*; « pro quo Aquila et Symmachus et Theodotio posuerunt *si fraudat*, ut sit sensus: si fraudat homo Deum, quia vos fraudastis me » (*S. Hier.*). Interrogatio est indignantis et cum populo expostulantis: num homo, creatura debilis et infirma, fraudulenter agit contra Dei maiestatem? Fraudem committunt et quae debent non solvunt *in decimis et in oblatione* (hebr.). Idque contra Deum peccant, quia ex legis praescripto decimae erant solvendae *Domino*, qui unus erat terrae et agrorum possessor et herus, reliqui omnes autem eius clientes et servi; « omnes decimae terrae sive de frugibus sive de pomis arborum, Domini sunt et illi sanctificantur » (Lev. 27, 30); Deus autem illas decimas levitis dedit; « filiis autem Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio, quo serviunt mihi in tabernaculo foederis » (Num. 18, 21). Unde *S. Hier.*: « quia decimas et primitias levitis populus non reddebat, seipsum fraudem dicit Dominus sustinere, cuius ministri fame coacti et penuria templum deseruerint. Si enim per alios visitatur in carcere et aegrotus suscipitur et esuriens sitiensque cibum accipit atque potatur, cur non in ministris suis ipse decimas accipiat, et si non dentur,

parte sua ipse privetur » ? De eadem socordia Nehemias secundo redux in urbem conqueritur (Neh. 13, 10 : et cognovi quód partes levitarum non fuissent datae). Oblatio תְּרוּמָה variis modis erat facienda : ita vocabantur oblatio annua sicli dimidii (Ex. 30, 14), primitiae frugum quae offerendae erant Domino (Num. 15, 19), decimae decimarum quas sacerdotibus levitae solvebant (Num. 18, 26) et etiam portiones quaedam sacrificiorum, quae sacerdotibus contingebant (Lev. 7, 14. 32-34 ; 10, 14. Num. 5, 9 etc.). Has oblationes et decimas se fideliter soluturos esse spoponderant foedusque cum Deo initum signaverant sub Nehemia (10, 37), quare eorum negligentia et fraus eo magis erat reprehensione digna.

De verbo קבע ita disserit *S. Hier.* : « LXX interpretati sunt *si supplantat*, pro quo Aquila et Symmachus et Theodotio posuerunt *si fraudat*... lingua Syrorum et Chaldaeorum interpretatur *si affiget* ; unde et nos ante annos plurimos ita vertimus, magis ad mysterium Dominicae passionis, quam ad decimas et primitias scripta referentes ». *Syrus* vocem vertit בלם *opprimere, spoliare, decipere* (cf. *Bernstein*, Lexicon syr.) et eam notionem *defraudandi, fallendi* etiam recentiores voci tribuunt. *S. Hier.* etiam Prov. 22, 23 *configere* vertit. Secundum *Theod.* Aquila et Symmachus transtulerunt μὴ ἀποστερήσει ἄνθρωπος Θεόν ; *Chald.* notionem exprimit *provocandi ad iram*, quam significationem simul cum notione rapiendi vel furandi ad mera commenta reiicit *Fürst C.* Alii, uti *Ges.* Thes. p. 1190 vocem ex arabico notione primitiva *abscondendi* explicant. Iam *Sanct.* coniicit LXX non קבע sed עקב legisse et ideo πτερνίζειν reddidisse. In altero loco quo verbum occurrit, Prov. 22, 23 etiam *Aq.* notionem καθηλοῦν sim. ut *S. Hier.* exprimit ; ibi notio *spoliandi* ad sensum et contextum quadrat.

Propter talem fraudem penuria, fame, sterilitate affliguntur v. 9 « *et in penuria vos maledicti estis et me vos configitis, gens tota* » ; — hebr. *in maledictione maledicti estis et me fraudatis vos, gens tota* i. e. vos universi, ordines omnes ita fraudulenter agunt ; « quid haec exsecratio sit, de qua propheta, ipsa versione tradit *S. Hier.*, regionis nimirum sterilitas a Deo missa ob neglectam a Iudaeis decimarum oblationem » (*Calm.*). Sed si debita vectigalia solverint, abundantiam et prosperitatem Deus pollicetur fore maximam v. 10 « *inferte omnem decimam in horreum et sit cibus in domo mea et probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas coeli et effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam* » ; — cum emphasi dicitur *omnem* decimam, ne scil. fraude subtrahant et retineant, uti v. 8 dicitur ; hebr. *afferte omnem decimam ad domum thesauri* ; decimae afferebantur ad templum ; quare conclavia erant exstructa, in quae collectae decimae inferebantur (cf. 2 Par. 31, 11. Neh. 10, 38. 39 ; 13, 5. 12. 13). Has autem oblationes rite inferri vult Deus, ut sit alimentum iis, qui ministrant in domo sanctuarii mei, prout rite *Chald.* explanat ; quia turpe est, si ministri Domini negliguntur et ob penuriam et inediam ministerium altaris et templi derelinquere et alia ratione sibi victum conquirere

coguntur, uti accidit Nehemia absente (Neh. 13, 10 : et cognovi quod partes levitarum non fuissent datae et fugisset unusquisque in regionem suam de levitis et cantoribus et his qui ministrabant). Verum si haec fideliter praestiterint, *probate me in hoc* (hebr.) i. e. facite hoc et experiemini, an sciam benefacere observantibus mandata mea (*Rib.*). Auferet scil. sterilitatem; cataractas coeli aperire [1] largissimam dicit benedictionis coelestis effusionem, quae vehementis imbris ad instar in terram descendet; praeterea « verbum effusionis nomen largitatis ostendit » (*S. Hier.*). Cum in regione orientali fertilitas unice dependeat ab aquae copia et ubi in deserto v. g. aquae apparuerint, etiam viror plantarum arborumque exsistat, modus loquendi prorsus est aptus et accommodatus, ut scil. cum pluviarum copia et opportunitate abundantia frugum connectatur laetissima.

Hebr. עַד־בְּלִי־דָי varie concipiunt : veteres verba acceperunt, uti *S. Hier.*; LXX ἕως τοῦ ἱκανωθῆναι usque dum sufficiat; *Syrus* : usque dum dicatis : sufficit; sim. *Chald.* In qua acceptione particulae negationis non satis ratio haberi videtur. Unde recentiores ad literam interpretantur : *usque ad non-sufficientiam*, usque ad defectum sufficientiae vel copiae; sed hoc quoque varie accipiunt : ita ut deficiat frugibus condendis spatium, ut non sit sufficientia vasorum et horreorum ad capiendam copiam frugum (*Kimchius* aliique apud *Ros.*, *Ewald*, *Reinke*, *Koehler*, *Pressel* et quandoque provocant ad Zach. 10, 10). Alii eam locutionem ad Deum referentes explicant : usque dum consumpta erit abundantia mea; quod cum fieri nequeat, cum in Deo adsit copia inexhausta, promissionem dari magnificentissimam (*Ros. Ges.* Thes. p. 334). Alii demum vertunt : usque dum iam non erit indigentia i. e. usque ad copiam et abundantiam (*Schegg*, *Keil*, *Trochon*). Sensus quidem rite effertur; at difficile intelligitur, quomodo et negationis particula et propria notio דַּי *sufficientia*, *copia* servetur. Quare interpretatio illa : donec iam non sufficiant horreorum spatia, *verbis* maxime accommodata videtur; ad quam vide exemplum Luc. 12, 18.

Atque tum etiam messem abundantem ab omni nocumento proteget eamque servabit illaesam. Fieri enim posset, sicut notat *S. Hier.*, ut agros irrigantibus pluviis esset quidem fertilitas, verum aut locusta aut bruchus aut aerugo aut eruca destrueret et labores hominum perirent; propterea iungit et dicit : v. 11 « *et increpabo pro vobis devorantem et non corrumpet fructum terrae vestrae, nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum* »; — apte dicuntur locustae *devorantes* vel *comedentes* (hebr.); vide ad Ioel 1, 4. 7. Hebr. *et non abortum vobis faciet vitis* i. e. non fallet exspectationem vestram (cf. 2 Reg. 2, 19. 21 hebr.), scil. ut post laetam germinationem et uberes flores nullam afferat

---

1. Ex opposito confer, ut monet *Rib.*, locutionem *coeli clausi* vel *ferrei* vel *aenei* : Lev. 26, 19. Deut. 28, 23. 3 Reg. 8, 35. 2 Par. 6, 26; 7, 13. Ps. 77, 23.

uvam. Erat vitis inter praecipuas terrae palaestinensis divitias (cf. Gen. 49, 11. Deut. 11, 14; 14, 23; 33, 28 etc.).

Quodsi ad Dominum reversi fuerint, omnem afflictionem ita ablatum iri promittit, ut benedictionibus ditati reliquis populis sint admirationi et aemulationi. Ergo habent si velint, quibus querelas illas (2, 17) ipsi funditus removeant; si enim ipsi causam Dei fideliter tuentur, Deus quoque amplissimam eorum geret curam : v. 12 « *et beatos vos dicent omnes gentes; eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum* »; — tunc scil. erit, quod iam per Moysen promittebatur Deut. 33, 29; cf. Zach. 8, 13. 15; et terra Israel tanta erit benedictione divina repleta, ut omnes fateantur eam esse terram *beneplaciti divini* (cf. *Reinke*); ex quo consequens erit, ut omnes talem terram desiderent et invidia quadam appetant. Ita scil. implebitur, quod Isaias indicat : non vocaberis ultra derelicta, sed vocaberis *voluntas mea in ea* (Is. 62, 4) i. e. terra, in qua Deus sibi beneplacet. Terra Edomitarum *termini* vocantur *impietatis* et populus cui iratus est Dominus in aeternum (1, 4); aliter sortes cadent pro Israel : erit *terra beneplaciti* (hebr.) scil. divini, et exinde terra amoenitatis et desiderii (cf. Ier. 3, 19. Ez. 20, 6. Zach. 7, 14. Ps. 105, 24).

e) Diversae malorum et bonorum sortes 3, 13-4, 3.

Querelae quas vates in hac parte perstringit, arcte referuntur ad antecedentem exhortationem, ita quidem ut qui murmurant, eam ob oculos habuisse eamque refutare voluisse videantur. Monuerat enim propheta : *inferte omnem decimam... et probate me*; respondent : *arrogantes probarunt Deum et salvi facti sunt*; promiserat propheta legem observantibus : *beatos vos dicent*; respondent : *custodivimus praecepta*; at nihilominus non nos ipsi, sed *impii* sunt *beati* dicendi. Unde expostulatio subsequens vel profecta est a contumacibus, qui negligentiam et socordiam suam in Dei cultu negantes omnia a se rite praestari perfracte asserebant et de *vera* ad Deum conversione ne cogitabant quidem, vel facta est aliquo temporis intervallo post antecedentem, postquam scil. verbis prophetae adducti in exteriore agendi ratione aliquid emendaverint; quo facto *statim* bonorum omnium abundantiam sibi deberi existimaverint. At cum exteriori illi observantiae sincera pietas et verus Dei timor non iungeretur — prout ipsa expostulatio clare prodit — prosperitas quam exspectaverant, non est secuta.

Unde spe deiecti ad acerbiorem accusationem Dei revertuntur. Neque ab hac sententia verba prophetae abludere videntur : v. 13 « *Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus; et dixistis : quid locuti sumus con-*

tra te » ? — i. e. « plus et plus contra me crescunt » (*Alb.*) ; invalescunt optime reddit sensum verbi hebr. (cf. *Pressel*) ; dicit autem invalescere « multiplicatum et contentiosum sermonem, qui plerumque est a tumultuante et concitata plebe, quae non tam ratione quam furore ac seditione regitur » (*Sanct.*) ; enuntiatur tumor et incrementum quo *verba contra Deum* (ita iunge hebr.) magis magisque insurgunt et acerbiores in dies expostulationes gignunt. Cuius rei specimen subiungitur v. 14 « *dixistis : vanus est qui servit Deo et quod emolumentum, quia custodivimus praecepta eius et quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum* » ? — hebr. *inane est servire Deo* i. e. nihil affert utilitatis vel commodi ; *et quod lucrum* scil. nobis exstitit, qui *custodivimus custodiam* Domini (hebr.) i. e. quae observanda, praestanda, vitanda praecepit, ad amussim praestitimus; immo *atrate*, squalide habitu lugentium et poenitentium, uti facere solebant ieiunantes, incedebant; idque se facere existimabant *coram Domino* i. e. prae eius reverentia, Dei causa. Nisi ergo verba haec ad insigne mendacium sint referenda, ii loqui videntur, qui *aliquos* conatus exhibuerint ad promerendam sibi felicitatem et prosperitatem v. g. solvendo decimas, victimas rite offerendo, aliqua ieiunia sponte suscipiendo. Sed quantopere eorum mentes a vera pietate alienae exstiterint, ipso murmure nimis aperte manifestatur. Quare deficiente spiritu interno illae praestationes ad censum eorum redigebantur, de quibus Dominus: ecce in die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra... ecce ad lites et contentiones ieiunatis (Is. 58, 3. 4; cf. 1, 11. Ier. 6, 20. Am. 5, 21 etc.). Talibus vero operibus nulla rependitur a Domino merces.

Illi autem excandescunt in Dominum et blasphemantes in Dei iustitiam et sanctitatem truces exclamare minime verentur: v. 15 « *ergo nunc beatos dicimus arrogantes, si quidem aedificati sunt facientes impietatem, et tentaverunt Deum et salvi facti sunt* » ; — superbi, protervi, inquiunt, *ii* utique *aedificantur* i. e. opulentas construunt familias, posteros habent et numero et opibus florentes (*Calm.*), quae est propria aedificationis notio (cf. Gen. 16, 2 hebr. 30, 3 hebr. Ex. 1, 21) ; dein sensu latiore cum ad filios enutriendos etiam opes requirantur, *aedificari* generatim dicit prosperitate, honore, opibus florere et augeri. Ecce, inquiunt, isti etiam *probarunt* Deum (cf. v. 10), eum tentant, impietate et scelere eum provocaverunt et num eum tamquam *iudicii Deum* experti sunt? Minime; incolumes abierunt, e periculis erepti sunt. Ita scil. de florenti statu gentilium, de imperio Persarum iudicant vilem suam ac pauperem theocratiae restitutae conditionem despicientes. Populus enim de Babylonia reversus, inquit *S. Hier.*, cernens cunctas in circuitu nationes rebus omnibus abundare, se in penuria et fame et miseria constitutum, scandalizabatur ad singula.

Hisce impiis opponuntur *timentes Deum* ; ad quorum sermones Deus attendit eosque in libro suo recondit; quid locuti sint *timentes Deum* ex oppositione ad impios et ex Dei responso facile colligitur; «quid locuti sint, non dicit, sed intelligitur quod in timore Dei contra blasphemos locuti sunt, hortando scil. se invicem, ne propter verba blasphemorum a iustitia desistant» (*Alb.*); vel saltem mitiore modo conquesti sunt ea ratione qua v. g. Ieremias: iustus quidem tu es Domine, si disputem tecum; verumtamen iusta loquar ad te: quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus qui praevaricantur et inique agunt (Ier. 12, 1)? Magna scil. erat et est piorum quandoque probatio ac tentatio, cur impii saepe floreant; eaque tentatio in V. T. eo erat gravior, quia virtuti praemia et sceleri supplicia plerumque proponebantur temporalia; quare frequens talis piorum expostulatio (cf. Iob 21, 7. Ps. 38, 72, 3 seq. Hab. 1, 3. 13 etc.), quam hoc quoque loco effundunt v. 16 «*tunc locuti sunt timentes Deum unusquisque cum proximo suo, et attendit Dominus et audivit et scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Deum et cogitantibus nomen eius*»;—*tunc* i. e. cum impii blasphemas funderent voces et altos tollerent clamores, pii quoque gemebant et mutua inter se collocutione aerumnarum levamen quaerebant. Piorum suspiria et gemitus Deus attenta cura prosequitur, ea in librum memorialem refert, qui est coram ipso et in quo adscripti sunt *timentes* Deum et *recogitantes nomen eius* i. e. ii qui viva fide vim ac significationem nominis Dei i.e. eius immutabilitatem (cf. 3, 6), fidelitatem, maiestatem perpendunt et intimis animis percipiunt atque recondunt. Liber talis memorialis symbolum est divinae providentiae et omniscientiae, qua nihil eum latet, nihil oblivioni datur, nihil non summa cura et attentione disponitur. Ita psalmista quoque se consolatur dicens: nonne lacrimae meae positae sunt in libro tuo (Ps. 56, 9 hebr. et cf. Ps. 139, 16) et cum Daniel iudicium divinum exerceri cernit «libri aperti sunt» (Dan. 7, 10); praeterea moris erat res memoria dignas referre in tabellas publicas; unde munus *mazkir* in aula regum Iuda, unde bibliotheca librorum in aula regis Persarum (cf. Esd. 6, 1) et libri historiarum (Esd. 4, 15) et annales priorum temporum (Esth. 6, 1) et alia quae recenti tempore inventis et excavatis bibliothecis inscriptionum cuneiformium in usu posita esse iam inter omnes constat.

LXX et *Syrus* habent : « *haec* locuti sunt timentes Deum » quasi antecedentia verba sint piorum. Et ita accipiunt *S. Cyr. Theod.*; etiam ex recentioribus aliqui (*Hitz. Schegg, Loch* — et valde in eam opinionem propendet *Calm.*) in v. 14. 15 querelas piorum audiri censent. Sed id admitti nequit. Nam ita loqui *non possunt* timentes Deum, nisi dicere malueris eos *per ironiam* dici timentes Deum ac si propheta insinuare vellet : ecce qui ita impie conquerebantur, se esse cultores

Dei iactitabant. In hac solum acceptione explicatio illa tolerari posset; at cum ex subsequenti responso Dei v. 17 eluceat eos vere pios dici, etiam haec interpretatio aliena est a mente prophetae. Opponunt quidem, similes fundi querelas saepius a piis. Utique querelas fundi quivis libenter concesserit; at *tales* enuntiari, uti v. 14. 15 continentur, est plane inauditum. Neque iuvat provocare ad Ps. 72; ibi enim tentatio quidem, qua animus pulsatur, enuntiatur; at remedium etiam asseritur et psalmista diserte profitetur sententiae eiusmodi : ergo sine causa iustificavi cor meum, non esse assensum praebendum ; pergit enim : si dicerem : ita rem eloquar, ecce genus ac stirpem filiorum tuorum renuntiarem ; id quod explicite declarat, si quis serio ac consulto diceret : inane est Deo servire, eum a mente et indole filiorum Dei longissime recedere. Pius igitur intelligere dicitur eo loco, etsi nesciat quomodo impiorum felicitatem possit explanare et cum divina iustitia reconciliare, nullo tamen modo licere servitium Dei pronuntiare inane atque inutile. Accedit, quod eodem loco statim subditur remedium ; ait enim sacer auctor quaestionem illam solum tamdiu ipsi fuisse perdifficilem, donec intraret in sanctuarium Dei et impiorum intelligeret novissima. Unde pii describitur ibi tentatio, sed simul quam *pie* se habuerit in tentatione et quomodo victoriam reportaverit et ad animi pacem et summum Dei amorem pervenerit, quo cernens impiorum felicitatem tamen exclamet : quam bonus Israel Deus iis qui recto sunt corde.

Sed quam plane diversa sit mens eorum qui apud Malachiam loquentes inducuntur, quis non videat? Quare plerique interpretes iuremerito in v. 14. 15 impiorum voces audiunt — *Alb.* censet v. 15 addi a propheta, ut querelas improbet deducendo eas ad inconveniens et absurdum —, in v. 16 autem pios intelligi qui Dei partes tueantur. Ita iam Iudaeos interpretatos esse refert *S. Hier.* : « iuxta Hebraeos ita intelligendum est : illis de Dei iudicio blasphemantibus qui timent Deum ad invicem sunt locuti, quod retributio bonorum vel malorum non sit in praesenti et brevi saeculo, sed in futuro et aeterno et quod homo non possit Dei scire iudicia et de illius aequitate et iustitia disputare et cetera, quae debet iustus cum iusto loqui ; nec dixit quae sint locuti ; sed ex eo quod intulit : *tunc locuti sunt timentes Deum,* intelligere debemus ea locutos timentes Deum quae omnium Scripturarum vocibus continentur ». Similiter exponunt causam Dei defendi a piis *Rup. Alb. Rib. Sanct. Lap. Sa, Men. Tir. Reinke, Keil, Trochon, Pressel*; immo *Mar.* hebr. נִדְבְּרוּ vertit : *oblocuti sunt*; quae versio sensui congrua est, at vereor ut sit plane ad usum exacta ; nam aliis in locis *niphal* verbi דבר est colloqui inter se ; cf. Ps. 119, 23. Ez. 33, 30 et Mal. 3, 13 quoque notionem habet : inter se collocuti sunt contra Dominum. — Neque iure obiici potest, mirum esse quod sermones piorum non afferantur. Nam quales fuerint, satis colligitur ex eo, quod cum emphasi *timentes Deum* dicuntur et Deus eorum voces benigne audit et attendit. Sensus est facilis et obvius : tunc pii quoque inter se collocuti sunt de tali rerum conditione ; sed ita, ut Deus eos consolari dignetur et benigne respondere de *futura* sorte bonorum et impiorum in iudicio diversa. Sententia aliquorum (apud *Sanct.* et *Lap.*) voces piorum esse : *attendit Deus et audivit* etc. constructione grammaticali et ו conversivo excluditur.

Iam pios Deus solatur dicens die iudicii sortem bonorum fore praeclaram : v. 17 « *et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die qua ego facio in peculium et parcam eis, sicut parcit vir filio suo servienti sibi* » ; — dies quem facit Dominus, quem ipse parat, est dies iudicii divini, qui toties κατ' ἐξοχὴν *dies Domini* vocatur ; eo die declarabuntur et apparebunt tamquam *peculium Dei*, tamquam pars ea et hereditas quam Dominus sibi praeclaro amore elegit et in quam bonorum divinorum thesauros effundit (cf. Ex. 19, 5. 6. Deut. 7, 6 ; 26, 18). Benignitatis divinae participes erunt tremendo illo die titulo duplici : quod filii sint et quod Deo obedierint ac servierint (*Rib.*). Tunc denuo suis oculis cernent et experientur, quale sit discrimen sortis inter bonos et malos : v. 18 « *et convertemini et videbitis quid sit inter iustum et impium et inter servientem Deo et non servientem ei* » ; — hebr. verte : *atque iterum videbitis* ; hisce in terris ex variis fortunis et casibus id cerni non semper potest ; at nihilominus quandoque etiam hic discrimen illud Deus manifestum fecit, uti ex Israelitarum historia colligere poterant ; quare dicit *et iterum* ; cf. Ex. 11, 7 : « ut sciatis quanto miraculo dividat Dominus Aegyptios et Israel ». Verba haec ut sunt consolatoria pro bonis, ita minacia pro malis, quos alloqui h. l. Deum vel prophetam multi censent (cf. *Rib. Sanct. Reinke*). Quale autem discrimen futurum sit, magis declaratur in subsequentibus 4, 1-3. Est enim Deus ignis devorans atque consumens impios (Deut. 4, 24 ; 32, 22), piis vero est lux et splendor et omnis beatitatis abundantia.

Unde *dies Domini* talis apparebit, qui sanctitatem Dei duplici hac ratione gloriose manifestabit ; 4, 1 « *ecce enim dies veniet succensa quasi caminus ; et erunt omnes superbi et omnes facientes impietatem stipula et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quae non derelinquet eis radicem et germen* » ; — frequenter in s. literis Deus igne circumdatus tamquam legislator, vel vindex et iudex in terram descendere exhibetur (cf. Gen. 15, 17. Ex. 3, 2 ; 14, 24 ; 19, 18. Deut. 4, 12. 15 ; 5, 24. Ps. 17, 9 ; 96, 3. Dan. 7, 9 etc.). Symbolum est aptissimum ad vim et efficaciam illam adumbrandam, qua sanctitas Dei omne destruit impedimentum et omnem comburit impietatem. Quare eodem modo etiam *dies Domini* nobis proponitur tamquam ardens igne et zelo et furore Domini omnia consumens (cf. Is. 10, 17 ; 13, 9 ; 34, 8. Ioel 2, 30. Mich. 1, 4. Soph. 1, 18 etc.). Neque tamen merum est symbolum. Sicut enim angelus Domini olim revera apparuit in igne et igne combussit Sodomitas etc., ita docente revelatione novi foederis scimus Christum iudicem in igne venturum et igne conflagratorio terram purgaturum et impios ignibus aeternis cruciandos iri traditum (cf. Matth. 25, 24. 1 Cor. 3, 15. 2 Thess. 1, 8. 2 Petr. 3, 12), qua demum doctrina sensus colli-

gitur plenus, cur dies Domini tamquam *caminus ardens* nobis describatur.

Quanta cum facilitate maximam superbiam et ingentem tumorem impiorum Deus sit prostraturus et funditus eversurus, comparatione *stipulae* effertur et imagine arboris combustae vel stirpitus excisae, ita ut neque radix neque ullus relinquatur surculus. Poenae vehementia et gravitas non simpliciter igne describitur, sed clibano seu furno ardente, « cuius flamma propter repercussum longe vehementior est igne qui in libero aere succenditur » (*Ros.*). Ad rem notat *Clarius* : « qui hic ad humilitatem inclinari non possunt nec incurvari ad observantiam mandatorum Dei, hi erunt in iudicio Dei velut infirmissima stipula in conspectu ignis et veluti arbor inutilis quae nec radices habet nec ramos ; nemo tum patrocinabitur damnatis conscientiis ; nihil erit quo se excusent ; nemo redimet, nemo miserebitur, deiicientur veluti stipula in ignem perpetuo in illo arsuri ». Iste *dies Domini* plene et perfecte et reliqua omnia iudicia Dei in se quasi complectens et absolvens est utique dies iudicii extremi, de quo versum explicant *S. Cyr. Alb. Rib. Sanct. Lap. Sa, Mar. Men.* etc. At cum imagine simili supra Messiae adventus sit propositus, qui tamquam ignis conflans filios Levi sit purgaturus et Iuda et Ierusalem ad sanctitatis splendorem emundaturus (3, 2-4), non alienum esse a mente prophetae videtur, *diem Domini* sensu latiore de omni iudicio intelligere quod Dominus ad impios conterendos et ad piorum solatium et elevationem per saeculorum decursum est exerciturus. Talis autem dies discretionis ac divisionis *praeprimis* erat dies ultionis qua Romani bellum Iudaeis intulerunt et rempublicam iudaicam funditus everterunt (cf. *Calm. Reinke*) ; quare in evangeliis quoque excidium hierosolymitanum et ultimum iudicium arcto nexu inter se copulata repraesentantur (Matth. 24, 3 et seq. Marc. 13, 4. Luc. 21, 5). Immo huius diei Domini umbram quandam et inchoationem iam cernere licet cum *Theod. M.* tempore Machabaeorum, « cum suum praebens auxilium Deus malos poena implicuit, in solatio autem et prosperitate eos constituit qui leges ipsius protegebant ».

At quantum Dominus terribilem se exhibet impiis, tantum se praebebit benignum ac beneficum piis v. 2 « *et orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae et sanitas in pennis eius ; et egrediemini et salietis sicut vituli de armento* » ; — impiis instat furnus ardens et combustio ; piis oritur *sol iustitiae*, iis iustitia et quae inde consequens est salus et beatitas, quasi sol affulgebit eos circumdans et exornans abundantia luminis, splendoris, vitae beatissimae, cuius symbolum est solis iubar omnia sua luce et calore replens et sua pulchritudine vestiens omnemque vitam terrestrem sustentans ac fovens. Quare in *alis* eius vel pennis i. e. in radiis eius *sanitas* afferri dicitur, qua vulnera omnia et calamitates

et miseriae perfecte sanantur et status integerrimae salutis revocatur; « quocumque enim radios extenderit, omnia sanabit, vulnera curabit, confractiones solidabit » (*Rib.*), vitam, incolumitatem, felicitatem restituet. Saepe in s. literis *iustitiae* nomine ille comprehenditur status rerum, quem Deus efficere vult et qui in hominis sanctitate et beatitate consistit et absolvitur; unde *iustitia* saepe est *salus* (cf. Is. 32, 17 ; 45, 8 ; 46, 13; 48, 18; 51, 8; 56, 1 ; 61, 11. Ier. 31, 23 etc.), cuius abundantia, splendor, gloria *solis* nomine depingitur. Cum salutis fons et largitor sit ipse Dominus et cum Christus iudex tamquam talis suis sit appariturus afferens omnis generis sanitatem et auferens omnem dolorem et abstergens omnem lacrimam et in immensum suos consolans et beans, iure merito ad Christum accommodatur amplissima haec appellatio *solis iustitiae* (cf. *S. Hier. S. Cyr. Rib. Sant. Lap.* etc.).

In huius nominis laude amplificanda et declaranda multi sunt SS. Patres et veteres interpretes. Pauca ex iis decerpere iuvabit. *S. Cyr.* inter alia eius appellationis rationem in eo potissimum cernit, quod « Christus instar solis cuiusdam iustitiae illucebit perfectissimae scientiae radios immittens et quacumque animi imbecillitate ac languore sanctos suos levans et a pristina tribulatione eos seiungens ». Hanc appellationem utrique Christi adventui congruere; haud ineleganter prosequitur *Theod.* : « in priori quidem veluti sol quispiam nobis exortus est in caligine et umbra mortis constitutis atque a peccato nos liberans iustitiam impertitus est et spiritualibus donis quasi quibusdam alis nos contegens curationem animabus nostris exhibuit. Et in secundo rursus adventu his qui in hac vita vexantur vel ex eorum voto vel praeter eorum votum apparens iuste utpote iustus iudicabit et promissa bona largietur. Et quemadmodum sol exoriens somno oppressos ad laborem excitat, sic hic adveniens longo somno i. e. morte constrictos excitat ». Solis nomen eo praeprimis dici censet *S. Hier.*, quia omnia patefaciet et vera iudicabit. Alias rationes alii addunt : « dicitur sol propter visibilem splendorem, in quo veniet; propter laetitiam maximam, quam tunc iustis afferet, sicut sol oriens omnia laetificat; quia adventu suo fugabit omnes tenebras i. e. afflictiones, quibus in hoc saeculo sancti premebantur; denique sicut sol restituit rebus suum colorem quem nox abstulisse videbatur, ita hoc sole exoriente redibit iustis suus color, redibit eis suus splendor afflictionibus et persecutionibus obscuratus » (*Rib.*). Hunc Christi titulum amplissime prosequitur et explicat *Lap.* ad h. l. Etiam *Barh.* solem iustitiae explanat « Verbum Patris quod sanat languores animae et corporis ». Alii, uti *Rup.*, iustificationem intelligunt animarum, qua timentes Dominum felices erunt in die illa, vel, uti *Alb.*, claritatem quae propter iustitiae meritum solem superet — cf. *Eusebius*, *M.* 22, 409.

Felicitatem et tripudium iustorum imagine illustrat pastoritia : *salietis sicut vituli saginarii* (hebr.) ; tempore scil. angustiarum afflicti et trepidi sese abscondebant (cf. Is. 26, 20); tunc autem libere prodibunt

et salute potiti gloriosa gestient et laetabuntur (cf. Cant. 2, 9. 17; 8, 14. Ps. 113, 4, 6). Tunc quam maxime patebit, quid intersit inter iustum et impium (3, 18) : v. 3 « *et calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum* » ; — ecce, ad quid demum totus impiorum tumor sit redigendus, ad quid eorum superbia, arrogantia, opes, fastus, gloria omnisque luxus : *cinis* erunt et tamquam abiectissimi et ramenta conculcabuntur die illo quem Dominus faciet (hebr.) ; pulvis erunt et tamquam lutum prosternentur (cf. Ps. 1, 4; 17, 43), vel potius praeter supplicium ignis quod v. 1 iis fore dicebatur, maximus quidam contemptus iis praedicitur, quo maledicto Dei onerati iusteque a Dei regno exclusi ab omnibus electis habebuntur. Haec uti in variis regni Dei epochis inchoatione quadam hisce in terris cernuntur, quando Deus servis suis victoriam et triumphum de malorum machinationibus concedit, ita demum in consummatione saeculorum et in die iudicii et per totam aeternitatem plenum ac perfectum sortientur effectum. Hac igitur veritate et spe quae saeculum prospicit futurum et aeternum, vates pios erigit et consolatur docens, quomodo de huius temporis afflictionibus sit iudicandum et ad quem demum rerum eventum mentis acies convertatur oporteat : annos aeternos in mente habui. Hanc scil. esse Dei normam quae suo tempore plane et perfecte ad effectum perducenda sit, ut sicut ipse est lux et inhabitat lucem inaccessibilem, ita suos lumine suo reddat beatos, hostes vero absumat et puniat.

PROPHETIAE EPILOGUS 4, 4-6.

Ut promissionum divinarum participes fiant Deumque iudicem secura ac fida mente exspectare possint, propheta demum eam addit exhortationem quae pro aequalibus maximi erat momenti; ita enim, ut bene advertit *Rib.*, prophetae de futuris vaticinari solent, ut praesentia non deserant; id quod etiam non uno in loco monet *S. Hier.* (cf. in Is. 25, 10; in Os. 1, 3; *M.* 24, 292; 25, 824). Unde v. 4 « *Mementote legis Moysi servi mei quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, praecepta et iudicia* » ; — omnia enim bona fideli legis observationi sese largiturum esse Deus sollemniter promisit (cf. Lev. 26; Deut. 28) ; hac enim via et ratione ab electo populo sibi volebat sub priore testamento serviri et legem esse statuerat paedagogum in Christum, ut qui adhuc parvuli essent et imperfecti sub legis tutela coercerentur et custodirentur in eam fidem quae per Christum erat revelanda (cf. Gal. 3, 19 seq.). Moyses in lege promulganda *servus* Dei erat, legatus scil. et internuntius Dei ad populum, qui non sua perferebat, sed Domini voluntatem per angelos intermedios sibi manifestatam (cf. Gal. 3, 19. Hebr. 2, 2) promulgabat

populo et ideo fidelis dicitur in omni domo eius (Num. 12, 7. Hebr. 3, 2). Reverentiam legis auctor eius primarius Deus expostulat; quare ut memores sint quis mandaverit admonentur; admonentur quoque voce *Horeb*, quam tremenda maiestatis divinae manifestatione et quanto terrore omnibus incusso lex fuerit promulgata (cf. Deut. 1, 6; 4, 10 seq. 5, 2. Ex. 19, 16 seq. 20, 18. Hebr. 12, 18-21). Horeb proprie dicitur pars septemtrionalis montis Sinai vel clivus quidam humilior montis Sinai; sed iam in Exodo utrumque nomen promiscue adhibetur (cf. Ex. 3, 1. 12; 19, 2; 33, 6. *Winer* s. v. Sinai; *Schenkel*, Bibellex. III, 137). Legis obligationem pro *omni* Israel in mentem revocat; unde si filios Israel se esse gloriantur et ad populum Dei electum pertinere volunt, sciant hoc esse foedus Dei, hanc conditionem, ut totius legis *statuta* et *iura*, leges caerimoniales, iudiciales aeque ac morales observent et eas quae ad cultum Dei et sacrificia spectent. Quare integrum legis ambitum explicite commemorat. Atque ad hanc observantiam eo magis incumbant oportet, quia nuper sub Nehemia fidelem legis exsecutionem sollemniter spoponderant (Neh. 9, 38-10, 39). Unde illud *mementote* compluribus titulis et causis graviter sonat.

Demum placuit Deo per ultimum prophetarum de ultima parte periodi messianicae hisce in terris futurae insigne edere vaticinium, quo simul veluti praeclaro documento omnibus saeculis notum fiat, quanta cum fidelitate Deus foedus illud cum patriarchis initum servet. Populus quidem in peculiarem hereditatem a Deo electus huius electionis ius et dignitatem foedere violato conculcavit; immo Messiam quoque repudiabit et a se repellet, uti iam praedictum est ab Isaia (49, 4; 65, 2; cf. Rom. 10, 19-21); Dei autem dona sunt sine poenitentia; non repellit populum suum quem olim in patribus elegit, et quem primogenitum sibi filium olim elegerat, eundem memor dilectionis suae in fine saeculorum cum plenitudo gentium in regnum messianicum intraverit, ad pristinam fidem et cum Deo amicitiam insigni misericordia revocabit. Hoc *mysterium*, quod S. Paulus latius declarat (Rom. 11, 25), vates noster proponens et prophetiam concludens ultimam populi electi in regno Dei praerogativam manifestat. Sicut enim salus est ex Iudaeis et evangelium primo annuntiandum erat Iudaeis et deinde Graecis, ita ultima regni messianici hisce in terris perfectio et splendor eximius ex Iudaeorum conversione accedet (cf. Rom. 11, 12. 15). Quomodo autem tam felix rerum conversio efficienda sit, vates docet v. 5 « *ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis,* v. 6 *et convertet cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam et percutiam terram anathemate* »; — *dies Domini* hoc loco iu remerito de ultimo iudicio intelligitur; cum enim dicatur *magnus et*

horribilis, non de qualicumque iudicio neque de qualicumque iustitiae vel potentiae divinae manifestatione poterit explanari — quo sensu de *die Domini* alias saepius instituitur sermo; cf. Is. 2, 12; 13, 6; 34, 8. Lament. 1, 12; 2, 22. Ioel 1, 15; 2, 1. Am. 5, 18. Abd. 15. Soph. 1, 7. 14. Zach. 14, 1 — verum de maxima illa et ultima in saeculorum consummatione. Idque eo magis valere debet, quia vates in antecedentibus 3, 2 de alio die Domini locutus est, qui quamvis ipse quoque terrore non careat, tamen felicem habere eventum dicitur, cum filii Levi sint emundandi et sacrificium Iuda et Ierusalem placiturum sit Domino. Hic vero dies *magnus et horribilis* inducitur in connexione cum plena et perfecta impiorum deletione et conculcatione (4, 1. 3), ille prior autem spem salutis impiis quoque non denegat (3, 3. 6).

Porro cum verbis ex Ioele 2, 31 petitis vates noster utatur, iuremerito illum diem designare voluisse censendus erit, de quo Ioel l. c. et ante quem signa erunt in sole et luna; istum vero diem non coincidere cum ipso adventu periodi messianicae sed fore *post* effusionem Spiritus Dei super omnem carnem, ex Ioele manifestum est. Demum alium diem quam illum de quo 3, 2 vates loquitur, necessario intelligendum esse etiam ex *alio praecursore* colligitur. Ibi enim mittitur nuntius cuius nomen tacetur, qui praeparet viam Domini et quem repente Dominus sequatur veniens ad templum suum et foedus novum instituens et populum ad veram sanctitatem revocans —; hoc autem loco mittitur *Elias propheta*, qui populi electi conversionem operabitur, *ne* Dominus veniat terram aeterno maledicto percussurus. Neque ullo pacto audiendi sunt, qui nuntium illum 3, 1 et Eliam prophetam unum eundemque esse censent (*Reinke, Keil, Pressel, Trochon*). Nam nullo indicio vates innuit a se nunc vocari Eliam prophetam illum quem antea nuntium Domini appellaverat, cui rei si addideris quod modo monui de diverso utriusque munere et tempore, evidens fit utriusque distinctio. Esse autem verba explicanda prout sonant, scil. de *Elia propheta*, cum multis SS. Patribus et plerisque interpretibus omnino est asserendum. Primo enim non apparet ratio, cur de alio quopiam verba adeo explicita accipiantur. Dicitur enim *Elias* ille qui mittetur; iam vero ex s. historia omnes sciebant Eliam morte non esse sublatum, sed vivum curru igneo per turbinem in coelo raptum (4 Reg. 2, 11. Eccli. 48, 9. 1 Mach. 2, 58); si ergo audiunt Eliam iri missum, de hoc eodem Elia necessario cogitare debebant. Idemque ex munere eius et titulo etiam clarius designatur: Elias הַנָּבִיא ὁ προφήτης, *ille* scil. propheta celeber et notus, de quo tot ac tanta in s. literis narrantur (3 Reg. 17, 1-4 Reg. 3, 11) et qui eadem appellatione Elias הַנָּבִיא vocatur (1 Reg. 18, 36. 2 Chron. 21, 12).

Neque excipi potest, virum qui sicut Elias propheta pro Domino magno

zelo operetur, vocari Eliam; nam eiusmodi loquendi usus nullo exemplo demonstrari potest; et si posset, non erat dicendum missum iri Eliam τὸν προφήτην, sed prophetam quemquam vel alterum quendam Eliam. Sed, obiicit *Reinke*, etiam de Messia dicitur : et suscitabo super eos pastorem unum, servum meum David... et servus meus David princeps in medio eorum (Ez. 34, 23. 24). At hoc exemplum potius contrarium demonstrat. Nam haec appellatio Messiae in s. literis sedulo praeparatur cum Messias vocetur germen ex David oriundum, vel germen quod Dominus Davidi sit suscitaturus, surculus de radice Iesse, qui solium David sit occupaturus (cf. Is. 9, 6; 11, 1. Ier. 23, 5; 33, 15; vide ad Os. 3, 5). Iam *talem* etiam simpliciter *David* vocari et quo sensu ita vocetur, omnes statim perspicient, praesertim cum de morte Davidis explicita sit mentio in s. literis, de eius autem in hanc vitam terrestrem reditu nihil innuatur. Aliter res se habet in Elia propheta, inter quem et nuntium illum nullibi talis statuitur nexus, sicut inter Davidem et Messiam. Omitto alia quae rem plane diversam esse evincunt et ex iis quae iam proposita sunt facile colliguntur.

Igitur Elias propheta mittetur ante iudicium ultimum, *et convertet cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres* i. e. sanabit magnam illam apostasiam, qua filii i. e. generationes posteriores Iudaeorum a fide et pietate patrum priscorum separati et seiuncti sunt, qua impietate prisci patres, patriarchae, populi parentes mente et animo aversi sunt a filiis spuriis et degeneribus, et cor filiorum ad fidem et imitationem patrum reducet. Cum scil. Iudaei « crediderint in Christum, in quem patres crediderunt, ut indicat illud Ioan. 7 : Abraham exsultavit ut videret diem meum, vidit et gavisus est, tunc cor patrum convertetur ad filios, a quibus scil. propter incredulitatem fuerat aversum » (*Rib.* sim. apud *S.Hier. Sanct. Lap. Sa, Mar. Men. Gord. Tir. Reinke*). In hac *conversione* quae est Iudaeorum adductio ad Deum foederis, Elias id perficiet quod olim precatus erat : « exaudi me Domine, exaudi me, ut discat populus iste, quia tu es Dominus Deus et tu *convertisti cor* eorum iterum » (3 Reg. 18, 37). Cor patrum dici aversum a malis filiis, vide simili modo Is. 29, 22.

Alii interpretantur : convertet cor patrum simul cum filiis et cor filiorum simul cum patribus i. e. omnem populum omnesque familias convertet (sim. iam *S. Cyr. Mar. Pressel* et ex interpretibus Iudaeis *Kimchi* et *Abenesra* apud *Reinke*). Quae explicatio sua se facilitate commendat, atque revera עַל saepius significatione *cum* adhibetur v. g. Ex. 35, 22 : « quidquid ad cultum et ad vestes sanctas necessarium erat, viri cum (עַל) mulieribus praebuerunt » et ita Mich. 5, 3 explicavimus, quem locum vide. Alii verba de discordiis in sinu populi vel familiarum exstinguendis capiunt : ut scil. animos patrum a filiis alienatos ad

hos convertat (*Ros. Schegg*) vel generatim ut omnis discordia et animorum divisio tollatur (*Loch*). Alii *patres* Iudaeos esse volunt, filios vero gentiles, qui una in Ecclesia Christi sint coadunandi (*Theod. Calm.*), « ut Iudaei et Christiani qui nunc inter se discrepant, pari in Christum religione consentiant » (*S. Hier.*). Alia vide apud *Lap.* et *Reinke.*

Eliae missio ideo fit, ne Dominus aeterno maledicto terram percutere cogatur, ne scil. gens iudaica fiat anathema חֵרֶם i. e. funditus a Deo reprobetur et abiiciatur ruina irreparabili. Quaecumque enim per modum anathematis devovebantur, penitus destruenda erant (cf. Lev. 27, 29. Deut. 20, 16. 17. Ios. 8, 26). Ita Elias Domino iudici parat viam, ne iudicium ultimum fiat iudicium condemnationis in populum olim electum, sed ut qui primi fuerint in foedere Dei, iidem etiam in saeculorum fine in hoc Dei foedere inveniantur.

Latinum *ne forte* quod dubitationem innuere videtur, ita expediunt: « ut nos certo affirmare non audemus quod ex alieno pendet arbitratu atque ideo particulam illam frequenter adiicimus, sic Deus qui se humano loquendi modo frequenter accommodat, cum de eventu non dubitet, particulas tamen addit dubitantes » (*Sanct.*), vel « dubitatio haec indicat Deum etsi certa cognitione praenoscat omnia, integram hominibus relinquere libertatem » (*Rib.*). Ceterum notandum est, illud *forte* in textu hebr. non adesse, sicuti abest quoque in reliquis sermonibus Domini aliorumque v. g. Gen. 3, 3. 22. Ex. 23, 33; 33, 3. Deut. 4, 16. 19 etc. ubi in latina versione legitur frequentissime.

Eliam prophetam hic intelligi ipsum *Ioannem Baptistam* ex veteribus unus docuit *S. Ephraem* idque conclusit ex verbis angeli ad Zachariam: « iste ibit ante illum in virtute et spiritu Eliae, ut convertat cor patrum ad filios » (Luc. 1, 17) et ex Christi voce: « si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est » (Matth. 11, 14). Eandem sententiam ex iisdem duobus locis etiam affert *Barh.* Placuit ea explicatio recentioribus protestantibus multis (cf. *Keil, Pressel*) et etiam nonnullis interpretibus catholicis, inter quos a *Reinke*, strenuo huius interpretationis patrono, nominantur *Burgensis, Arias, Clarius, Braun, Bergier, Iahn, Scholz, Ackermann, Deresér.* Sed *Clarius* certo iis non est adnumerandus; scribit enim ad locum nostrum: « videtur sicut sub uno Eliae nomine intelligimus et Ioannem Baptistam et Eliam ipsum, sic uterque adventus hic includi »; at ad eos referri debere *Vat.* videtur. *S. Hier.* in commentario quidem ad h. l. ita loquitur, ut in Elia omnem prophetarum chorum intelligere videatur: « igitur antequam veniat dies iudicii et percutiat Dominus terram anathemate, mittet Dominus in Elia (qui interpretatur *Deus meus* et est de oppido Thesbi quod *conversionem* et *poenitentiam* sonat) omnem pro-

phetarum chorum, qui convertat cor patrum ad filios, Abraham videlicet et Isaac et Iacob et omnium patriarcharum, ut credant posteri eorum in Dominum Salvatorem, in quem et illi crediderunt». Verum in commentariis ad Matth. 17, 11. 12 Eliam venturum esse sine ulla dubitatione asserit: «ipse qui venturus est in secundo Salvatoris adventu iuxta corporis fidem, nunc per Ioannem venit in virtute et spiritu (Eliae)» (*M.* 26, 124).

Atque haec sententia tenenda est. Ei iam clare suffragatur versio graeca LXX praebens ἐγὼ ἀποστέλλω ὑμῖν Ἠλίαν τὸν Θεσβίτην; *Elias* enim *Thesbites* vocari non potest nisi idem ille qui Elias in s. literis vocatur et utpote oriundus ex oppido Thesbi, nomine *Thesbites* saepius designatur (cf. 3 Reg. 17, 1; 21, 17. 28. 4 Reg. 1, 3. 8; 9, 36). Sicut igitur appellatio *Elias* ὁ προφήτης exclusa significatione generica *ipsum Eliam* dicit, ita magis distincte et maiore emphasi cognomen *Thesbitae* eundem illum exclusa omni nominis cum alio communione vel societate eumque solum designat. At etiam maius est testimonium quod ab ipso aliquo s. auctore huic acceptioni redditur. Inter ceteras enim laudes quae Eliae tribuuntur Eccli. 48, 1 seq. etiam hoc legitur: *qui scriptus est in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium et restituere tribus Iacob*; quae verba nostrum apud Mal. locum respicere clarum est; dicitur enim Elias ille idem cuius res gestae ex libris historicis a v. 1-9 summatim referuntur, ὁ καταγραφεὶς *scriptus*, literis consignatus et memoriae proditus tamquam talis qui iracundiam (Domini) leniturus sit *ante furorem* (graece) i. e. antequam furor Domini exardescat, qui debeat ἐπιστρέψαι *convertere* cor patris ad filium et *restituere* καταστῆσαι (cf. LXX Mal. 4, 24 ὃς ἀποκαταστήσει) tribus Iacob. Inde enata est sententia apud Iudaeos pervulgata, quam discipuli Christi testantur et quam Christus totidem verbis omnino confirmat et approbat: *Elias quidem venturus est et restituet omnia* (ἀποκαταστήσει· Matth. 17, 11. Marc. 9, 12) et quae apud posteriores quoque Iudaeos longe lateque erat pervulgata (cf. *Reinke*, Mal. p. 589).

Eam retinent atque propugnant theologi catholici, ex quibus v. g. *Bellarminus* dicit « sententiam verissimam, Henoch et Eliam in suis personis venturos, et contrarium vel esse haeresim vel errorem haeresi proximum » (de Rom. Pontif. 3, 6; in opere de Controversiis, t. 1 p. 719; Parisiis 1608); similiter *Fr. Suarez* eam assertionem esse aut de fide aut fidei valde proximam affirmat (in 3 p. S. Thom. qu. 59, disp. 55 sect. 2; in edit. Moguntiae 1604 t. 2 p. 654) et quam longa serie scriptorum ecclesiasticorum ac theologorum ea defendatur, vide et apud hos quos modo nominavi, et praesertim apud *Natalem Alexandrum* (hist. vet. Test. in mundi quintam aetatem dissert. 6; edit. Paris. 1730 t. 2 p. 185).

Atque revera huic sententiae etiam multi Patres calculum adiecerunt, ex quibus accipe haec testimonia : *Tertullianus* (de anima 35 ; *M.* 2, 711), *Hilarius* (in Matth. 17, 11. *M.* 9, 1015), *Origenes* (in Matth. *M.* 13, 1086), *Victorinus* Martyr (schol. in Apoc. 11, 5. *M.* 5, 334), *Iustinus* (c. Tryph. n. 49. *M.* 6, 584), *Hippolytus* (de Christo et Antichr. 46. *M.* 10, 764), *Ambrosius* (in Ps. 45 n. 10. *M.* 14, 1138 ; in Luc. 1, 17. *M.* 15, 1548), *Augustinus* (de Civ. D. 20, 29. *M.* 41, 704) qui quidem ita loquitur : « per hunc Eliam magnum mirabilemque prophetam exposita sibi lege ultimo tempore ante iudicium Iudaeos in Christum verum, id est, in Christum nostrum esse credituros celeberrimum est in sermonibus cordibusque fidelium. Ipse quippe ante adventum iudicis Salvatoris non immerito speratur esse venturus, quia etiamnunc vivere non immerito creditur », et rem certam atque indubiam proponit in Ioan. tract. 4 n. 5 : « duo Christi adventus, duo praecones » (*M.* 35, 1408). Porro *Gregorius Nyssenus* (testim. adv. Iud. 17. *M.* 46, 229), *Chrysostomus* (hom. 57 al. 58 in Matth. *M.* 58, 588 ; in 1 Thess. 5. hom. 9 n. 2. *M.* 62, 449), *Gregorius Magnus* (in Iob mor. 9 n. 9 ; 11 n. 24 ; 35 n. 34. *M.* 75, 863. 964 ; 76, 768), *Ioannes Damascenus* (de fid. orth. 4, 26. *M.* 94, 1217). Hisce adde interpretes in Malachiae locum : *Cyr.* quem etiam vide explicantem Ioan. 1, 23 (*M.* 73, 184), *Theod. Theod. M. Alb. Rib. Sanct. Lap. Sa* etc. At *Rup.* non sine haesitantia mentem suam aperit : « de adventu Heliae quidquam definire non ausim, quia videlicet doctorum alii, quibus omnes fere consentimus credunt eum ad literam venturum et restituturum omnia ac mortis debitum persoluturum ; alii vero nequaquam, quibus vir illustris B. Hieronymus consentire videtur... ceterum Dominus interrogatus ab Apostolis de adventu Heliae respondit : *Helias iam venit et non cognoverunt eum* . . . Ioannem in Helia volens intelligi ; unde subsecutus adiunxit : *si vultis recipere, Ioannes ipse est Helias qui venturus est* » (Matth. 11, 14 ; 17, 12) [1]. Eam difficultatem quam alii quoque ex verbis istis Domini movent, egregie solvit *S. Chrysostomus* (hom. in Matth. l. c.) et *Maldonatus* in Matth. ; verum ea de re longiorem disputationem instituere non est huius loci.

---

1. Sim. quoque *Haimo* loquitur ad h. l. At in expositione Apoc. Eliae adventum claro docet ; cf. *M.* 117, 1070.

Concludere iuvat hosce in minores prophetas commentarios verbis iis quibus *Theod.* quem toties laudavimus suos in eosdem absolvit : « ego vero illud monitos velim lectores laborum nostrorum, ut de his quae bene et recte diximus, increatam Trinitatem laudibus prosequantur. Si quid vero ex propheticis oraculis nostrum captum fugerit, naturae infirmitati ignoscant et defectum suppleant propositumque laudent et labores precationibus compensent. Bonorum autem largitor, sapientiae fons et auctorem et lectores prudentia ad omnes res instruat, ut inseparabiliter ei servientes glorificemus eum in corpore et in spiritu nostro, quoniam ei convenit gloria in saecula saeculorum. Amen ».

O. A. M. D. G.

CORRIGENDA

30, 4 pro *qiscis* lege *piscis*. — **39** ultim. lin. mqua l. quam. — **49,** 4 καταλύσιν l. κατάλυσιν. — **63,** 1 urento l. urente. — **106,** 16 Aegyptos l. Aegyptios. — **185,** 11 sublimiorum l. sublimiorem. — **233,** 35 Ioel 2, 8 l. 2, 18. — **294,** 25 *inr quata* l. *in quarta*. — **334** ultim. lin. oe-l. eo-. — **353,** 3 excidit ר l. יוֹעֵר. — **361,** 35 sunt l. sint. — **399,** 1 montes l. montis. — **412,** 7 *Abdijjah* l. *Abijjah*. — l. 8 et 9 extremae literae inter se commutatae sunt; quare lege l. 8 proba l. 9 Abdij-. — Quandoque in fine vel initio lineae una excidit litera quae tamen facillime suppletur. —

INDEX

NAHUM

HABACUC

SOPHONIAS

AGGAEUS

ZACHARIAS

MALACHIAS

IMPRIMERIE SAINT-MÉDARD. — SOISSONS